5723

MARTYROLOGIUM AUGUSTINIANUM

IN TRES PARTES ÆQUALITER

DISTRIBUTUM

PARS PRIMA.

MARTYROLOGIUM

AUGUSTINIANUM

IN TRES PARTES AEQUALITER

DISTRIBUTUM

PARS PRIMA.

MARTYROLOGIUM
AUGUSTINIANUM
IN TRES PARTES ÆQUALITER

Distribútum, in quo summa latitudine, & amplitudine innumerabiles; & quasi super arenam multiplicati

SANCTI, BEATI,
ET VENERABILES,

Qui in Augustiniana Religione claruerunt; per singulos totius Anni dies referuntur;

ADDITIS, AD ILLORUM ELOGIA MELIUS intelligenda, vastissimis Cõmentariis.

PARS PRIMA

In qua sancti, Beati, & venerabiles primæ partis explanantur.

M. P. AUGUSTINO,

OMNIS SAPIENTIÆ MIRACULO, ET OMNIUM Eruditorum oraculo, sicque magnarum alarum Aquilæ in desertum volanti, ut ibi ad cor omnium loquerêtur: ibique Eremitici sui Ordinis primogeniti, velint, nolint accissantes, Actori, & Authori, Factori, & Fautori, cujus monita erga fideles sunt cognita, ut optima; verba contra hæreticos sunt verbera acerba; doctrina erga paganos est peregrina, & divina; cujus virtutes inter justos sunt illustres: gloria inter indî etes est notoria; patrocinium erga cunctos est eximium.

OPERA, STUDIO, ET LABORE INEXPLICABILI

Mag. P. Fr. JOSEPHI
AB ASSUMPTIONE.


Ulyssiponensis, ejusdem Ordinis Augustiniani alumni, &c.

ULYSSIPONE,

Ex Typographia PINHEIRIENSI, Musices, ac Sacri Ordinis Melitensis in acclini via Collegii Societatis Jesu, prope Templum D. Dominici.

Cum facultate Superiorum. Anno. 1743.





SANCTISSIME AUGUSTINE PATRIARCHA Magne.

PRODIT *in lucem opus Martyrologii, in quo multi, & præcipui tui Sacrati Ordinis Eremitici Sancti, Beati, & Venerabiles recensentur; opus forsan, ni fallor, á multis diutius expetitum, sed vel inertia, permittar*

ita

ita loqui, vel fato, quod verum pótius ſuſpicor, ſiniſtro, non uſque adeo plénius, & tam copióſius concinnatum. Plures enim ex noſtris, quamvis de multis Ordinis Sanctis égerint ſynopſim, ut NN. Herrera, Torelli, Elſſius, & alii, de illis tamen per dies ſingulos totîus anni non égerant mentionem; & ſi N. Arpe fecerat in Diario SS. de illis mentionem, hoc compendioſo, & breviſſimo fecit atramento: deerat ergo opus de hac materia luculentius, ut nonnulli ex Ordinibus potiri gloriantur: & ſic uſque adeo noſter, ut reor, Ordo queruloſis vocibus proclamabat: Nondum venit hora mea: Joannis cap. 2: ſed quia, ut ait Eccleſiaſtes cap. 3: Omnia tempus habent; advênit tempus, & tempus acceptabile, in quo id operis in lucem dari erat conſentaneum: eſt enim tempus, de quo diei poteſt illud Cant. cap. 1. Filii matris meæ pugnaverunt contra me; ſunt enim plures nihilo tumefacti, & de ſe ſolis bona præſumentes, qui in verecunde acciſſantes, religionem cenſent eſſe decolorem: non decolor eſſe cenſeatur; décolor dicitur, & fit ab illis, qui animo nauſeabundo, ſolum in illis, quæ ſua ſunt fatentur ineſſe bonitatem, de cæteris, tanquā á ſuo congreſſu ſegregatis, & quaſi adulterinis religionis fœtibus, ſiniſtra non ceſſant ſuſpicari; de quibus dici juremerito póterit illud Pſalmi 13. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum: quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt &c.

Hoc eſt malum facilius, & inter de ſe bene præſumentes cōmunius, ut in Evangelio teſtatum reliquit Lucas cap. 18. de Phariſæo: & confirmatur dictis D. Hieronymi inſine cōmentarii in Jonam: Conatus noſtri pótius adjuvandi ſunt, quam ſpernendi aure malevola; quia cápere, & detrâhere vel imperiti poſſunt; doctorum autem eſt, & qui laborantium novêre ſudorem, Laſſis manum perrígere. &c. Secundum id, quod in ſe habent, alios credunt, & optant æmulantes. Dum alios ſuis dicteriis, & audaci præſumptione ſátagunt emendâre, eos amplius, imo & ſeipſos agnoſcant offuſcare. Sunt adinſtar halitus oris; quia, dum quis in ſpeculo ſe ſe plus mirâtur, tanto amplius

plius halìtu effuso ſpeculum experìtur maculâre. Hoc eſt Prò-videntiæ Divinæ ſecretum inſcrutabile, ut permittat innocentes ſemper ab his maledicis affligi, & perennibus aculeis moleſtari. Hinc Cantic. cap. 2. dicitur: ſicut malus inter ligna ſylvarum, ſic dilectus meus inter filios. &c. In quo nobis inſinuatur, quod inter juſtos, & injuſtos eſt tanta in moribus diſcrepantia, quanta inter pomum, & ſpinas; nam, ut explicat D. Bernardus Serm. 41. in Cantic. ſpina vicina eſt malo, ſpina falſus eſt frater. Verſari in his, & minime lædi, divinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ. Inter malignantes innocentiæ retinêre candorem, & morum lenitatem non mediocris titulus virtutis eſt.

Ne ergo videar in terris adhuc degentes, & á malidicis maculatos me laudare, ſecutus ſapientis ſententiam: Lauda poſt mortem, & ante mortem non laudes quemquam; Eccleſiaſtic. c. 11. idcirco in hoc ópere mortuos, qui fato ſunt functi feliciſſimo, ſanctiſſimo, beatiſſimo, & piiſſimo, laudabo; plures enim ſunt, qui in Ordine Auguſtiniano á retroactis ſæculis uſque ad præſens, ſanctitâte claruerunt. Sic jam dicam: Te Deum Laudamus, qui es omnis ſanctitatis fons, & origo, juxta illud Pſalmi 150: Laudate Dominum in ſanctis ejus: & ſicut radici arboris pomorum duci ſolet percepta in palato dulcitudo, ſic etiam tantorum ſanctorum, non tantum Deo, ut primæ ſanctitatis Origini, ſed etiam duci fas erit M. P. Auguſtino, qui hujus ſacræ Religionis, tanquam pomarij fœcundiſſimi, fuit Auctor, plaſmator, & plantator, ut ipſemet de ſe loquens ingenue & ingenioſe fatetur Serm. ad Fratres in Eremo Cap 40: ſic. Hæc eſt illa vinea fertilis, quam plantavi, velut Pater familias, quam ſepe paupertatis, charitatis, caſtitatis, & obedientiæ, ut á Simpliciano Chariſſimo viro didiei, circumdedi; ad quam, velut Pater familias exiens primo mane vos conduxi in operarios, ut afferatis fructum quinquageſimum, ſexageſimum, & centeſimũ, ſecundum abundantiam gloriæ plenitudinis Chriſti. &c.

Cum vero S. Pater Auguſtinus, quidquid delirent invidorum, & acciſſantium maledicta, fuerit hujus religioſi poma-

rii verus, & primævus plantator, ut plura illius confirmant testimonia, & summorum Pontificum irrefragabilia oracula, in suis reperta diplomatibus, & SS. PP, & aliorum DD. dicta, & plura in ratione stabilita fundamenta; & sicut pomarii facunditas, suo debet duci plantatori, & cultori, sic tibi, M. Pater Augustine, duci debet hujus sacræ Religionis tanta sanctorum abundantia. Ob hoc summi Provisoris fuit dispositio inscrutabilis, ut idibus Novembris, in quibus in lucem, P. Augustine, prodiisti, in hiscemet postea in nostra Religione nostrorum omnium sanctorum festivitas celebrarêtur; ut ex his clare innotesceret, quod hi omnes ex te, tanquam ex capite, dimanassent.

Et sicut in pomario, dum malum suave, & amænum decerpitur, bene infertur, qualia sint cætera futura; & si omnia degustentur, maior percipitur dulcitudo, & suavitas; sic etiam licet una ex his, quæ in hoc reperiuntur opere, vita, magnam redóleat bonitatem, & bonitatis magnitudinem, si tamen omnes legantur, maximam præse ferent, & ostendent bonitatem; quia collectio maiorem, quam singularitas, delectationem inducit. Quia licet quæ á Deo sunt creata, divisim ostendissent simplicẽ bonitatem, collectim tamen visa, maiorem ostenderunt bonitatem; quia vidit Deus cuncta, quæ fécerat, & erant valde bona; ut dicitur cap. 1. Geneseos.

Hic ergo, lector pie, & candide, non solum invenies S. P. Augustini sanctitatem, sed etiam suorũ filiorum innumerabilium, non dissimilem sanctimoniam, & omnium inibi repertorũ collectio, legentium, ut reor, sensus delectabit: & hoc ducendum est, P. Augustine, tibi, tanquam illorum Patri, Duci, & Pastori; quia, sicut militum glorioſiora ducuntur duci facinora, sic tibi, ducenda est tantorum sanctitas in tua Religione procreatorum sanctorum.

Tibi ergo, M. P. Augustine, hoc opus, tanquam tuum, de genu me decet nuncupâre; quia sicut ad mare, unde dimanant, flumina revertuntur, quasi illud sui originem esse confi-

tentia,

tentia, sic opus tuorum sanctorum, cui, nisi tibi, decuisset nuncupari? Alias me posses juremerito degénerem nuncupare. Pacatus ergo animo tuum, & tibi nuncupatum opus suscipe, & potere, ut tuo nomine insignitum prodeat in lucem; sic enim tuo nomine clypeatum, non adeo blaterantium loquacitatem licentiosam experietur. Si Cæsaris cerva per Urbem soluta, secura vagabâtur, eo quia in tergo ipsius Cæsaris nomen impressum deportabat; sic etiam expecto, quod id operis tuum deportans in fronte nomen impressum, secure per manus omnium póterit di vagari, ut possim jam tute exclamare.

Tuta vagabatur per totam Cæsaris Urbem
Cerva, ejus pando tergore nomen habens.

Non minus istud opus póterit cursare per Urbes,
Fronte sua nomen fert, Pater alme, tuum.

Sanctissime, & Augustissime Patriarcha,

Ad pedes vestros implorat vestrum patrocinium.

Alumnus vester indignus Fr. Josephus ab Assumptione.

PRÆFATIO
Ad benevolum Lectorem.

Diutius expetitum prodit in lucem opus Martyrologii Auguſtiniani ; cum enim diutius noſtris delituiſſet in ſcriniis : plurimorum votis deſiderans ſatisfácere , ſatis coactus ex ſcriniis hoc opus educere conatus ſum ; licet diutius anceps permanérem , horreſcens non parum obſtrepentium ranarum , in maledicentiæ , & invidiæ palude coaxantium clamores. Sic clamant , qui non amant : hoc efficiunt ; qui deficiunt , qui enim amant, & opera efficiunt in lucem proditura , non aliena dicteriis objurgant , ſed laudant , non deprimunt , ſed extollunt , non carpunt , ſed parcunt.

Sed cum non deficiant maledicentium ſcōmata perennata , cur timebo ! Conatum non proſequar ! Apropoſito deſiſtam ? Non ita : non me latet Alciati emblema 164 , ubi de cane contra lunam obſtrepente cecinit.

En latrat : ſed fruſtra agitur vox irrita ventis ;
Et peragit curſus ſurda Diana ſuos.

Non erunt hæc dicteria Rémoræ adinſtar , quæ navem per ſalſa vada ſulcantem , ventorum impetu , & remôrum motibus eam impellentibus , ſpretis , quaſi pelago infixam ſolet retardare , ut aſſerit Plinius lib. 9. c. 25. , & Alciatus Emblemate 92 : non ádeo in-

concuſſa vi talia fulciuntur dicteria, ut noſtrum poſſint inhibêre conatum. Maledicant, qui maledicunt; ſua enim loquácitas, & procacitas magis, magiſque apud indoctos audita, & apud doctos inaudita, innoteſcet.

Prodit, inquam, in lucem hoc opus, ut, quale eſt, noſtrorum Authorum ſuppleat defectum. Jam nõnulli noſtri Ordinis AA. de ſanctis hujuscemodi cõpendioſe tractarunt; Ignatius enim Dycherius Gandavenſis Flander, vir exactæ eruditionis, quem ſatis laudat Joannes Franciſcus Toppens Bruxellenſis in ſua Bibliotheca, Martyrologium Ordinis prælo dedit: aliud etiam cõcinnavit N.B Bartholomæus Palazzolo; & N. Georgius Maygretius Bononienſis Martyrographiam Auguſtinianam, quam vidi, per prælum publicavit. De aliquibus vero noſtri Ordinis Sanctis, Beatis, & Venerabilibus nonnulli tractarunt; quorum nonnulli ſunt, B. Jordanus Saxo, Ludovicus Torelli, Arnoldus Duſcus, Joannes Nævius, Simplicianus á S. Martino, Antonius Ozorius, & alii, qui de uno duntaxat vitam conſcripſêre, v. gr. de SS. P. Auguſtino, S. M. Monica, S. Guilelmo, S. Nicolao de Tolentino, S. Clara de Monte Falco, S. Thoma de Villanova, S. Joanne Bono, B. Auguſtino Novello, B. Andrea á Monte Regali, B. Bartholomæo Palazzolo, S. Joanne Saaguntino, B. Joanne Chiſio, B. Antonio de Amandula, B. Chriſtina á Cruce, B. Chriſtina de Spoleto, B. Ritta de Caſſia, B. Hélena Utinenſi; B. Veronica, B. Brandano, B. Joanne á S. Guilelmo, B. Georgio Lazzolo, B. Antonio Mediolanenſi, Ven. Ludovico de Montoia, Ven. Hieronymo Alaviano, Ven. Maria á Fide, Ven. Margaritta de Clavibus, & Eliſabetha de Miranda, B. Gratia de Cattarro, B. Simone de Tuderto, &c. Vel etiam alii extitêre, qui

de

de noſtris ſanctis, & Beatis noviſſime tractarunt, qui in atramento plures, & plura de illis reliquerunt, v. gr. N. Auguſtinus Arpe in Diario Sanctorum, & Fr. Joſephus á D. Antonio in ſuo Florario, & plures, quorũ evolvens volumina, & paucitatem conſiderans, Ordini non exiguum dédecus afferre ſuſpicatus: ſũ, ſtatui ergo illorũ labori noſtrũ non parvum accumulare laborem; labor non exiguus, ut opinor, lectori benevolo apparebit: labor eſt non exiguus noctes inſomnes traducere, libros innumeros evolvere, notata reſcribere, reſcripta diſpónere, diſpoſita componere, compoſita luci publicæ, & ſumptibus non paucis exponere, & tandem Bibliopólas, latini inſcios idiomatis, ſupportare. Hoc opus, hic labor eſt, *ut ait Virg. lib. 6.*

Habes ergo, lector benevole, in hoc opere; non unius, nec aliquorum noſtri Ordinis ſanctorum, beatorum, & venerabilium vitas, ſed plurimorum, quos diuturna indagine pótui congregâre. Plures, ut reor, huic operi deficient; non omnia poſſumus omnes, ſed plane in meam fatebor non pervenis ſe notitiam: Ruth non deficiet, quæ plura reſtantia poſſit adunâre. Addidi cõmentaria, in quibus extenſiori cálamo plura ad SS, BB, & VV. elogia intelligenda explanantur.

In hoc ópere gloríam meam nullatenus quæro, ſed duntaxat Dei, quem in ſanctis ſuis collaudare fas eſt. Si aliquis ex commentariis cauſam offenſionis, & ſcandali reperiat, non activum, ſed paſſivum debet ſcandalum reputâre; pro viribus me decet, Religionis meæ jura, etiam probabilia defenſâre: ſi enim plures ſine ullo jure ſibi arrogant noſtræ Relligionis Sanctos, & Beatos: v. gr. S. Nicolaum do Tolentino, B. Veronicam, Ven. Alphonſum de Oroſco, B. Bonaventuram Patavinum, B. Claram de Monte Falcho, & alios, cur inter noſtrates, illos, ad quos jus

quaſi

quasi inconcussum nostra habet Religio, non dinnumerabo? Adversariorum evolvi fundamenta, illa réperi non firma, sed infirma, non valida, sed invalida, non amplectenda, sed abjicienda, respectu quorum, ni me fallat Ordinis affectus, nostra potiôra apparent fundamenta.

Parce ergo, lector benevole, erratis meis, & scias, plures ex absentia mea, & ex ignorantia Bibliopolæ irrepsisse, sed doctus facili negotio, ea, quæ sunt, poterit emendare. Parce ergo, inquam, Lector, & id operis illo affectu recipias, quo tuum, quod prælo daturus esses, velles me excipere.

Vale, & boni consule.



EPIGRAMMA

CUJUSDAM

Auguſtiniani anonimi in laudem Operis.

PLaudite, doctiloqua qui mente, vel arte vigetis:
Plaudite doctiloquæ mentis, & artis opus:

Plaudite: laus óperis vos ad præcônia cogit:
Plaudite; par illi non reperitur opus.

Eſt opus immenſi, delaſſatique laboris;
Viribus humanis maius id extat opus.

Uſque adeo nullus, doctis licet Ordo vigeret,
Edere vel pótuit, vel fuit auſus opus.

Auguſtiniadum Herôas ſuper aſtra micantes
Ad numerum redigit: tale quis egit opus?

Nemo unquam: labor eſt operis laudabilis ingens:
Forte labóre cadet, ſiquis id auſit opus.

Hoc profert nova plura, refert quamplura vetuſta,
Et numerat ſanctos, quos numerâre labor.

Eſt dives theſaurus opus, miro ubere gemmas,
Aurum excellentes, continet iſtud opus.

Eſt hortus, florum unde uiret genus omne bonorum,
Virtutiſque omnis clauditur omnis odor.

Ergo Deo grates profer, ſacer Ordo, perennes,
Ipſe tibi natum præbuit hoc ad opus.

Iſte tuum exoptans vulgâre reapſe decorem,
Accenſus zelo, tale peregit opus.

Volveret innunmeros ad opus fortaſſe libellos:
Non aliter compar, & fit, & exit opus.
Nunc opus eſt, illi ut ſolvas, ſacer ordo, laborem,
Gratus & agnoſcas, quale ſit ejus opus.

EPIGRAMMA
AUTHORIS
Ad Lectorum.

TU, qui noſtra legis ſanctorum dyptica, Lector,
Non prius illa legas, quin prius iſta legas.

Hac in fronte leges, quæ corpore clauſa leguntur:
Corporis eſt index frons, & imâgo ſui.

Hic tibi, Lector amans, ſincera mente fatebor:
Et bona plura leges, & mala plura leges.

Hic bona plura leges, Heróum exempla bonorum,
Virtutum meritis qui rapuêre polum.

Hic mala plura leges, modus eſt, quo dyptica ſcripſi;
Quæ bona conficeret, cui ſit acumen iners?

Ergo legens bona tanta, Dei magnalia lauda,
Fas eſt in ſanctis concelebrâre Deum.

Tu que legens mala noſtra, memor ſis parcere nobis;
Omnes erramus, ſubjicimurque malis.

Parcere ſi rénuas nobis, & carpere cures,
Carpe, oro, errores cum pietâte meos.

SYNOPSIS OPERUM

AB HUJUS OPERIS AUTHORE USQUE AD PRÆSENS absolutorum.

POETICA.

Tom.

VIta S. P. Augustini in 12 Libris Carmine heroico explanata. 1
Altera ejusdem tribus libris Emblematum. 1
Acribologia Elegiaca de ejus ultima Inventione per octo libros. 1
Prodigium S. P. Augustini factum 40 Transalpinis duobus libris per Centones Virgilianos. 1
Vita S. Nicolai de Tolentino 12 libris per eosdem Centones. 1
Creatio mundi duobus libris etiam per Centones. 1
Vita B. Andreæ á Monte Regali Augustiniani: Jam prælum vidit. 1
Vita B. Andreæ de Comitibus Minoritæ, composita ad solutionem voti illi facti ob salutem miraculose præstitam: Jam prælo data est Ulisippone anno 1731, in Typographia Augustiniana. 1
Opus Mafrense septem columnis ornatum, Joanni V. dicatum. 1
Encomiasticon Apollineum de laudibus ejusdem. Prodiit nomine Dominici Novi de Chavaria: Prælo data est Olisippone anno 1732 in Typographia Musicæ. 1
Chorus Pieridum per novem libros Epigrammatum. 1
Funiculus Triplex, ideſt, Regula S. P. Augustini, tripliciter decantata, Carmine heroico. Jam prælum vidit. 1
Liber Anagrammatum Epigrammatibus explanatorum. 1
Sanctuarium Augustinianum, ubi per totius anni dies actiones Sanctorum Ordinis Carminibus diversimode expenduntur. 1

NON POETICA.

MArtyrologium Augustinianum per tria volumina. 3
Vita Ven. Ægidii á Præsentatione lingua vernacula. 1
Næniæ devotæ de Purgatorio exemplis nostrorum explanatæ. 1
Hymnologia Sacra in sex voluminibus distributa. 6
Eremus Infulata, ideſt, de nostris Episcopis Lusitanis. 1
Paradysus voluptatis, ubi agitur de præcipuis Ordinis excellentiis sub methaphora fluvii. 1
Tractatus Pœnitentiæ cum explicatione casuum reservatorum in Regno Algarbiæ. 1
Polyanthéa Eucharistiæ, ubi innumerabilia Eucharistiæ elogia diversa continentur. 3
Cathalogus scriptorum hujus Lusitanæ Provinciæ. 1
Computus omnium Paschatum ab annis Christi usque ad 1776. 1

NONDUM ABSOLUTA.

ANnus Virgineus, explanans dietim favores á Deipara nostratibus effectos. 1
Annus Eucharisticus similiter efformatus. 1
Annus Angelicus eodem tenôre contextus. 1
Ars poetica, ubi insinuatur modus facillimus carmina componendi. 1
Victoriæ castitatis raris exemplis nostrorum sanctorum comprobatæ, & alia, quæ omittuntur opera. 1

35

LICENÇA DA ORDEM

MAgiſter Fr. Franciſcus á Sancta Maria, Prior Provincialis Ordinis Eremitarum Sancti P. N. Auguſtini in Regnis, & Dominiis Portugalliæ, &c. Cum Martyrologium Auguſtinianum diſtributum & diviſum in tres partes æquales, compoſitum, ac elaboratum á R. P. M. Fr. Joſepho ab Aſſumptione, duo Magiſtri noſtri Ordinis, quibus id cõmiſimus, recognoverint, atque in lucẽ publicam dari poſſe probaverint; facultatem concedimus, & impertimur, ut typis imprimatur, ſi ſuperioribus, ad quos ſpectat, ita viſum fuerit. In quorum fidem has manu noſtra ſubſcriptas dédimus in Conventu D. N. de Gratia Ulyſipponis die 23. Maii anno 1740.

Magiſter Fr. Franciſcus á Sancta Maria Provincialis.

LICENÇA DO SANTO OFFICIO.

O P. M. Fr. Joaõ Baptiſta Troyano Qualificador do Santo Officio veja os Livros, de que ſe trata, e informe com ſeu parecer. Lisboa 28 de Fevereiro de 1738.

Alencaſtre. Teixeira. Sylva. Soares. Abreu.

EMINENTISIME DOMINE

DE mandato Emin. V. Rever. de primo uſque ad ultimum legi, ac perlegi *Martyrologium Auguſtinianum*, in tres partes æquales æqualiter diſtributum, in quo Sancti, Beati, & Venerabiles utriuſque ſexus, qui in Auguſtiniana Religione uſque nunc ab incunabulis claruerunt, per ſingulos totius anni dies referun-

referuntur, á Reverendiſſimo Patre Fr. Joſepho ab Aſſumptione, ejuſdem familiæ Alumno, & in Sacra Theologia Magiſtro eruditiſſime compoſitum; opus ſane egregium, ingenioſum, Laborioſiſſimum, omnibuſque numeris abſolutum, in cujus laudes libenter me effunderem, niſi Religioſiſſimi Auctoris modeſtiam lædere timêrem, vel cenſoris munus licentiam præſtarem; nec tunc tamen eſſet ſatis pro meritis laudatum, quod admiratione potius, quam laude cómendari debet. Unum tamen dicam cum Apelle, tabulam a Protogene depictam admirante: *Ingens labor, & admirandum opus! Deſunt tamen gratiæ, quæ illud efferant, atque in cœlo reponant.* Idcirco iſtud Martyrologium in tres partes diſtributum digniſſimum judico, non ſolum, ut Typis mandetur, ſed, ut omnia in eo contenta, tanquam orthodoxæ Fidei, rectiſque moribus conſona plumbi lamine, vel celte ſculpantur in ſilice. Ita cenſeo in Regali Lixbonenſi Carmelo die 21 Octobris annis 1738.

Fr. Joannes Baptiſta Troyano.

O P. M. Fr. Antonio de Filgueiras Qualificador do Santo Officio veja os livros, de que ſe trata, e informe com o ſeu parecer. Lisboa 24 de Outubro de 1738.

Alencaſtre. Teixeira. Cabedo. Soares Abreu.

EMINENTISSIME DOMINE.

MAndato Em. V. Rev. ſubmiſſé parens, vidi *Martyrologium Auguſtinianum* in tres partes æqualiter diſtributum, in quo continentur Sancti, Beati, ac Venerabiles, qui in Sacra Religione Auguſtiniana hactenus floruerunt, a Reverendiſſimo Patre Fr. Joſepho ab Aſſumptione, ejuſdem familiæ Alumno, & in Sacra Theologia Præceptore, ingenoſiſſimé compoſitum; opus apprimé laborioſum, exemplare, utile, & perfectum. Certé miror opus iſtud tam perfectum eſſe, ut omnes anni menſes includat! Sed in hac incluſione ejus Author aſſimilatur Soli: nam ſicut Sol per duodecim Zodiaci ſigna iter facit; ita hujus operis Author per duodecim anni menſes, quaſi

per duodecim ſigna viam carpit. Tam perfectiori modo Sol iſte re ſplendet, ut ſua duodecim ſigna illuſtret, non ſolum in ſplendoribus ſanctorum proprié ſuorum, ſed probabiliter, ſi fas eſt dici, alienorum. Cum autem Martyrologium iſtud ſit tantis ſplendoribus laborioſiſſimè intextum, bene meretur ejus Author ita magnifice laudari, ut ei bene attribui poſſit, quod de célebri ſculptore locutus eſt Plinius: *Hæc ſunt obiter dicta de artifice nunquam ſatis laudato.* (*lib.* 30. *cap.* 5.) Et ſi aliquis contrarium ſentiret, benè ei dici póterat, quod Pithagoras de Sole dixit: *Contra Solem ne loquaris.* Quapropter cenſeo opus iſtud Typographiæ tradi debêre, cum ſit orthodoxæ Fidei, & bonis moribus omnino conſonum. Ulyſſippone, in Hoſpitio Ducis, die 5. Decembris, anno Domini 1738.

Fr. Antonius á Filgueiras.

Religioſus Provinciæ Solitudinis.

VIſtas as informaçoens, podem-ſe imprimir os tres volumes do Martyrologio da Ordem de Santo Agoſtinho, compoſtos pelo P. M. Fr. Jozé da Aſſumpçaõ; e depois de impreſſos tornaraõ para ſe conferir, e dar licença, que corraõ ſem a qual naó correraó. Lisboa 5. de Dezembro de 1738.

Alencaſtre. Teixeira. Cabedo. Soares. Abreu.

LICENÇA DO ORDINARIO.

O Reverendiſſimo P. M. Fr. Luis Ferreira veja os tomos, de que ſe trata, para informar com o ſeu parecer. Lisboa 12. de Janeiro de 1739.

Cunha.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

JAm dudum inſpexeram, & in præſentiarum Dominationis veſtræ cõmiſſioni obtemperans, iterum, atque iterum reſpicere tria *Martyrologii Auguſtiniani* volumina, ab admodum R. P. Magiſtro Fratre Joſepho ab Aſſumptione, noſtræ Auguſtinianæ familiæ alumno, magno cum labore elucubrata, ingenti, fateor, cum jubilo ſum agreſſus, & progreſſus. Et quamvis hoc ingens opus

in

in tria æqualia volumina diviſum, nihil noſtræ ſanctæ fidei, rectiſque moribus diſſonum contineat, mihi tamen repræſentatur exiſtere opus ita ſanctum, ſanum, & excellens, & tali erga cælites honore, & erga Deum tam mirabili gloria locupletatum, ut, ſicut mea fert opinio, et, ut veræ in eo repertæ admonent rationes, illi nequiter negaretur licentia, qualem hujuſmodi Auctor ad impreſſionem enixim deprecâtur, ne diutius cum blattis fætura tam docta cõverſetur. Hoc meum eſt in hoc opere judicium, ſalvo meliori; in Cœnobio Deiparæ Gratiarum, Ulyſipponis die decima quinta Januarii anno, 1739.

Magiſter Frater Ludovicus Ferreira.

QUe ſe poſſa imprimir, e depois de impreſſo tornará para ſe conferir, e dar licença. Lisboa de Janeiro 28. de 1739.

Cunha.

LICENÇA DO PASSO.

O P. Dom Antonio Caetano de Souſa da Divina Providencia veja o Livro, de que ſe trata, e interpondo ſeu parecer, o remeta a eſta Meſa. Lisboa 26. de Janeiro de 1739.

Pereira. Teixeira. Coſta. Cardial. Vas de Carvalho.

SENHOR.

MAndame V. Mageſtade ver o Martyrologio dos Santos, e Varões inſignes em Santidade da eſclarecida Religiaõ dos Eremitas do Grande Padre Santo Agoſtinho, que na lingoa Latina compoz, e dividio em tres tomos o P. M. Fr. Jozé da Aſſumpçaõ da meſma Sagrada Familia. Eſta Obra he digna de toda a eſtimaçaõ pella materia, e pella vaſta liçaõ de ſeu Douto Author, que jà com outras tem moſtrado o ſeu admiravel talento, e com a ſua laborioſa applicaçaõ enriquecerà a Républica das letras com trinta e quatro volumes, que tem compoſto. Eſtes tres, que agora pertende imprimir, ſaõ digniſſimos, de que V. Mageſtade lhe conceda a licença, que pede: nelles ſenaõ contem couza alguma contra as Ordenaçõeſ, ou Leys de V.

Ma-

Mageſtade. Eſte he o meu parecer V. Mageſtade mandarà, o que for ſervido. Lisboa na Caſa de N. Senhora da Divina Providencia. 5. de Março de 1739.

D. Antonio Caetano de Souſa.

QUe ſe poſſaõ imprimir os Livros, de que trata a petiçaõ incluſa, e depois de impreſſos tornaráõ a Meza para ſe conferir, e taxar, que ſem iſſo naõ correràõ Lisboa 9. de Março de 1739.

Pereira. Teixeira. Vas de Carvalho.

COhæret cum ſuo Originali. In Carmelo Ulyſſiponenſi die 30 Auguſte 1743.

Fr. Joannes Baptiſta Troyano.

VIſto eſtar confórme com o Original, póde correr: Lisboa 6. de Septembro de 1743.

Alencaſtre. Soares. Abreu. Amaral.

VIſto eſtar confórme com o Original, pòde correr: Lisboa 7. de Septembro de 1743.

Arcebiſpo de Laſcedemonia.

TAxaõ para correr em ooo reis: Lisboa 11 de Septembro de 1743.

Pereira. Teixeira. Coſta. Cardial.

AUTHO-

AUTHORES DOMESTICI,

QUI PASSIM IN TOTO HOC OPERE CITANTUR.

A

VEn. Alexius de Menezes Lusitanus *Archiepiscopus Bracharensis.*
Ambrosius Landucci Episcopus Porphyriensis, in Sylva Ilicetana.
Ambrosius Staibanus in Chronico Ordinis, seu Templo Eremitico.
Ambrosius Coriolanus Generalis.
Ambrosius Friguerius.
Andreas Gelsomineus Episcopus Asculanus.
Angelus Roccha Episcopus Tagastensis.
Angelus Senensis.
Antonius á Purificatione Lusitanus.
Angelus Carrera.
Angelus Coracinus.
Anterus *Maria* in Actis Apostolorum Excalceatus.
Arsenius ab Ascensione.
Alphonsus Villerinus.
Antonius de Gouvea Episcopus Sirenensis, & Patriarcha.
S. P. *Augustinus* Episcopus Hipponensis, & Eremitarum fundator.
Augustinus Cobellucius.
Ven. *Augustinus Antolines* Archiepiscopus Compostellanus.
B. Augustinus Fivizanus Episcopus Tagastensis.
Augustinus de Claravallensibus.
Augustinus Arpe Genuensis.
Augustinus Ozorius Lusitanus.
Augustinus á Sancta *Maria* Lusitanus Excalceatus.

B

BAzilius de *Amatrice.*
Bazilius de Ripa *Brixiensis.*
Benedicta Itala Mediolanensis in vita *B.* Veronicæ de Bisnasco.
Benedictus de Aste in vita Ven. Hieronymi Alaviani.
Bernardus Navarro Catalanus in vita S. Nicolai de Talentino.
Bernardus Torres in Chronico Ordinis.
Blasius Suares Lusitanus.

C

C*Amillus* Toma in Vita B. Rittæ de Cassia.
Carolus Ciminelli in vita B. Antonii Mediolanensis.
Carolus Veronensis in vitis BB. Claræ de *Monte* Falco, & Rittæ.
Constantinus á S. Gervasio Italus in vita B. Joannis Boni.
Constantinus Laudensis in vita ejusdem.
Cornelius Curtius Bruxellensis.
Cornelius Lancellotus Belga multis in locis.

D

Dionisius ab Angelis Lusitanus.

E

Eduardus Pacheco in Vita S. Thomæ de Villanova, & aliorum.
Emmanuel de la Cerda Lusitanus.
Emmanuel Leal Lusitanus in Chronico m. s.
Emilius Rasponensis in Vita S. Thomæ de Villanova.
Ven. Eugippus Africanus in Vita S. Severini nostri Ordinis.

F

Ferdinandus de Bezerra in vita Ven. Ferdinandi á S. Josepho.
Franciscus Ribeira in vitis S. P. Augustini & S. M. Monicæ,
Faustinus á Gratia Lusitanus in M. S. Indiæ.

G

Gaspar Mancebon Oriolensis in vita Ven. Joannæ Guillen.
Georgius Maygretius Bononiensis in vita S. Joannis á S. Facundo, & in Martyrographia Augustiniana.

H

Henricus Hyvæus de Hyue Gallus in vita S. Thomæ de Villanova
Henricus Noris Cardinalis in Vindiciis Augustinianis.
B. Henricus de Urimaria Germanus de Origine Eremitarum.
Hieronymus Canton in vita S. Thomæ de Villanova.
Hieronymus de Ghetis Generalis, & Episcopus Interamnensis, in vita B. Rittæ de Cassia.
Hieronymus Roman Hispanus in Chronico, & in vita Ven. Ludovici de Montoya.

I

Jacob Albericus Bergomensis in vitis S. Nicolai de Tolentino, & B. Claræ de Monte Falco.
Jacob Font in tom. 1. Sanctorum nostri Ordinis.
Jacob Jorda Valentinus in Chronicis Valentiæ.
Jacob Vetolonius.
Ignatius Dicher Flander Gandensis in vita B. Joanis á S. Guilelmo.

Joachimus

Joachimus Brulius Brabantinus in vita B. Joannis Chisii, & in Chronico.
Joannes Bartholomæus in Lustris.
Joannes Baptista Carminati in vita S. Nicolai de Tolentino.
Joannes Georgius in vita B. Rittæ.
B. Joannes Hispalensis in vita S. Joannis á S. Facundo.
Joannes Grixalva in Chronico novæ Hispaniæ.
Joannes Gonçalves de Critana.
Joannes Mugnatones Episcopus.
Joannes de Montalito Lelanus in vita B. Joannis de Moya.
Joannes Marques in Chronico Ordinis.
Joannes á S. Josepho Lusitanus.
Joannes Nevius
Joannes Ordes in vita Ven. Mariæ á Fide.
Joannes Rivius in vita S. P. Augustini.
Joseph Pamphilus Episcopus Signinus.
Joseph Sicardus Archiepiscopus in Historia Japponiæ.
Josephus à D. Antonio Lusitanus in Flore SS, & in Iman Spirituali.
B. Jordanus Saxo in Vitis Fratrum.
Julianus Nicolaus Galli de Anghiari in vita B. Rittæ.

L

Lambertus Noverius Flander in vita B. Augustini Novelli.
Lucas Albertus Patavinus in vita S. Nicolai de Tolentino, & B. Claræ.
Lucas Corduventis in vita S. Guilelmi.
Ludovicus ab Angelis in vita S. P. Augustini.
Ludovicus de Azevedo Lusitanus, in vita S. Thomæ de Villanova M. S.
Ludovicus Torelli Mediolanensis in Sæculis, & in tomo SS. Ordinis.
Ludovicus Zachoni de Pizauro in vita S. Antonii de Amandula.

M

Martinus Navarro in vita S. Nicolai de Tolentino.
Mathias Pauli Hasselectensis, Eburo, in vita S. Nicolai de Tolentino.
Mayayus in Patriarchatu.

N

Nicasius Baxius Belga in vitis S. Joannis á S. Facundo, & S. Thomæ de Villanova.
Nicephorus Sebastus in vita B. Joannis Chisii.
Nicolaus Suares Hispanus.

O

Onulphrius Panvinius Veronensis.

P

PAulus Fraxinellus in vitis S. Joannis à S. Facundo, & B. Claræ de *M.* Falco.
Paulus Nazelius in vita S. *M*onicæ, & B. Helenæ Utinenſis.
Petrus delcampo in Chronico Ordinis.
Philippns *A*lbericide Pappazoni de miraculis B. Simonis de Tuderto.
Philippus Elſſius Bruxellenſis in Encomiaſtico Auguſtiniano.
S. Poſſidius Epiſcopus in vita S. P. N. Auguſtini.

R

ROza Dominica Speroni monialis Genuenſis in vitâ S. Limbaniæ.

S

SEbaſtianus *B*roillus Fanenſis, in vita S. Thomæ de *V*illanova.
Sebaſtianus de Portillo in quatuor tomis ſanctorum Ordinis.
Simon Florentinus, Tomaquicius, in vita S. *M.* Monicæ.
Simplicianus à S. *M*artino Gallus in tomo SS. Ordinis.
Stephanus Rabache *A*urelianenſis in vita S. *M.* *M*onicæ.
Spiritus Lazureni in vita *B.* Gratiæ de Catarro.
Sylveſter de *B*alneo regio de Canonizatione *B.* *S*imonis de Tuderto.

T

THadæus de Ripa Tranſona in vita *S.* *M*atris *M*onicæ.
Thomas Gratianus *B*elga in *A*naſtaſi Auguſtiniana.
Thomas de Fermo in vita N. *B.* *B*eltrami Hiſpani.
Thomas de Herrera *M*etimnenſis, vir in hac materia præcipuus, in *A*lphabeto *A*uguſtiniano, in Hiſtoria Salmanticenſi, in Compendio Præſulum Ordinis, & in Clypeo Reſponſionis Pacificæ.
S. Thomas de Villa nova in Sermone Corporis Chriſti.
Touzanus Bandin in vita Ven. Stephani Rabache, qui ſupra.

U

VIncentius Duppe *B*elga in Flammulis amoris B. Claræ de *M*onte Falco &c.
*A*lios omitto.

SE-

SERIES

SANCTORUM, BEATORUM, ET PIORUM VIRORUM

qui in hoc Auguſtiniano Martyrologio, Ordine menſium, & dierum continentur.

JANUARIUS

Dies primus.

1 S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis.
2 S. Arthuagus Gothus.
3 S. Eugendus Abbas Confeſſor.
4 S. Felix Abbas Confeſſor.
5 S. Frodobertus Abbas.
6 S. Mochua Abbas.
7 S. Marinus Abbas.
8 S. Ugolinus de Gualdo Confeſſor.
9 BB. Petrus, & Joannes.
10 Ven. Gregorius Satorre.
11 Ven. Gondiçalus de Almeyda.
12 Ven. Fulgentius de Jezu.
13 Ven. Paulus a S. Joanne.
14 Ven. Andreas Tolera.
15 Ven. Joannes Antonius Bacó.
16 Ven. Michael Toret.
17 Ven. Maria de Abranches.
18 Ven. Maria de Payva.
19 Ven. Franciſca Vidal.
20 Ven. Franciſcus á S. Vincentio.
21 Adventus reliquiarum S. Joannis á S. Facundo in Luſitaniam.

2

1 S. Badulfus Afer Confeſſor.
2 S. Bladulfus Confeſſor.
3 B. Chriſtophorus Petronius Confeſſor.
4 Ven. Franciſcus de Medina.
5 Ven. Gaudentius á S. Benigno.
6 Ven. Marianna Piquer.
7 Ven. Iſotta Pelaguſi.
8 Ven. Maria de Jezu Goenſis.

3

1 S. Blitmundus Confeſſor.
2 S. Genovefa Sanctimonialis.
3 B. Ozilia Virgo.
4 Ven. Petrus Suares.
5 Ven. Genéſa á S. Didaco.
6 Ven. Eliſabetha Anna á Conceptione.
7 Ven. Antonia ab Aſſumptione.
8 Ven. Auguſtina Joanna.
9 Ven. Joannes de Ibarra.

4

1 Bo. Oringa ſeu Chriſtiana Virgo.
2 Decem Beatæ Virgines ejuſdem cœnobii.
3 B. Bartholomæa Albigeſca.
4 Ven. Maria á Purificatione.

5

1 B. Jacoba de Luca.
2 Ven. Andreas á S. Auguſtino.
3 Ven. Joannes á S. Petro.
4 Ven. Joannes á S. Jacobo.
5 Ven. Seraphinus á S. Jacobo.

6

1 Translatio S. Germani Epiſcopi.
2 Prodigium cœnobii Fulginatenſis.
3 Ven. Gabriel de Sahona.
5 Ven. Rodericus Soliz.
5 Ven. Modeſtus á D. Paulo.
6 Ven. Modeſtus ab Spiritu Sancto.
7 Ven. Beatrix Vaz Mentellata.
9 Ven. Vincentius Mantellatus.

7

1 S. Cedus Epiſcopus Londinenſis
2 B. Anſelmus de Monte Falco. Generalis
3 Ven. Cherubinus Rato-
4 Ven. Auguſtinus á S. Gabriele.
5 Ven. Maria á D. Ignatio.
6 Ven. Maria ab Aſſumptione.
7 Ven. Vincentia á S. Joanne.
8 Ven. Catharina ab Spiritu Sancto.

9 Ven. Hyacintha Grau.
10 B. Vitalis Abbas Confeſſor.

8

1 S. Erthinodus Gothus Martyr.
2 B. Lucillus Martyr.
3 S. Fulgentius Epiſcopus Ecijenſis.
4 S. Severinus Noricorum Apoſtolus.
5 B. Eugippus S. Severini diſcipulus.
6 B. Thadæus Canarienſis Luſitanus.
7 Translatio S. Frodoberti Abbatis.
8 Ven. Mathæus Ximenes.
9 Ven. Auguſtinus Vaya.
10 Ven Caſſilda Virgo.

9

1 S. Adrianus Confeſſor.
2 S. Egelfridus Afer Abbas.
3 S. Wanlngus Confeſſor.
4 Translatio S. Judoci Confeſſoris.
5 Ven. Alexander Mancinus.
6 Ven. Didacus de Arce.
7 Ven. Ludovicus Jorda.
8 Ven. Albertus de Jezu Maria.
9 Ven. Maria Baptiſta á S. Auguſtino.

10

1 S. Agatho Pontifex.
2 S. Paulus primus Eremita Confeſſor.
3 S. Setrida Virgo.
4 Relevatio Reliquiarum S. Genovefæ.
5 Ven. Antonius Lozanus.

11

1 S. Salvius Epiſcopus.
2 Ven. Macharius Barnabas Senenſis.
3 B. Petronilla Molaria virgo.
4 Ven. Joannes de Alvarado.
5 Ven. Henricus Lancellotus
6 Ven. Franciſcus Mendes.
7 Ven. Mauritius á S. Brixio.
8 Ven. Julianus á S. Nicolao.
9 Ven. Angela Valeria.
10 Ven. Eſperança Agnes á S. Stephano.

12

1 S. Victorianus Abbas Confeſſor.
2 S. Vincentius Epiſcopus Oſcenſis.
3 S. Nazarius Confeſſor.
4 S. Cæſarea virgo.
7 S. Benedictus Confeſſor.
6 Ven: Claudius Catillena de Stella.
7 Ven. Joannes de Pineda.
8 Ven. Marcellinus Alteſius.
9 Ven. Xiſtus á S. Laurentio.
10 Ven. Damiana Baro.
11 Ven. Magdalena á S. Chriſto.

13

1 S. Remigius Epiſcopus Remenſis.
2 S. Pinianus Confeſſor.
3 B. Veronica de Binaſco virgo.
4 Ven. Joannes á S. Romano.
5 Ven. Ferdinandus á Trinitate.
6 Ven. Nicolaus á Vega.
7 Ven. Didacus Peregrinus.
8 Ven. Margarita á Salvatore.
9 Ven. Eliiabeth. Anna á S. Hieronymo.

14

1 Feſtum Nominis Jezu noſtri Ordinis.
2 S. Eugelmarus Martyr.
3 B. Joannes de Spelunea Generalis.
4 Ven. Gaſpar á Guerra laicus.
5 Ven. Mathias Pauli.
6 Ven. Coſmas á S. Franciſco.
7 Ven. Maria á S. Ignatio vidua.
8 Ven. Hyacintha á Viſitatione.

15

1 S. Paulus primus Eremita Confeſſor.
2 S. Eligius monachus Confeſſor.
3 S. Itta virgo.
4 B. Paulus ſecundus Confeſſor.
5 B. Franciſcus Eugubinus Tertiarius Cõfeſ.
6 Ven. Guilelmus á S. Auguſtino Martyr.
7 Ven. Jacob Lombardis Epiſcopus.
8 Ven. Didacus de Montoya.
9 Ven. Reſtitutus á SS. Sacramento.
10 Ven. Antonia á Fonceca.
11 Ven. Rufina Maria á SS. Sacramento.
12 Ven. Hieronyma á S. Joſepho vidua.

16

1 S. Honoratus Epiſcopus Aelatenſis.
2 S. Jacob Epiſcopus Tarentaſienſis.
3 S. Fauſtus Epiſcopus Rhegienſis.
4 S. Fulgentius Epiſcopus Cartaginenſis.
6 S. Henricus Eremita, & Confeſſor.
7 Revelatio corporis S. Foillani Martyris.
8 Ven. Joannes Recs.
9 Ven. Gabriel de Garafolis.
10 Ven. Joannes Puteanus.
11 Vv. Michael á S. Maria, Petrus, á S. Joſepho, & Franciſcus á S. Monica.
12 Ven. Felicia Zarçuela.

17

1 SS. Antonius, Merulus, & Joannes.
2 B. Gualterus Recluſus Confeſſor.
3 B. Archangela de Panigarola virgo. quam per errorem Fr. Elias á S. Thereſia Carmelita Excalceatus vocavit Archangelum Panigarollum.
4 B. Thadæa de Ferrara virgo.
5 B. Martinus confeſſor.
6 V. Joannes Marqueſius.
7 V. Mathias Flamingy.
8 V. Bonaventura á S. Andrea.
9 V. Benedicta de Vimercato.
10 V. Monica Mediolanenſis
11 V. Agnes ab Aſſumptione Virgo.
12 V. Maria á Fide virgo.
13 Translatio B. Julianæ Leodienſis ſecunda, & prima fuit 7. Aprilis.

18

1 S. Deicolus Abbas Confeſſor.
2 B. Chriſtina de Aquila virgo.
3 V. Angela á Conceptione.
4 V. Andreas á S. Monica.
5 V. Helena de Nigris.

19

1 S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis
2 S. Erwaldus martir.
3 S. Launomarus confeſſor.
4 S. Aurelius Caſſiodorus.
5 V. Bazilius á SS. Sacramento.
6 V. Amandus á S. Joſepho Laicus.
7 V. Eliſabeth Michaela.
8 V. Lucia á S. Petro.
9 V. Antonia de Jeſu.
10 V. Eliſabeth. á Matre Dei.

20

1 SS. Servadius, & Gumecindus Mm.
2 S. Fechinus confeſſor.
3 S. Eoglodius Monachus.
4 Translatio S. Honorati Epiſcopi.
5 V. Alipius Ventell Laicus.
6 V. Antonia á S. Joſepho.
7 Apparitio S. P. Auguſtini B. Jordano de Saxonia.
8 Triumphus Fidei.
9 V. Franciſcus Planes.
10 V. Anna de Jeſu.

21

1 S. Meinardus martir
2 B. Agnes Cornelienſis virgo.
3 V. Anna Maria Garcia.
4 V. Joſepha Pont.
5 V. Joſepha Maria á S. Agnete.
6 V. Franciſcus Velaſques.
7 V. Coſmas á S. Damiano Laicus.

22

1 B. Blaſius de Opima Confeſſor.
2 B. Franciſcus del Corral Confeſſor.
3 V. Petrus de Alomar.
4 V. Ludovica á Salvatore.
5 V. Maria á S. Ignatio Converſa.
6 Prodigium S. P. Auguſtini circa Locuſtas.

23

1 S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus.
2 S. Martyrius monachus.
3 S. Boiſillus Abbas.
4 B. Vittus de Pannonia Confeſſor.
5 V. Joannes Cools.
6 V. Joannes á S. Monica.
7 V. Joſepha Puigdepaſques.

24

2 S. Babilas Monachus.
3 V. Chriſtophorus Villarroel.
4 V. Joanna Evangeliſta Confeſſor.
6 V. Hyacintha Grau.

25

1 S. Rachon Epiſcopus Auguſtodun.
2 B. Antonius de Amandula Confeſſor.
3 B. Jacob de Amandula Confeſſor.
4 V. Joannes Caponatus.
5 V. Marcus Antonius Maſcaros.
6 V. Joannes Baptiſta á S. Eliſabetha.
7 V. Angelicus á S. Eraſmo.
8 V. Paula Aguilera.
9 V. Marianna de Jeſu.

26

1. B. Nicolaus de Tolentino martyr.
2 S. Theoritgida Virgo.
3 S. Bothildes Regina.
4 V. Andreas S. Joſepho.
5 V. Mecia de Jeſu.
6 V. Maria á S. Thoma.
7 V. Angela á S. Joanne.

27

1 S. Palladius Cardinalis.
2 S. Gildas Albanus.

3 S. Emerius Eremita.
4 S. Joannes Abbas.
5 Ven. Joannes Sedenno.
6 Ven. Petrus Suares.
7 Ven. Franciſcus Lopes Epiſcopus.
8 Ven. Petrus Maria.
9 Ven. Catharina á S. Didaco.

28

1 S. Joannes Lerinenſis Confeſſor.
2 Feſtivitas *B.* Veronicæ Virginis.
3 BB. Gerardus Ridder, & Henricus Zeguero *M*artyres.
4 B. Finus Confeſſor.
5 Ven. Tiberius Piccolomineus Senenſis.
6 Ven. Franciſcus de Medina.
7 Ven. Stephanus Salazar.
8 Ven. Vincentia Ferrer Mantellata.

29

1 S. Tayo Epiſcopus Cyracuzanus.
2 S. S. Gildas, ſeu Gildarius Abbas.
3 Ven. Leſmes á S. Jacobo.
4 Ven. Franciſcus Martines.
5 Ven. Andreas ab Incarnatione.
6 Ven. Hilarius Patavinus.
7 Ven. Chriſtina á S. Dominico.
8 Ven. Sebaſtiana á S. Maria, & a Cruce.

30

1 S. Ambroſius Confeſſor.
2 S. Aldegundis virgo.
3 B. Auguſtinus Fivizanus Confeſſor.
4 Ven. Ferdinandus Martyr.
5 Ven. Rodericus á Cruce.
6 Ven. Baſilius Cordeiro.
7 Ven. Joannes de Pinna.
8 Ven. Hieronymus de Moura.

31

1 S. Aydanus Epiſcopus, & Confeſſor.
2 S. Bobinns Epiſcopus, & Confeſſor.
3 *B.* Euſebius Martyr.
4 V. Joannes á S. Romano.
5 V. Auguſtinus á Gratia.
6 V. Nicolaus Puig.
7 Ven. Jacob Sanches.
8 V. Laurentius ab Angelo Coſtode.

FEBRUARIUS.

1

1 S. Klinia Virgo.
2 S. Birgitta virgo.
3 S. Darludacha virgo.
4 S. Verdiana virgo.
5 *B.* Catharina de Oſma.
6 V. Alexius á S. Thoma.

2

1 S. Laurentius Epiſcopus.
2 S. Columbanus Abbas.
3 B. Simon de Caſſia. Cõfeſ. & Doctor.
4 *B.* Theodoricus á Monaſterio.
5 B. Franciſca de Caſteldurante Virgo.
6 B. Paulus Barletta Confeſſor.
7 Ven. Bernardinus á S. Ildephonſo.
8 Ven. Antonius Ripoll.
9 Ven. Innocentia Spinula.
10 Ven. Thereſia de Jeſu.
11 Ingreſſus ad Ordinem S. Thomæ de Villa Nova.
12 Revelatio mortis ejuſdem facta á Chriſto Domino.

4

1 *B.* Auguſtinus Stigni mart.
2 *V.* Angela Spinula.
3 V. Mouſeſſa de Caſſano.
4 V. Joanna Sermet.

4

1 S. Leporius Epiſcopus Uticenſis.
2 S. Leoporius Epiſcopus Carthaginenſis.
3 B. Jacobus Piccolomineus Confeſſor.
4 B. Antonius Alexandrinus Confeſſor.
5 *B.* Chriſtophorus Patavinus Generalis
6 Profeſſio B. Chriſtophori Petronii Senenſis.
7 V. Gabriel á Conceptione.
8 V. Benedictus á S. Damaſo.
9 V. Margarita Volain.

5

1 S. Berthulphus Abbas.
2 S. Paulus diſcipulus S. Paulini.
3 *B*, Jacobus de Neapoli Confeſſor.
4 Ven. Bonifacius Butigella Epiſcopus Laudenſis.
5 Translatio S. Martini Epiſcopi Dumienſis.
6 Ven. Marianna á S. Simeone virgo.
7 Ven. Victoria á S. Stephano.
8 Ven. Eliſabeth á S. Petro.
9 Ven. Joanna á S. Ægidio.
10 Ven. Guiomar á Cruce.
11 Ven. Thereſia Ab Angelis.

12 Ven. Catharina Velda.

6

1 S. Vedaſtus Epiſcopus.
2 S. Amandus Epiſcopus.
3 B. Angelus de Furcis Confeſſor.
4 Ven. Carolus á S. Nicolao.
5 Ven. Eleonora ab Spiritu Sancto.
6 Ven. Guiomar á Præſentatione,
7 Apparitio animarum B. Clementi de Auximo.

7

1 S. Richardus Angliæ Rex.
2 S. Juliana mater S. Demetriadis.
3 B. Bernardus Novarienſis Confeſſor.
4 B. Juliana de Fulgino Virgo.
5 Ven. Remigius Simoens.
6 Ven. Ludovicus Marines.
7 Ven. Joannes Baptiſta á S. Maria Magdalena.
8 Ven. Maria ab Spiritu Sancto.

8

1 S. Stephanus Arvernenſis.
2 S. Paulus Epiſcopus.
3 B. Iaias Bonardus Confeſſor.
4 Ven. Dominicus Serranus.
5 Ven. Ægidius á Præſentatione.
6 Ven. Catharina Guiral.
7 Ven. Maria á S. Vincentio
8 Ven. Auguſtina á S. Guilelmo.
9 Prodigium S. Cruciſixi Goenſis.

9

1 S. Nebridius Epiſcopus
2 S. Anſbertus monachus.
3 S. Attracta Virgo.
4 B. Nicolaus de Tinis Confeſſor.
5 S. Telion Epiſcopus.
6 Ven. Michael á Magdalena.
7 Ven. Thomas de Ribera.
8 Ven. Joannes Baptiſta á S. Maria Magdalena.
9 Ven. Barbara ab Annuntiatione.

10

1 S. Guilelmus Dux Aquitanniæ.
2 S. Auſtreberta Virgo.
3 B. Cheſius á S. Miniato Confeſſor.
4 Ven Joannes á S. Antonio.
5 Ven. Auguſtina Sanches.
6 Ven. Mencia Compte.

11

1 S. Severinus Abbas Agaunenſis.
2 S. Hemnémodus Abbas.
3 B. Guilelmus Monkelaus Confeſſor.
4 Ven. Simeon à S. Cruce.
5 Ven. Eliſabeth à Cruce.
6 Translatio S. Redegundis Reginæ.

12

1 S. Ethervoldus Epiſcopus.
2 S. Riocus Monachus.
3 B. Martinus de Ullate Confeſſor
4 Ven. Nicolaus de Tolentino.

13

1 S. Stephanus Ratenſis Confeſſor.
2 S. Modomnôcus Monachus.
3 Ven. Eliſabeth de Mançanado.
4 Ven. Anna à S. Hieronymo.
5 Ven. Lucia à Coſta.

14

1 B. Chriſtina de Vicecomitibus Virgo.
2 Ven. Didacus é Clavibus.
3 Ven. Hieronyma Bruſca.
4 V. Sanctus á S. Joſepho.
5 Translatio Ven. Joannis á S. Guilelmo

15

1 S. Quinidius Epiſcopus.
2 S. Berachius Confeſſor.
3 S. Severus Confeſſor.
4 B. Angelus á S. Sepulchro Confeſſor.
5 Ven. Auguſtinus Cornetanus.

16

1 Ven. Bartholomæus ab Angelis mart.
2 Ven. Gaſpar Canus Epiſcopus.
3 Ven. Alipius á S. Franciſco.
4 Ven. Franciſcus de Brionis.
5 Ven. Eliſabeth á SS. Trinitate.

17

1 S. Finanus Epiſcopus.
2 Ven Alipius á S. Joſepho.
3 Ven. Joſephus Carreres.
4 Ven. Margarita Romana.
5 Veu. Maria Berenguier.
6 Ven. Joanna á S. Michaele.

18

1 S. Helladius Epiſcopus.
2 S. Colmanus Epiſcopus.
3 Ven. Mauritius de Tertiis.
4 Ven. Joannes Ramires.
5 Ven. Hieronyma ab Incarnatione.
6 Ven. Anna á SS. Trinitate.
7 Ven. Urſula á SS. Trinitate.
8 Ven. Florentina á S. Clara.
9 Ven. Joanna de Jeſu.
10 Ven. Maria á Paſſione.

19

1 B. Firmus Africanus Confeſſor.
2 Ven. Petrus Telleſius.
3 Ven. Maria Martins.
4 Ven. Ludovica á S. Petro.
5 Ven. Aloyſia ab Expectatione.
6 Ven. Eliſabeth. Michaela.
7 Ven. Thomaſia Abella.

20

1 B. Mauritius de Proeta Ampurias Conf.
2 B. Columba Virgo.
3 B. Vitalis Pauper Confeſſor.
4 B. Petrus de Fabriano Confeſſor.
5 Ven. Bartholomæus de Ptolomæis.
6 Ven. Antonius Coelho.

21

1 S. Sitifenſa Monacha.
2 S. Germanus martyr.
3 Ven. Simon á Cruce.
4 Ven. Joſephus á S. Calixto.
5 Ven. Joſepha Sanches.
6 Ven. Cæcilia Segura.
7 Proceſſio Brachii S. Joannis á S. Facundo.

22

1 B. Sebaſtianus Africanus Confeſſor.
2 BB. Gerardus Ridder, & Henricus Zegherus martyres.
3 B. Salvator de Tuſa Confeſſor.
4 Ven. Hieronyma á Matre Dei.
5 Ven. Joanna Garde.

23

1 B. Dorothæus á S. Germano Confeſſor.
2 Ven. Maria á Viſitatione.
3 Sudor S. Nicolai de Tolentino.
4 Profeſſio B. Didaci á Turre.

24

1 BB. Joannes Munis, & Franciſcus de Aguilar martyres.
2 Ven. Emmanuel Mudarra.
3 Ven. Franciſcus Clemens.
4 Ven. Beatrix Maria.
5 Ven. Joanna Craſpi.

25

1 B. Valerius Eremita Confeſſor.
2 Ven. Bernardus Ohiguin Epiſcopus.
3 Ven. Emmanuel á Conceptione.
4 Ven. Franciſcus Maria.
5 Ven. Hieronymus Alcorifa.
6 Franslatio S. Turſæi.

26

1 S. Victor Confeſſor.
2 Ven. Alphonſus de Alvarado.
3 Ven. Alphonſus de Alhos Vedros.
4 Ven. Marcella Borras.
5 Franslatio S. Ansberti Epiſcopi.

27.

1 S. Leander Epiſcopus, & Confeſſor.
2 S. Navigius Frater S. P. Auguſtini.
3 S. Nebridius S. P. Auguſtini familiaris.
4 Ven. Joſephus Simon.
5 S. Cunganus Confeſſor.
6 Ven. Juſtinus á SS. Sacramento.
7 Ven. Amaurea Trochel.
8 Ven. Franciſca Brean.
9 Ven. Marianna á Cruce.
10 Translatio Ven. Eſperancæ Borras.

28

1 S. Romanus Abbas Jurenſis Confeſſor.
2 S. Romanus Epiſcopus Remenſis.
3 S. Sabinianus Jurenſis Confeſſor.
4 S. Romanus Emeritenſis Confeſſor.
5 B. Alphonſns de Borja Confeſſor.
6 B. Marianna Dias Matricalenſis.
7 Repoſitio Corporis S. Radegundis Reginæ.
8 Ven. Bartholomæus de Funcalda Epiſcop.
9 Ven. Paula ab Spiritu Sancto.
10 B. Guilelmus Amidanus Cremonenſis Generalis, & Epiſcopus.
11 Ven. Maria á S. Joſepho.

29

1 Translatio ſecunda S. P. Auguſtini.

2 S. Victor discipulus S. Galli.
3 Ven. Maria á S. Josepho.

MARTIUS.

1

1 S. David Episcopus.
2 S. Albinus Episcopus.
3 S. Herculanus Episcopus, & martyr.
4 S. Rodesindus Episcopus.
5 B. Lanfrancus Generalis Confessor.
6 B. Ludovicus de Capua Confessor.
7 Ven. Andreas Lopes.
8 Ven. Jacob Lopes.
9 Ven. Franciscа Munox.
10 Ven. Maria Magdalena.
11 Ven. Margarita Berti.
12 Translatio B. Imeldæ virginis.
13 Inventio corporis B. Thadæi Lusitani.
14 Translatio S. Eustasii Confessoris.

2

1 S. Ceadda Episcopus.
2 B. Georgius á Rosa martir cum altero Fratre.
3 Ven. Franciscus Gamboa Archiepiscopus.
4 Ven. Marcus á S. Anna.
5 Ven. Vincentia á S. Francisco.
6 Ven. Maria á S. Barbara.
7 Ven. Emmanuela Torres.
8 Electio S. Gelasii in Summum Pontificem.

3

1 S. Bonifacius Africanus.
2 S. Caluppanus Eremita, Confessor.
3 S. Winalocus Abbas Confessor.
4 Ven. Marcus Antonius Camos.
5 Ven. Simon Martines.
6 Ven. Bartholomæus á S. Theresia.
7 Ven. Agatha Pastor.
8 Ven. Bernarda Figueres.
9 Ven. Franciscus Mellini Episcopus.

4

1 B. Ludolphus de Camoslaria confessor.
2 B. Josephus de Parada confessor.
3 S. Owinus confessor.
4 B. Helena Comensis virgo.
5 Ven. Mathæus Peres Episcopus.
6 Ven. Franciscus Salelles.
7 Ven. Stephanus Gatel.
8 Ven. Zacharias á S. Petro.
9 Ven. Anna a Cruce.
10 Ven. Joanna Revier.
11 Ven. Maria Berti.

5

1 S. Vigilius Episcopus Arelatensis.
2 S. Tharasia Uxor S. Paulini.
3 B. Hieronymus de Recanate confessor.
4 Ven. Joannes de Villamos.
5 Ven. Joannes á S. Jacobo.
6 Ven. Marianna Cordubensis.
7 Ven. Franciscа á Serra.
8 Ven. Josepha á S. Joanne.
9 Ven. Ursula Igosi.
10 Ven. Maria ab Expectatione.
11 Elevatio B. Alexandri de Olivia ad purpuram cardinalitiam

6

1 B. Finus de Buris confessor.
2 Ven. Joannes Morejon.
3 Ven. Marianna á S. Josepho.
4 Ven. Catharina á S. Dominico.
5 Ven. Theresia de Jesu.
6 Ven. Renata á S. Joanne Baptista.

7

1 S. Equitius Abbas confessor.
2 B. Christina monialis virgo.
3 Ven. Augustinus de Arboleda.
4 Ven. Franciscus Conil.
5 Ven. Esperança á S. Augustino.
6 Ven. Maria Belon.
7 Ven. Maria á Præsentatione.

8

1 S. Julianus monachus.
2 S. Mochauna discipulus S. Columbæ.
3 BB. Michael Angelus, & Josephus á S. Geminiano Martyres
4 Ven. Ludovicus Alvares de Toledo.
5 Ven. Josephus á S. Agnete.
6 Ven. Philippa Correa.
7 Ven. Cæcilia á S. Francisco.
8 Ven. Maria ab Angelis.
9 Ven. Paula Antonia á S. Augustino.

9

1 S. Catharina Bononiensis virgo.
2 B. Simon de Camerino confessor.
3 BB. Clareta, & Illuminata virgines.
4 B. Margarita de Clavibus.
5 Ven. Guilelmus á S. Francisco.
6 Ven. Margarita de Jesu.

10

1 S. Droctoveus Abbas confessor.

2 S. Attalas Abbas confeſſor.
3 S. Emilianus Abbas confeſſor.
4 Ven. Maria Raymundes.
5 Ven. Felicia Colas.
6 Ven. Placida Antonia á Nativitate.
7 Ven. Barbara March.
8 Translatio corporis Ven. Alexii de Menezes.

11

1 S. Euthymius Epiſcopus, & Martir.
2 S. Conſtantinus Rex, & Martir.
3 S. Vincentius Abbas.
4 S. Ramirus Martir.
5 S. Firminus Abbas confeſſor.
6 B. Julianus monachus confeſſor.
7 B. Bandinus de Scottis confeſſor.
8 B. Brunetus de Roſſis confeſſor.
9 Ven. Clementia Benedicta.
10 Ven. Maria á S. Auguſtino.
11 Ven. Thereſia de Jeſu.
12 Ven. Columba ab Spiritu Sancto.

12

1 S. Gregorius Papa.
2 B. Paulus Epiſcopus.
3 Ven. Joannes del Corral.
4 Ven. Eliſabetha Ardeſia.
5 Ven. Maria ab Spiritu Sancto.
6 Ven. Caſſilda á S. Paulo.
7 Ven. Catharina Ægiptiaca.
8 Ven. Urſula á S. Hyacintho.
9 Ven. Joſepha á Nativitate.

13

1 S. Severus Archiepiſcopus.
2 B. Pulcherius monachus
3 Ven. Paulus Eremita.
4 Ven. Nicolaus de Bruno.
5 S. Geraldus Abbas, & Epiſcopus.
6 Ven. Joanna Baptiſta.
7 Ven. Joſeph. Ramos.
8 Ven. Michael Fernandes.

14

1 Duo Monachi Martyres.
2 S. Mathildis Regina.
3 S. Florentina virgo.
4 B. Gundiſalvus de Barahona confeſſor.
5 Ven. Paulinus de Mediolano.
6 Ven. Nonzius á Conceptione.
7 Ven. Perpetua Novella.
8 Ven. Zacharias á S. Petro.

27

1. S. Fethnus monachus.
2 Ven. Onuphrius Panvinus.
3 Ven. Joſephus Marcus-Ramos.
4 Ven. Michael Lay.
5 Ven. Joannes Baptiſta á D. Jacobo.
6 Ven. Gregorius á Conceptione.
7 Ven. Maria Agnes Galurana.
8 Ven. Maria Victoria ab Aſſumptione.

16

1 S. Finanus Abbas.
2 B. Torellus de Puppi confeſſor.
3 B. Didacus Ortiz martir.
4 Ven. Eliſabeth. Neapolitana.
5 Ven. Gregoria ab Spiritu Sancto.
6 Ven. Maria ab Incarnatione.

17

1 S. Patritius Epiſcopus.
2 S. Mocuvius Epiſcopus.
3 S. Marcus Aurelius Caſſiodorus.
4 Wen. Antonius Elvenſis, & Innocentius martyres.
5 Ven. Hieronymus Seripandus Generalis, & Cardinalis, & Concilii Tridenti Præſes.
6 Ven. Antonius Molinas.
7 Ven. Thomas á S. Hieronymo.
8 Ven. Magdalena Palomar.
9 Ven. Agnes á S. Getrude.
10 Translatio S. Bathildis Reginæ.

18

1 Feſtum S. Michaelis Archangeli.
2 Paſſio unius Martyris in Indiis.
3 B. Illuminata Bemba virgo.
4 Ven. Lucas á Reſurrectione.
5 Ven. Joſephus á S. Auguſtino, & Michael à Viſitatione.
6 Ven. Alexander à S. Franciſco.

19

1 S. Joſeph. Protector Ordinis.
3 Wen. Athanaſius de Jeſu, & Gaſpar ab Angelis Martyres.
4 Ven. Franciſcus à Cruce.
5 Ven. Petrus à Gratia.
6 Ven. Beatrix de Oroſco.
7 Ven. Helena à S. Joſepho.
8 Ven. Eliſabeth. de Jeſu.

20

1 D. Martinus Epiſcopus Bracharenſis.
2 S. Vulfranus Epiſcopus.
3 S. Cutbertus Epiſcopus.

S. He-

4 S. Herebertus Abbas.
5 B. Clemens Britanus confeſſor.
6 Ven. Alphonſus á S. Auguſtino.

21

1 S. Lupicinus Abbas confeſſor.
2 S. Endeus Abbas.
3 B. Ugolinus Mantuanus confeſſor.
4 B. Angela Brixia virgo.
5 Ven. Auguſtinus Geminianenſis Epiſcopus.
6 Ven. Joannes Ferrarius.
7 Ven. Aldonça Monialis.
8 Ven. Victoriana á S. Ludovico.
9 Ven. Anna á SS. Sacramento.
10 Ven. Monica Ferrer.
11 Ven. Maria á SS. Trinitate.

22

1 S. Deogratias Epiſcopus.
2 Ven. Petrus á Cruce.
3 Ven. Eliſabeth á Reſurrectione.

23

1 SS. Liberatus, & ſocii martyres.
2 S. Eingaris martyr.
3 S. Ædevaldus monachus.
4 S. Benedictus monachus.
5 B. Petrus Eugubinus confeſſor.
6 B. Conſtantia Xira Mantellata.
7 Ven. Joannes das Penhas.
8 Ven. Petrus de Caſtrillo.
9 Ven. Angela Teſa.
10 Ven. Anna á Paſſione.

24

1 S. Domangartus Epiſcopus.
2 B. Cherubinus de Aviliana confeſſor.
3 B. Gabriel de Chinucio confeſſor.
4 Ven. Cæleſtinus Labonia Epiſcopus.
5 Ven. Ludovicus Monterius.
6 Ven. Thereſia á S. Anna.
7 Ven. Catharina Gomes.

25

1 S. Enanus monachus.
2 B. Lucia Lanteri virgo.
3 Ven. Firdinandus de Toleto.
4 Ven. Anna á Matre Dei.
5 Ven. Joſephus Almanſa.
6 Inventio corporis Ven. Andreæ Foleta.

26

1 S. Braulius Epiſcopus.
2 B. Sancta de Genaſano virgo tyr.
3 Ven. Michael á S. Joſepho Mar
4 Ven. Franciſcus á Villa-franca.
5 Ven. Joannes de Velaſco.
6 Ven. Paulus á S. Petro.
7 Ven. Serezola monialis.

27

1 B. Auguſtinus de Favaronibus Archiepiſcopus.
2 B. Guilelmus Singhamus confeſſor.
3 Ven. Hyacinthus de Jeſu Maria.
4 Ven. Hieronymus LLoſcos.
5 Ven. Joſeph Milan.
6 Ven. Catharina à S. Franciſco.

28

1 S. Spes Abbas.
2 B. Paula Baptiſta à Mozucava.
3 Ven. Vincentius Ferreira Luſitanus.
4 Ven. Anna à Vega.
5 Ven. Auguſtina Ulloa.
6 Ven. Emmerentiana ab Aſcenſione.
7 Ven. Joſepha à Matre Dei.

29

1 SS. Euſtaſius Abbas.
2 S. Furlacus Eremita.
3 S. Fridiburga monialis.
4 B. Antonius Ravenas confeſſor.
5 W. Antonius Bonis, & Nicolaus martyres.
6 Ven. Dioniſius de Jeſu Maria.
7 Ven. Catharina à Sepulchro.
8 Ven. Agnes à Sanctiſſimo Sacramento

30

1 B. Amadeus Cardinalis.
2 Ven. Petrus Ramos Luſitanus.
3 Ven. Petrus à S. Georgio.
4 Ven. Auguſtinus Hoſpitalis.
5 Ven. Franciſcus Proſper Campins.
6 Ven. Anna à S. Sebaſtiano.
7 Ven. Clara Andrea.

31

1 S. Renovatus Archiepiſcopus Emeritenſis.
2 B. Hermanus de Allis confeſſor.
3 Ven. Franciſcus à Cruce.
4 Ven. Michael Fernandes.
5 Ven. Dorothea de Jeſu.
6 Ven. Maria de Jeſu.
7 Ven. Maria à SS. Trinitate.

8 Translatio SS. Wandregiſili, & aliorum
9 Translatio S. Aldelmi.
10 Translatio S. Audoeni.
11 Conceſſio recitandi officium Romanũ.

APRILIS

1

1 S. Venantius Monachus.
2 S. Walericus Abbas confeſſor.
3 S. Florentia virgo.
4 B. Joannes Vallis Attini Confeſſor.
5 Ven. Eliſabeth ab Angelis.

2

1 S. Nicetas monachus.
2 B. Auguſtinus Triumphus Confeſſor.
3 Ven. Fabianus Clavarius.
4 Ven. Emmanuel ab Spiritu Sancto.
5 Ven. Hieronymus Deça, vel á Chriſto.
6 Ven. Hyeronyma de Jeſu.
7 Ven. Catharina Cros.
8 Ven. Mauritia á Sacramento.
9 Ven. Clara á Nativitate.

3

1 B. Albertus Patavinus Confeſſor.
2 B. Hieronymus Bonſignorius Confeſſor.
3 Ven. Laurentius de Moraes.
4 Ven. Jacob Villaguindo.
5 Ven. Antonius á S. Martino.
6 Ven. Franciſcus de Jeſu.
7 Ven. Eliſabetha de Noronha.
8 Ven. Catharina á Monte Carmelo.
9 Ven. Urſula á Conceptione.
10 Translatio S. Pharæ Virginis.

4

1 S. Ambroſius Epiſc. Mediolanenſis.
2 S. Iſidorus Epiſc. Hiſpalenſis.
3 B. Nicolaus Bandinellus Confeſſor.
4 B. Joannes Incontrius Confeſſor.
5 B. Joannes Eſtacius Luſitanus Confeſſ.
6 Ven. Joannes á Magdalena.
7 Ven. Gaſpar á Plagis Luſitanus.
8 Ven. Auguſtinus á S. Joſepho.
9 Ven. Magdalena á Plagis.
10 Ven. Eliſabetha de Jeſu.
11 Ven. Hieronyma á Præſentatione.
12 Ven. Maria á S. Michaele
13 Ven. Agnes de Jeſu.
14 Translatio S. Paulini Epiſcopi Nolani.
15 Prodigium S. Crucifixi Talaveræ.

5

1 B. Juliana Leodienſis virgo.
2 Ven. Joannes Leodienſis.
3 Ven. Joannes Almaras.
4 Ven. Catharina Thomaſia.
5 Ven. Thomas á Cruce.
6 Ven. Joannes Viveros.

7

1 Winebaudus monachus.
2 B. Sanctus de Surrento Confeſſor.
3 B. Sabinus de Sabinis Senenſis. Conf.
4 B. Notkerus Balbus.
5 Ven. Joannes Chriſoſtomus.
6 Ven. Eugenia Ivanes.
7 Translatio S. Lupi Epiſcopi.

7

1 S. Severus Africanus.
2 S. Uſo Monachus.
3 S. Urbanus Abbas.
4 B. Arrhigus, ſeu Henricus de Miratorio Confeſſor.
5 Ven. Ermentrudis Virgo.
6 Ven. Didacus de Aranna.
7 Ven. Apollonia de Jeſu.
8 Ven. Catharina de Jeſu.
9 Ven. Catharina Ximeno.
10 Ven. Eliſabetha Joanna.
11 Ordinatio S. Patritii.
12 Translatio S. Leandri Epiſcopi.
13 Translatio S. Victoriani.
14 Ceſſio Pontificatus B. Amadei.
15 Translatio prima B. Julianæ Leodienſis.

8

1 B. Clemens de Auximo Generalis Cõf.
2 Ven. Zacharias a Viſitatione.
3 Ven. Michael Angelus á S. Juſtina?
4 Ven. Onuphrius Llorens.
5 Ven. Emmanuel á Gratia Luſitanus.
6 Ven. Lucia Petra monialis.

9

1 Translatio S. M. Monicæ.
2 S. Gaucherius Monachus.
3 S. Fancherius Monachus.
4 B. Mathæolus de Camerino Confeſſor.
5 Ven. Andreas á S. Auguſtino.
6 Ven. Fulgentius ab Spiritu Sancto.
7 Ven. Petrus Ramires.
5 Ven. Bartholomæus á S. Maria.
9 Ven. Margaritta Thomay.

Ven.

10 Ven. Joanna Martins.
11 Ven. Joanna Tertiaria.
12 Ven. Magdalena Serret.
13 Ven. Hyacintha de Jesu.

10

1 B. Albertus Senensis Confessor.
2 Elevatio Corporis B. Marchesinæ de Mareotis.
3 Ven. Lucentius Episcopus.
4 Ven. Laurentius Segorbiensis.
5 Ven. Franciscus Guilelmus Gombau.
6 Ven Joannes Hieronymus ab Spiritu Sancto.

11

1 S. Gurlacus Confessor.
2 S. Wikeranus Abbas.
3 S. Maccæus discipulus S. Patritii.
4 S. Godoberta.
5 B. Raynerius Osnabrucensis Confessor.
6 B. Reginaldus discipulus S. Guilelmi Confessor.
7 B. Joannes Benedictus Confessor.
8 Martyrium Fratrum Londinensium.
9 Ven. Joanna Tous monialis.
10 Ven. Maria á S. Dominico.
11 Translatio S. Victoriani.
12 Translatio S. Juliani.

12

1 S. Ambrosius discipulus S. Paulini.
2 S. Florentinus discipulus S. Cæsarii.
3 B. Joanna Lambertinis.
4 Ven. Petrus de Villanova.
5 Ven. Catharina de Medicis vidua, & Monialis.
6 Ven. Elisabetha á Cruce.
7 S. Paulus discipulus S. Paulini.

13

1 S. Caradocus Anglus.
2 S. Erkemboldus Monachus.
3 B. Antonius Senensis Confessor.
4 B. Joannes Rochus de Portiis Conf.
5 Ven. Simon de Tornaquitiis.
6 Ven. Franciscus de Jesu Lusitanus.
7 Ven. Joanna á D. Nicolao.

14

1 S. Lambertus Episcopus.
2 S. Vilicarius Episcopus, & monachus.
3 Ven. Bernardus Jorda.
4 Ven. Ludovicus Sisternes.
5 Ven. Felicitas Ascensio.

15

1 S. Paternus Episcopus.
2 S. Rodanus Abbas.
3 S. Sylvester monachus.
4 Ven. Prosper á S. Monica.
5 Ven. Maria Guillen.
6 Ven. Hieronyma Pitarch
7 Translatio S. Othmari Abbatis.

16

1 Fructuosus Episcop. Bracharensis.
2 S. Guilelmus Politiensis Confessor.
3 Ven. Petrus Vaquero.
4 Ven. Marianna á S. Josepho.
5 Ven. Maria de Lacerda.

17

1 SS. Elias, Paulus, & Isidorus, martyres.
2 S. Paternus Episcopus.
3 S. Secubilius Abbas.
4 B. Jacob de Cerqueto Confessor.
5 B. Jacob Anconitanus Confessor.
6 Ven. Thomas de Jesu Lusitanus.
7 Ven. Sebastianus á S. Vincentio.
8 Ven. Franciscus Azuara.
9 Ven. Maria á Matre Dei.

18

1 S. Perfectus Cordubensis marsyr.
2 S. Laureanus Abbas.
3 S. Fructuosus Abbas.
4 B. Andreas á Monte Regali Confessor.
5 B. Julia de Certaldo virgo.
6 Ven. Constantinus á S. Joanne Baptista.
7 Ven. Honoratus á S. Margarita.
8 Ven. Violanta Betti monialis.
9 Ven. Anna de Buissi.
10 Ven. Elisabeth ab Ascensione.
11 Ven. Eleenora á Cruce.
12 Ven. Franciscа de Jesu.

19

1 B. Antonius de Fano Confessor.
2 Ven. Alter Antonius de Fano.
3 Ven. Simon Morales.
4 Veni Rochus ab Incarnatione.
5 Ven. Felix á S. Josepho.
6 Ven. Mariæ Paracleti.
7 Ven. Theodora á S. Gregorio.

Ven.

8 Ven. Agnes ab Incarnatione.
9 Ven. Anna Pinet, ſeu de Jeſu.
10 Inventio Corporis Ven. Poſſidonii Michaelis.
11 S. Calafranus Abbas Afilcanus.

20

1 S. Mariannus Confeſſor.
2 S. Agnes de Monte Politiano virgo.
3 B. Philippus de Monte Politiano Conf.
4 B. Simon de Tuderto Confeſſor.
5 Ven. Cherubinus á S. Joſepho.
6 Ven. Catharina á SS. Trinitate.
7 Translatio B. Auguſtini Novelli.
8 Translatio B. Petri Eugubini.

21

1 S. Mamertinus Confeſſor.
2 B. Damianus de Udanços Confeſſor.
3 Ven. Baſtilla monialis.
4 Veo. Maria de Jeſu.
5 Ven. Catharina Mengaut.

22

1 S. Opportuna virgo.
2 B. Guilelmus Mediolanenſis Confeſſor.
3 Ven. Antonius de Monte Arrojo.
4 Ven. Franciſcus á S. Anna.
5 Ven. Eſperança á S. Rita.
6 Vec. Eliſabeth á SS. Trinitate.

23

1 S. Ibarus Monachus.
2 SS. Romula, Redempta, & Hirundo.
3 S. Puſinna.
4 B. Helena Utinenſis virgo.
5 B. Gabriel Venetus Generalis.
6 Ven. Angelus á S. Severino.
7 Ven. Leonardus Utinenſis.
8 Ven. Dominica Utinenſis.
9 Ven. Cherubinus Laoſius.
10 Ven. Gaſpar Mancebon.
11 Ven. Jacob Maria Badaraco.
12 Ven. Franciſca á S. Paulo.
13 Ven. Agnes ab Aſſumptione.
14 Translatio S. Lupi Epiſcopi.

24

1 S. Mellitus Epiſcopus.
2 B. Petrus Monterius martir.
3 B. Joannes de Amorim.
4 B. Gemma Sulmonenſis.
5 Baptiſmus S. P. Auguſtini.
6 Ven. Margaritta Martinon.
7 Ven. Maria a S. Joſepho.
8 Ven. Joſephus á Sylva.
9 Inventio Corporis Ven. Petri de Aguſto Epiſcopi.

25

1 B. Petrucia de Genazano Virgo.
2 B. Sancta de Genazano Virgo.
3 Ven. Ignatius Roger.
4 Ven. Jacob ab Epiphania.
5 Ven. Maria de Vaſſois.
6 Ven. Marianna á D. Paulo.
7 Ven. Maria á SS. Trinitate.
8 Ven. Maria á Salvatore.
9 Translatio S. Droctovei Abbatis.

26

1 S. Egbertus monachus.
2 S. Paſchaſius Abbas.
3 Laicus quidam Venerabilis.
4 Ven. Joannes Gallæcus Laicus.
5 Ven. Geneſius de Ocana.
6 Ven. Clara á D. Paulo.

27

1 B. Antonius de Fontibus Confeſſor.
2 Ven. Martinus Laicus.
3 Ven. Simeon á S. Thadæo.
4 Ven. Antonius Ægidius.
5 Ven. Maria á S. Joſepho.
6 Ven. Ludovica á Præſentatione.

28

1 S. Allodius Epiſcopus.
2 S. Cronanus Abbas.
3 Ven. Marius Forſacineus.
4 Ven. Nicolaus Scutelius.
5 Ven. Petrus Henriques Paſtor.
6 Translatio Corporis S. Winaloci.

29

1 B. Joannes de Fano martir.
2 B. Franciſchinus de Ravenna Confeſ.
3 Ven. Michael. ab Angelis.
4 Ven. Eliſabetha Turonenſis.
5 Manatio Sanguinis S. Nicolai.

30

1 S. Petrus Monachus.
2 S. Erconvaldus Epiſcopus.
3 S. Mamertinus Confeſſor.
4 S. Demetriades Virgo.
5 B. Antonius Patritius Confeſſor.
6 B. Andreas de Luca Confeſſor.
7 B. Juliana monialis.
8 Ven. Auguſtinus de Urbe Caſtelli.
9 Ven. Paulinus Senenſis.
10 Ven. Melchior de Arazil.
11 Ven. Laurentius á S. Joſepho.
12 Ven. Antonius de Aragonia.

PRO-

PROTESTATIO
AUTHORIS.

DECRETIS Summorum Pontificum obtemperans, & præcipue Urbani Octavi, & Sacræ Congregationis, emanatis, annis 1625. 1631, 1624, & 1642, vel aliis, ſiqua dantur, & S. Inquiſitionis ſtatutis, de genu, & humiliter proteſtor, quod in hoc Martyrologio, vel in aliis noſtris operibus, ſcribens elogia Sanctorum, aut Venerabílium, nondum ab Eccleſia reviſa, & approbata circa eorum virtutes, & miracula hic relata, nullatenus intendo determinationem S. M. Eccleſiæ prævenire, aut illi in minimo contraire, vel opponi, imo confiteor, talia elogia, nullam promereri fidem, niſi ad plurimum hiſtoricam, ut pote fundatam in authoritate humana, & fallibili. Unde omnium hic contentorum judicium S. M. Eccleſiæ, & his, ad quos ſpectat, omnino relinquo, quorum correctioni penitus me ſubjicio, & omnia mea; in cujus teſtimonium hic, ſicut & in fine ſecundi, & tertii tomi me ſigno: Oliſippone in Cœnobio Gratiarũ die 12 Novembris, anno 1636, & in præſentiarum iterum confirmo die 12. Auguſti anno 1744

Mag. Fr. Joſephus ab Aſſumptione Auguſtinianus.

MAR-

PROTESTATIO AUTHORIS.

DECRETIS Summorum Pontificum obtemperans, & præcipue Urbani Octavi, & Sacræ Congregationis, emanatis annis 1625. 1631, 1634, & 1642. vel aliis, fidem dantur, & S. Inquisitionis fautoris, de gestis, & hactenus protectori, quod in hoc Martyrologio, vel in aliis meis operibus, scribens elogia Sanctorum, aut Venerabilium, nondum ab Ecclesia recepta, & approbata circa eorum virtutes, & miracula hic relata, nullatenus intendo determinationem S. M. Ecclesiæ prævenire, aut illi in minimo contrarie, vel opponi, imo contrarium, talia elogia, nullam prometeri fidem, nisi ad plurimum humanam, ut pote fundatam in authoritate humana, & falibili. Unde omnium hic contentorum judicium S. M. Ecclesiæ, & his, ad quos spectat, omnino relinquo, quorum correctioni pronus me subjicio, & omnia mea in quibus testimonium hic, sicut & in hac secundi, & tertii tomi me signo: Oblippone in Cenobio Gratarū die 12 Novembris, anno 1636, & in præcedentium iterum confirmo die 12. Augusti anno 1744.

MAR-

MARTYROLOGII AUGUSTINIANI

PER SINGULOS TOTIUS ANNI DIES DISTRIBUTI.

PARS PRIMA.

JANUARIUS.

KALENDIS JANUARIJ.

I.

A. In Africa festivitas Sancti Fulgentii Ruspensis Episcopi, qui e nobilibus parentibus natus, factus adolescens, magno Dei amore inflammatus, S. P. Augustini habitum induit Eremiticum, ubi virtutibus, & studiis dans operam, in utroque singulariter emicuit; ob quæ Abbas, & postea Episcopus Ruspensis, licet invitus, creatus est. Cum tamen interea Wandalicæ persecutionis rabies per Africam grassaretur, & præcipue in Sanctos Episcopos fúreret, tunc & ipse ob Catholicam Fidem ab Arianis multa perpessus, ab illis in Sardiniam relegatus est, á qua post aliquot annos Ruspensem rediens Ecclesiam, ibidem vita, & meritis clarissimus, viam universæ carnis hac die ingressus est, cujus festum in nostro Ordine Sedis Apostolicæ indultu celebratur quarto decimo Kalendas Februarii. *B.* Toleti in Hispania in monasterio Sislæ memoria S. Arthuagi Gothi, qui e nobilissimo Regum Gothorum sanguine natus, agnoscens mundi, & palatii fallacias, in idem cænobium, cui nomen erat S. Crucis, vel S. Mariæ, & S. Augustini, confugiens, in monachum attonsus est, ubi se se mirabilem omnium virtutum genere patefecit, ob quod, Abbate deficiente, unanimi consensu Abbas electus est, in quo munere, miro observantiæ zelo conflagravit. Cæteris exemplar erat, pœnitentia rigidus, jejuniis continuus, humilitate profundus. Postquam autem nonnulla scriberet, & prædicationis verbo plures ad Christi fidem converteret, tandem innumeris meritis cumulatus, & Sacramentis præmunitus suos, Fratres ad Regulæ observantiam adhortans, senio confectus, supremum diem clausit. *C.* Galliæ in monasterio Jurensi. S. Eugendi Abbatis, qui a teneris annis, septimum enim duntaxat implebat, ad Religionem vocatus cælesti visione, ibidem rara sanctimonia vixit. Fuit Dæmonibus formidabilis, & prophetia clarus, & cum D. Martinum Episcopum mirabiliter coleret, ab

illo perſæpius viſitatus eſt: tandem poſtquam Deo in Religione per quinquaginta tres annos, & medium deſerviret, ſuavi ſomno quieſcens, ad requiem ſempiternam volavit. D. In Africa in monaſterio Vincentino. Sancti Felicis Abbatis, qui tempore S. Fulgentii floruit ſanctitate; donec annis, & meritis plenus, animam coronandam exhalavit. E. In Gallia in cænobio Precaſino. Sancti Frodoberti Abbatis, & ejuſdem cænobii fundatoris, qui á teneris annis Deo gratus, claris cæpit clarere prodigiis, matri enim ſuæ viſum, ſigno crucis facto, reſtituit. Cum autem Religionis amore intenſius arderet, ad monaſterium Luxovienſe a S. Columbano fundatum ſe contulit, ubi vitam rara ſimplicitate, abſtinentia, & ſanctitate tranſegit, & multis miraculis claruit, donec a Clodoveo ſecundo Galliæ Regè locum ad monaſterium in urbe Tricaſſina adeptus, & plures coadunans ſodales, ibidem ſuarum ſpargens odorem virtutum, jam annis conſummatus, horam ſui tranſitus prædicens, finita Sancti Mathæi Evangelii lectione, coram poſitis Fratribus, obdormivit in Domino, & poſt mortem innumeris claruit miraculis. F. In Hibernia in cænobio Ballenſi B. Mochuæ Abbatis, qui in monaſterio Benchorenſi diu vixit ſub S. Congelli diſciplina; unde egrediens, ut aliud cænobium ædificaret, ductus a nube cæleſti, & hac ſtante in oppido Balla dicto, ibi conſtructo Cænobio, pluribus monachis conjunctis, illorum Abbas factus, raræ ſanctitatis exemplo vixit, & multis claruit miraculis, præcipue erga energumenos: & unum aura vitali orbatum ad vitam, Deum deprecans, revocavit: tandem cum Ballenſe monaſterium per viginti, & amplius annos, prudentiſſime gubernaſſet, meritis cumulatus, in Cælum migravit. G. In monaſterio Lirinenſi S. Marini Abbatis, qui cum ibidem rara ſanctitate vixiſſet, & cænobii præfecturam multos per annos fæliciter exerceret, miræ virtutis relinquens odorem, magno cum ſuorum deſiderio, in cælum migravit, & poſt mortem multis claruit miraculis. H. In Gualdo Cataneo, Umbriæ oppido, pretioſa mors Sancti Ugolini confeſſoris, qui a teneris virtutis iter arripiens, oratione aſſidua, pœnitentia mirabili vitam tolerabat, ſed mundi fallacias abhorrens, a Deo inſpiratus, noſtri ordinis Clauſtra eſt ingreſſus, ſive Fulgini, ſive Spoleti, ſive Perufii fuerit, ignoratur: ubi ſe conſpiciens, virtutibus retroactis maiorem adaugens fervorem, Umbriam, & univerſam Italiam magnæ ſanctitatis fama adimplevit, ob quam a ſuis civibus in oppidum Gualdi vocatus, conſtructo Ordinis cænobio, ibidem per biennium degens, cum ſatis pœnitentiæ rigore attenuatus eſſet, mortem expertus Sanctorum, in Cælum aſſumptus eſt hac die, & ibi adhuc magna veneratione colitur. I. Fabriani oppido Marchiæ Anconitanæ memoria Beatorum Petri, & Joannis, qui ibidem magnæ ſanctitatis fama oppetiêre, quorum ſepulchrum, cum in hac die aperiretur ad alterum Religioſum tumulandum, oſtendit faſciculum ſpinarum, quo illorum pœnitentia patefieret; quorum corpora poſt translationem repoſita ſunt ſuper altare ad hoc factum, ubi divina, & duorum Beatorum ope implorata, ſunt plurima miracula perpetrata, & in hac die ibidem eorum feſtum celebratur. L. Valentiæ in Hiſpania Venerabilis, Gregorii Satorre Valentini, qui Litteris ſatis inſtructus, & virtutibus exornatus, præcipue humilitate, ſolitudine, & Regulæ obſervantia, ſeptemdecim quadrageſimas prædicavit, in quibus fructus egit mirabiles. Fuit nominis JESU devotiſſimus, de quo ſuaviſſimum librum compoſuit. Tandem paralyſi acerbiſſima oppreſſus, quam incredibili patientia per ſexennium toleravit, devotiſſime obiit hac die in præmium devotionis nominis JESU; ad illius exequias celebrandas maximus piorum factus eſt concurſus. M. Lixbonæ in monaſterio D. Noſtræ de Gratia memoria Ven. Gondiçali de Almeyda, alias a Sancta Maria, qui nobili genere natus, monachali militiæ dans nomen, ſub diſciplina Ven. Ludovici de Montoia, in virtutum ſemita longe reſplenduit. Cum ergo vitæ innocentia, & morum candore præclarus per ſexennium vixiſſet, raptus eſt, conſummatus in brevi, ne malitia mutaret intellectum ejus; cui in ultima ægritudine Angeli in humana ſpecie ſæpius miniſtraſſe referuntur. N. Genuæ in Cœnobio Diſcalciatorum Ven. Fulgentij de Jeſu Maria

Confeſſoris,

Confeſſoris, qui ibidem monaſtico indutus habitu, brevi morbo caduco impetitus, & a ſodalium contubernio divisus, ne Lues inalios ſerperet, mira patientia morbum toleravit: nec minor fuit illius pœnitentia, thorace enim ferreo ad nudam carnem utebatur. Cum jam prope eſſet moriturus, ſe in pheretro jacentem aſpexit in ſomnis, & ad caput, & pedes SS. Sylveſtrum, & Fulgentium aſſiſtere: quæ viſio adimpleta eſt; obiit namque Ven. P. nocte S. Sylveſtri, approximante die prima Januarij, in qua S. Fulgentii feſtum celebratur. *O.* Romæ in Eccleſia S. Antonii tranſitus V. P. Pauli a S. Joanne Evangeliſta Diſcalciati, qui fuit in Religioſa Obſervantia zeloſus, & vitæ integritate ſatis laudatus, & in ſacris litteris optime eruditus: obiit tandem pie, cum eſſet primus Viſitator generalis. *P.* Barchinone in Cœnobio S. P. Auguſtini felix obitus Ven. Andreæ Tolera, qui litteris magna cum Laude florens, plus tamen floruit virtutibus. Plura in ordine exemplariter exercuit miniſteria. Tandem pie decedens, ibidem ſepultus eſt. Cujus corpus poſt ſexdecim annos incorruptum, tanquam pauloante mortuum, repertum eſt. *Q.* In Civitate Malhorquina fama poſthuma Ven. P. Joannis Antonii Bacó confeſſoris, qui e nobili genere natus, factus adoleſcens jam tum virtutis miræ radios cœpit demonſtrare; donec ætatis ſuæ viginti ſupra duos, adimplens, Religionis amore inflammatus, habitu noſtro indutus eſt, cujus tyrocinium omnes ſtupore replevit, erat enim mire modeſtus, & admiraculum ſilentioſus. Studiis deditus, adeo in illis profecit, ut breviter unanimi conſenſu Lector factus eſſet. Prædicationis exercens munus, magno cum fidelium fructu, perfecit. Pluribus Ordinis honoribus condecoratus eſt, quos omnes mira prudentia, & Laudabili affabilitate zeloſus, & obſervantiſſimus complevit. Erga omnes, & præcipue infirmos fuit valde charitate flagrans. Fuit ſolitudinis amiciſſimus, raro e cella egrediens, ubi vel ſtudens, & ſcribens, vel orans, & recitans claudebatur, ut ſic otio humani generis hoſti immaniſſimo inducias denegaret, ſed bellum inferret. E cella egrediens modeſtia, & terræ oculis confixis rarum præ ſe ferebat exemplum, taliter, ut ejus viſio, etiam moribus perditiſſimos componeret. Choro, nocte, dieque, unquam abfuit. Plures reddituum ſuorum nummos in cœnobii utilitate conſumpſit, & prodegit. In trium votorum obſervantia mirabilis erga omnes fuit. Carnem jejuniis, & pœnitentiis continuis maceravit: cilicio longo pectus, & terga circumdante utebatur. Rarum ſomnum capiens, hunc vel humi, vel tabulæ ſuſtinebat. Orationem continuam nocte, dieque magno cum fervore, protrahebat. Unde vivens, quin de eo ullus malum diceret, imo tanquam Sanctum proclamarent, hac opinione Sacramentis roboratus, dierum ægritudine quinque abſoluta, hac die in pace quievit. *R.* Barchinone in Cœnobio S. P. Aug. tranſitus Ven. P. Michaelis Toret, qui ibidem monaſticam induens cucullam, in Religionis ſtadio magnos fecit progreſſus; fuit enim omnis virtutis, & præcipue pœnitentiæ Chriſtallinum ſpeculum: orationi continuæ circa Paſſionem Domini deditus erat; unde tota illius converſatio in cœlis erat. Magiſter Novitiorum electus munus tredecim per annos magno cum fructu ſuorum peregit, taliter, ut ſucceſſoribus, adhuc tanquam exemplar, proponatur. In votorum obſervantia totus erat. Cum tandem plenus meritis jam multis eſſet, cœleſtium deſiderio accenſus, cum Chriſto eſſe indeſinenter optabat: donec ægritudine gravi, & longa oppreſſus, in cœleſtem patriam, relicto magnæ ſanctitatis odore, pie volavit. *S.* Olyſſipone in Cœnobio D. N. de Gratia memoria devotiſſimæ Dei famulæ Mariæ de Abranches, quæ e nobiliſſima orta progenie, & palatio enutrita, cum forte ſermonem a Ven. P. Sebaſtiano Toſchano audiſſet, in eodem cœnobio prædicante, in ſe reverſa, agnoſcens mundi fallacias, & illius pompas exoſa, ſtatuit firmiter religioſam viam ſequi; quod poſt parentum mortem proſecuta eſt, in cœnobio S. Crucis Villaviçoſano: unde, ſic Deo diſponente, egreſſa, cum eſſet dives, ſuis ſumptibus monaſterium *S.* M. Monicæ Lixbonenſe fundavit, ubi Eremitico habitu aliquandiu raro Sanctitatis exemplo vixit: inde, ab inimico diſſeminatis litibus, egrediens Mantellatæ Ordinis habitum conſervans, & reliquum vitæ ſpatium magno cum Dei timore

trajiciens,

trajiciens, dierum plena, in Domino requievit, ſepultaque fuit in cruce delubri D. N. de Gratia. *T.* Eboræ in cœnobio Pueri Jeſu memoria Ven. Mariæ de Payva, quæ quinquennium attingens, idem monaſterium eſt ingreſſa, & ſtatim clara cœpit virtutis indicia præbere, præcipue orationis, inqua die, noctuque tempus conſumebat. In charitate fuit inſignis, in choro aſſidua, licet ægrotaret: devotiſſima fuit Nominis JESU: patientia maxima claruit: in oratione illi Deus plurima revelavit, & hæc inter cognovit diem mortis ſuæ, quam poſt longas ægritudinis ambages vidit; in qua Puerum Jeſum complexa, animo hilari ad Prioriſſam converſa dixit, ſe cum illo Puero obituram, & abituram eſſe, & ſic hac die obiit, & abiit, ut pie creditur, in Cælum *U.* Barchinone in Cœnobio S. Mariæ Magdalenæ Obitus Ven. Sponſæ Chriſti Franciſcæ Vidal, quæ, dum in Religione vixit, de ſe raræ præbuit ſanctitatis exempla, præcipue floruit obedientia, humilitate, charitate, & contemplatione, pœnitentia, & jejuniis: plures, etſi invita, in Religione exercuit laudabiliter dignitates. Cum tamen ſuæ mortis hora adventaſſet, ſumptis ſingulari devotione ſacramentis, pie deceſſit. *X.* Alchodii in Caſtella, in Cœnobio S. Sepulchri Obitus piæ Chriſti ſponſæ Franciſcæ a S. Vincentio, quæ monialis facta, S. P. Auguſtini devotione claruit, taliter, ut ab illo credatur tranſverberata per corda quadam ignita ſagitta, ex illis, quas Deus ardentibus in charitate fecit. Zelo honoris divini ardebat, & tot mundi peccatis angebatur; ob quæ ſe graviſſimis pœnitentiis macerabat, addens cruentas diſciplinas, & continua jejunia, & aſſiduam orationem, in qua a Domino plures adepta eſt favores. Fuit devotiſſima Pueri Jeſu, cujus imaginem ipſa pulcherrime componebat; & cum aliquando ad Jeſum magna teneritudine loqueretur: Mi dulcis Puer, te ſemper, quo poſſum, ornatu compono, & mihi nil pro hoc uſque adeo donaſti: quommodo agnoſcam, me tui eſſe ſponſam, ſi mihi tui amoris pignus non dederis. Ecce ad illam directa eſt vox: Accipe: & ſtatim corde inflammata, & Lætitia perfuſa, inter manus Pueri Jeſu fragmentum e capite avulſum aſpexit: pignus ſponſi magna cum reverentia ſervavit, & decenti loco repoſuit, & per illud plura ſunt miracula perpetrata. Per decennium gravem paſſa eſt ægritudinem incredibili patientia; donec ſui hora tranſitus advenit, in qua ſibi apparuere omnigeni flores, antea a ſe non viſi, in præmium florum, quibus Pueri Jeſu imaginem componebat. Tandem mirabili pace animam ſuo tradidit, ad coronandam, ut pie creditur, Creatori. *Z.* Hac die adventus illius celebris pignoris S. Joannis a S. Facundo N. Ordinis, quod induſtria hujus Provinciæ impetratum eſt e Patribus Caſtellæ, & præſenti die Cœnobium Gratiarum ſua præſentia condecoravit.

COMMENTARIA

AD PRIMUM DIEM JANUARIJ.

A. S. Fulgentius natus eſt Teleptæ in Africa anno 463. e parentibus nobiliſſimis, & illius avus extitit Gordianus Carthagine ſenator. Habitu noſtro eſt indutus ſub Fauſto. Plura eſt perpeſſus ab Arianis: poſt Epiſcopus factus, & de catholica fide bene meritus, relinquens ſui ingenii glorioſa monimenta, die prima Januarij Sancte obiit anno 529. Agunt de illo omnia martyrologia, Bedæ, Uſuardi, & Adonis, Baronius 6. tomo Annalium, & in notis ad martyrogium Romanum. De illo omnes noſtri agunt, ut noſtro, ſcriptores, præcipue Thomas Herrera in Reſp. pacifica Reſp. 4. ad 4. & in Alphab. Auguſtin. lit. F. de Perſ. SS. fol. 221. n. 3. Petrus del Campo in Hiſt. Generali lib. 2. fol. 249. Ludovicus Torelli in Sæculis Auguſtin. tom. 2. & in Centuriis Centur. 1. cap. 50. fol. 82. Emmanuel Leal Purific. 6. Exam. 5. fol. 587. & alibi paſſim, Auguſtinus Arpe in Diurnali Sanctorum Ord. tom. 1. die 19. Januar. & in Pantheo Elogio 28. fol. 65.

Jacobus

Jacobus Font. in Viridario SS. ord. eodem die fol. 307. & Josephus a D. Antonio tom. 1. Floris SS. a fol. 105. & Sebastianus de Portillo in m.s. Pro Coronide Alexander Archirota monachus S. Benedicti, agens de S. Fulgentio in libro de voto paupertatis fol. 85. ait ; Beatus Fulgentius Episcopus Ruspensis, & Doctor eximius ex Ordine Eremitarum S. Augustini : & Laurentius Surius ejus vitam a Sancti Fulgentii discipulo conscriptam affert, ubi dicitur : Pelliceo cingulo tanquam monachus utebatur: & Fr. Dimas Serpi Ord. S. Francisci de Sanctis Sardiniæ c. 15. fol. 171. ait: San Fulgencio estuvo en Sardeña muchos años, y edificó por la Isla muchos Monasterios de Monges Ermitaños de S. Agostin. & Magister Argais Benedictinus in Marcum Maxim. ad an. 489. ait. Convienen todos, que tuvo dòs estados, de Monge Ermitaño Augustino, y despues Obispo Rusipense. De S. Fulgentio narrat ejus historia apud Antonium Bonnuci in Ephimerid. Euchar. die 1. Januar. fol. 2. Casulam pretiosam, vel super bicoloris, nec ipse habuit, nec monachos suos habere permisit. Subtus Casulam nigello, vel Lacticineo pallio circumdatus incessit, quando temperies aeris incitabat, solo pallio intra monasterium coopertus, scapulis vero nudis nunquam a nobis visus est, nec depositò saltem cingulo somnum petivit, suæ autem continentiæ, Deo teste fiduciam gerens, in qua tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat, & in tempore sacrificii mutanda esse potius corda, quam vestimenta dicebat. &c. Ex his clare constat, ini Africa monachum fuisse, & habitu nigro, & candido, & cingulo de super usum fuisse, & hæc omnia clare testantur illum fuisse monachum Augustinianum.

B. S. Arthuagus. Gothus Hispanus, fuit monachus, & Abbas in monasterio Sislæ Toletanæ, doctus & Sanctus, & D. Isidoro notus, & familiaris. Controversia est in die, & anno sui obitus, alii dicunt, illũ obiisse 1. Januar. alii 1. Maij: alii an. 584. 593. 659. 633. Omnes tamen cõcordant fuisse ordinis Eremitarũ S. P. Aug. quorũ nonnulli sunt Eutrandus, Julianus, Luit prandus, M. Maximus, Ambrosius de Morales, Rodericus Carus, Laurentius Ramires, citati a N. Herrera in Alph. tom. 1. lit. A. fol. 3. & N. Leal Purific. 6. Exam. 5. fol. 193. n. 10. & N. Torelli Centur. 1. c. 78. fol. 98. De illo omnes nostri agunt, Pamphyl. in Chron. Elii. Jacob. Font. ubi supr. fol. 90. Arpe ubi supr. die 2. Januarii fol. 3.

C. S. Eugendus natus est anno 517. in Gallia in loco dicto Isardor : cum aliquando somno esset deditus, sibi visus est domo parentum esse avulsus a duobus SS. Romano, & Lupicino : hac, & aliis visionibus excitus, statuit Religionem amplecti, & illam amplexus est septennis sub S. Romano, ubi vixit sanctissimis moribus, & miraculis multis : obiit ann. 577. post 53. an. & sex menses Religionis. Eum fuisse N. Ord. asserunt. NN. Portillo in m. S. Roman. in m. 5. Torelli tom. 2. sæcul. 577. Jacob. Font. in suo Virid. August. die 1. Januar. fol. 83. Arpe in Diar. SS. Ord. ex Herrer. tom. 1. fol. 1. & plures alii.

D. S. Felix Abbas in Africa obiit ann. 529. Agunt de illo Portillo hac die, tom. 1. fol. 1. Torelli Centur. 1. c. 49. fol. 82. & Baron. Surius. &c.

E S. Frodobertus natus est in Gallia prope civitatem Trecacensem, habitum induit in Cænobio Luxovienſi fundato a S. Columbano, de quo agendum est 21. Nov. sub S. Waldeberto, de quo 11. Maij agendum est. Obiit sancte hac die circa an. 700. Agunt de illo, ut nostro, Estaibanus, in Templ. Eremit. Torelli in Sæcul. tom. 2. anno 510. a n. 1. usque ad 5. Jacob. Font. in Viridar. Aug. die 1. Januar. fol. 100. ex exteris Molanus in Addition. Usuard. Martyrol. German. Menard. Ferrarius, Andreas Saussay in Martyrol. Gallico, Ludovic. Raguier, & alii. Quod autem S. Columbanus fuerit nostri ordinis, constat ex offic. SS. N. Ord. impressis anno 1500. & in Congregatione Lombardiæ definitum est anno 1493. recitandum esse de SS. Columbano, & Gallo officium duplex, tanquam sanctis N. Ordinis.

F. S. Mochua natus est Hiberniæ: pater ejus dictus est Begadus, a S. Congello ductus est in monasterium, & monachus factus est, & post aliquot annos divina revelatione fundavit monasterium Ballense,

ubi magnis coruſcavit miraculis, & obiit ſancte hac die anno 590. Illum noſtrum fuiſſe, aſſerunt Torelli in Sæculis Aug. tom. 2. anno 531. Jacob Font. ubiſ. fol. 95. & alii ab illo citati.

G S. Marinus fuit Abbas in monaſterio Lirinenſi, ubi miraculis clarus obiit anno 590. de quo feſtum celebratur in Jurenſi monaſterio. Illum N. Ordinis fuiſſe aſſerunt Elſſius in Encomiaſt. lit. M. Herr. in Alph. tom. 2. lit. L. de monaſt. Lirinenſi, Torelli tom. 2. ann. 664. Jacob. Font. in Viridar. hac die fol. 94.

H. S. Ugolinus de Gualdo natus eſt in oppido Gualdi, ſubdito juriſdictioni Fulginatis Diœceſis Spoletanæ; grandior factus, habitum noſtrum induit in uno Umbriæ cœnobio, donec tradito noſtris Fratribus cœnobio, quod a Benedictinis, Gualdi fuerat relictum, ibidem biennio vixit magnæ ſanctitatis odore, ſignis firmato, & ſancte obiit hac die anno 1260. & ibi ſepultus magna veneratione colitur, ut dicendum eſt die 2. ſeptemb. De illo agunt NN. Torelli tom. 4. ſæcul. Auguſt. ann. 1260. Pamphil. in Chron. Jacob Font. ubis. fol. 106. Roman. & Portillo tom. 1. fol. 3. Joſephus a D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 10. & Ludovicus Jacobillus in Sanctis Umbriæ tom. 1.

I. BB. Petrus, & Joannes floruerunt circa idem tempus in monaſterio Fabriani: nam B. Petrus, teſte N. Herrera, vivebat adhuc anno 1421. & idem idem Author aſſerit de B. Joanne: de quibus aſſerit, dum de B. Joanne. Ejus pignora ſimul cum ſacris oſſibus B. Petri de Fabriano, ut quædam relatio Mſ. tradit, honorifice ſimul Fabriani in conventu S. P. Auguſtini tumulata quieſcunt, ac magna populi veneratione coluntur, ſicut circa eorum ſepulchrum miracula crebra teſtantur. De illis agit N. Torelli centur. 3. cap. 59. & 60. fol. 299. & in ſæculis tom. 6. anno 1421. fol. 520. ubi refert caſum apertionis ſepulchri illorum. Agit etiam N. Arpe tom. 2. SS. die 8. Aug. fol. 82. Agendum eſt iterum de B. Petro die 20. Februar. & de B. Joanne 7. Maij, in quibus diebus eorum ultima habetur notitia, de quo videndus eſt Herrer. tom. 1. lit. S. fol. 379. & lit. P. fol. 244. ann. 1421. tom. 2.

L. Ven. Gregorius Satorre Valentinus natus eſt e parentibus nobilibus, & divitibus, ſtudiis deditus, exiit inſignis latinus, Philoſophus, Metaphyſicus, Theologus, Canoniſta, & in Cathedra, & roſtris celeberrimus. Doctor Valentiæ creatus anno 1579. adeptus eſt Valentiæ Cathedram Theologiæ veſpertinam; quam magno plauſu rexit uſque ad annum 1606. Fuit vir ſanctiſſimus, cujus præconia, ut proferantur, longis ambagibus indigent. Obiit ſancte anno 1606. De illo agunt Herrer. tom. 2. Alph. fol. 532. n. 56. & N. Jacob Jorda tom. 1. hiſtor. Valent. lib. 2. cap. 19. fol. 322.

M. Ven. Gondiçalus de Almeyda natus eſt Lixbonæ in Parochia S. Juliani, parentes habuit Gabrielem de Almeyda, & Mariam Preſtellam: noſtro indutus eſt habitu an. 1562. & profeſſus eſt die 15. Aug. fuit filius cordis Ven. P. Ludovici de Montoya: per ſexennium in Religione vixit, & obiit ſancte hac die anno 1570. Agunt de illo N. Alexius de Menezes in lib. Servorum Dei hujus Provinciæ; Antonius a Purific. 2. p. Chronicæ, & in Chronol. monaſtica die 1. Januar. Herrera in Alph. tom. 1. fol. 290. Elſſ. in Encomiaſt. lit. G. Joſephus a D. Anton. tom. 1. in Flore SS. fol. 171. Leal in lib. C. Notitiarum Ordinis fol. 73. & 101. & Agiolog. Luſitan. die 19. Maij.

N. Ven. Fulgentius de Jeſu Maria Diſcalceatus Congregationis Italiæ obiit pie die 1. Januar. anno 1618. De illo agunt NN. Herrera in Alph. tom. 1. lit. F. fol. 234. Elſſ. ibidem. Torelli Centur. 6. cap. 49. fol. 699. Arpe tom. 1. SS. die 29. Januar.

O. Ven. Paulus a S. Joanne natus eſt Toſcanellæ in Hetruria, habitum Diſcalceatorum induit, & in Religione magna pietate vixit, & obiit Romæ hac die an. 1624. agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Luſtro 7. fol. 219. n. 122.

P. Ven. Andreas Folera natus eſt in oppido Illa comitatus Roſſelonenſis, habitum induit in cœnobio de Perpinam, & profeſſus eſt die 29. April. an. 1639. In ſtudiis exiit verſatiſſimus: poſt plures lecturas, & dignitates in Ordine, cum eſſet Provinciæ Viſitator obiit Barchinone die 1. Januar.

Januar. an. 1664. Corpus ejus an. 1690. die 25. Martii inventum est in corruptum, ac si paulo ante tumulatum esset. Agit de illo N. Jacob. Jorda tom. 3. Chronicæ Provinc. Catalaun. lib. 3. cap. 2. fol. 420. n. 15.

Q. Ven. P. Joannes Antonius Baco ortus est in insula Malhorquina: cum factus esset 22. annorum: noster factus est in Cænobio D. N. de Succursu, & professus est an. 1614. 2. Novemb. in studiis exiit consummatus, & prædicator egregius: fuit bis nominatus Vicarius Generalis: in observantia fuit infractus, & in modestia singularis: omni virtute clarus, obiit tandem die 1. Januar. ann. 1665. ætat. 72. & 52. Religionis. Maxima cum pompa illi a suis parentatum est: cujus effigies in Aula Regia Malhorqui collocata est a Senatoribus inter alios Heroas. Agit de illo Jorda ubis. tom. 3. lib. 1. Histor. Malhorqui cap. 4. fol. 472.

R. Ven. Michael Toret natus est in oppido Taltorta Diœcesis Urgellensis, noster factus Barchinone, ibi professus est 16. sept. an. 1642. omnium virtutum exemplar fuit: donec meritis cumulatus, magna cum opinione obiit hac die an. 1670. De illo plura narrat. N. Jacob. Jorda tom. 3. histor. Cathalauniæ lib. 2. c. 12. fol. 390.

S. Ven. Maria de Abranches fuit nobilissima, & Virgo aulica Principis Joannæ Matris Regis Sebastiani. Hæc audiens in rostris sermocinantem N. Ven. Sebastianum Toschanum, adeo in se reversa est, ut statim, palatio relicto, & pompis expulsis, habitum Mantellatæ induit: & post, obitis parentibus, Cænobium Villaviçosanum S. Crucis ingressa est; sed inde, Deo sic disponente, non permanens, sed egressa, monasterium S. Monicæ Lixbonense fundavit, at extra illud permanens in statu Mantellatæ, sub disciplina Fr. Christophori Corterreal illius Confessarii, reliquum vitæ rara pietate transegit, & obiit, & sepulta est in Cænobio Gratiarum anno 1595. Agunt de illa. N. Anton. a Purific. in Chronol. monast. die 1. Januar. N. Leal in Mſ. lit. C. fol. 74. & Agiolog. Lusit. die 1. Jonuar. fol. 3. & 9.

T. Ven. Maria de Payvaseu Mecia: monialis fuit in monasterio Eborensi S. Monicæ: de illa late agit Agiolog. Lusitan. 1. Jan. fol. 4. & 9. & Leal ubisupra fol. 158

U. Ven. Franciſca Vidal floruit in cænobio S. Magdalenæ Barchinone, ubi rara sanctitate vixit, & obiit 1. Januar. an. 1676. de qua fertur, in signum suæ obedientiæ rarę; quod cum indueretur ad sepeliendum post obitum, stare non poterat corpus: tunc Priorissa in signum obedientiæ illi injunxit, ut caput firmum, & directum haberet, ut recte, & rite indui posset: o prodigium! Statim corpus immobile permansit, veluti vivum existeret. Agit de illa N. Jacob Jorda tom. 3. hist. Cathal. lib. 3. c. 11. n. 3. fol. 450.

X. Ven. Franciſca a S. Vicentio nata est Alchodii in Regno Valentiæ, ibi monialis facta est in monasterio S. Sepulchri die 28. Decemb. an. 1636. ubi per arduum virtutis iter incedens, pie obiit hac die an 1685. ætat. 58. Agunt de illa NN. Jacob. Jorda tom. 2. hist. Valent. lib. 4. cap. 5. fol. 509. n. 12. & Alphonsus Villerinus tom. 3. Solaris Augustiniani lib. 36. tract. 2. §. 3. fol. 148. ubi refert nonnulla prodigia, operata per Puerum Jesum, quem magna teneritudine hæc Dei famula colebat, & componebat.

Z. Adventus illius celebris pignoris, scilicet. Brachii S. Joannis a S. Facundo N. Ordin. quod petitione Provincialis Fr. Antonii a Resurrectione impetratū est a Provinciali Castellæ, scil. Fr. Augustino Antolines, postea Archiepiscopo Compostellano, & ab isto traditum est Fratri Bartholomeo de Azevedo, ad hoc ab hac Provincia misso, & illud Salmanticæ suscepit 21. Decemb. anno 1603. & 1. die Januarij, an. 1604. hoc cænobium cum sacro Brachii pignore est ingressus: de quo iterum agendum est die 21. Januar. Agit de hoc Agiol. Lusit. die 12. Jun. fol. 650. & 657. & N. Leal. in Mſ. de Notitiis hujus Provinciæ fol. 50.

QUARTO NONAS JANUARIJ.

II.

A. Tarracone in Hiſpania pretioſa mors *S.* Badulfi Afri, qui habitu noſtro indutus in cœnobio Horti Hipponenſis, S. P. Auguſtini verus imitator fuit, oratione, jejunio, pœnitentia, ſilentio, & literarum ſtudio vitam tolerans: ob quæ a M. P. Auguſtino ad ordines ſacros initiatus eſt, quibus acceptis prædicationem Verbi Divini maximo cum fructu exercuit, vitia arguens, & laudans virtutes. Miſſus cum D. Paulino, & aliis in Hiſpaniam, cœnobium fundavit Barchinone juxta montana Moivi ſub invocatione S. Pauli, ex quo Geronam tranſiit, ubi a D. Paulino conſtitutus eſt Abbas cœnobii Tarraconenſis, ubi claris virtutum ſplenduit exemplis, & tandem meritis plenus, & annis, in Cœlum volavit. *B.* In monaſterio Bobienſi juxta Alpes beata dormitio S. Bladulfi confeſſoris, qui in eodem cœnobio, fundato a S. Columbano, habitum induens Eremiticum, in omnium virtutum genere ſe ſe exercuit: ob quæ a S. Attalaillic Abbate miſſus in Papiam, inde juſſu Ariovaldi Longobardorum Regis lethaliter eſt ictus, ſed divinitus ſanatus, in monaſterium Bobienſe rediens, ibidem ſanctiſſime mortem aſpexit. *C.* Senis in cœnobio Illicetano tranſitus. B. Chriſtophori Petronii, qui enobiliſſimo ortus genere, in eodem cœnobio monachalem vitam amplexus eſt: & tali erga proximum charitate flagrabat, ut pauperem aſpiciens veſtibus indigentem, D. Martinum Turonenſem imitatus, propriis illum veſtibus cooperuerit, cui Chriſtus poſtea apparens, iiſdem veſtibus a ſe pauperi collatis, dixit illas illi poſtea eſſe remuneraturus. Vixit ergo hic Beatus rara pœnitentia, & licet unica tantum tunica uteretur, ad ignem tamen, & ſi frigidiſſima graſſaretur hyemns, non accedebat: de quo interrogatus, aiebat, id facere, ut Purgatorii, & Inferni pœnas aufugere aſſueſceret. Obiit tandem ibidem relicto ſuaviſſimo ſanctitatis odore. *D.* Mexici in India memoria Ven. P. Franciſci de Medina confeſſoris, qui, cum erga D. Nicolaum de Tolentino eſſet devotiſſimus, abillo expertus eſt mirabiles favores. Vir fuit orationi, & contemplationi valde deditus, & rigidis pœnitentiis, jejuniiſque aſſiduis corpus maceravit. Continuus in choro erat, tam nocturnis, quam diurnis horis. Tandem virtutibus, & meritis ſatis cumulatus, in Domino quievit nonagenarius. *E.* In Diœceſi Novarienſi in cœnobio Torbini Diſcalceatorum memoria Ven. Gaudentii a S. Benigno Laici, qui in Religione de ſe omnium ſpecimen præbuit virtutum, ſui contemptu fuit mirabilis, in abſtinentia rarus, ſolo pane, & herbis contentus, in ſilentio fuit ſingularis, nunquam charitatem læſit fraternam: cum virtuoſis ſola illius fuit ſermocinatio: quamvis indoctus, doctiſſimé de myſticis loquebatur. Semper Deum, & ſi maxime occupatus, præſentem habebat. In obedientia mirabilem ſe oſtendit, totum enim ſe ſub nutu Prælatorum ponens. Cum apud omnes ſancti eſſet nomen adeptus, morbo correptus, quem incredibili ſuſtinuit patientia, diem hac die clauſit ſupremam. *F.* Aragoniæ in oppido S. Mathæi, & cœnobio S. Annæ N. ordinis, felix dormitio Ven. Marianæ Piquer, magnæ Religionis fœminæ; fuit enim mirabilis humilitate, patientia, ſilentio, charitate, & cæteris virtutibus. Adeo ſolitudinis fuit amatrix, ut perpetuam fere ferret clauſuram, vel in cubiculo licite occupata, vel in choro contemplans. Carnem ſubjecit ſpiritui jejuniis crebris, diſciplinis cruentis, ciliciis aſperis, vigiliis continuis, cubili duro, & aliis mortificationibus, quarum adminiculo illibatam, quo ad vixit, ſervavit virginitatem. In oratione,

&

& communione plures e cœlo favores recepit. Ad mortem proxima, & sacramentis præmunita, a Christi imagine, moribundis adesse solita, osculum, multis præsentibus, & mirantibus, accepit, & paulo post obiit, ut alter Moyses, in osculo Domini. *G.* Bononiæ in cœnobio Conceptionis Monialium N. Ord. Ven. Isotta Pellagusi ibidem monialis, quæ in omni virtutum genere se exercuit, & præcipue in obedientia, quam taliter observare satagebat, ut, audita Abbatissæ voce, celeribus quasi pedibus, volaret. Cum aliquando ejus spiritum vellet Prælata probare, illi injunxit in summo Februarii frigore, ut e viridario illi rosam afferret: audiit bona Monialis, & viridarium introgressa, statim rosam reperit pulcherrimam, qua læta rediens, illam Prælatæ obtulit, quare & hæc, & aliæ Sorores excitæ sanctitatem Ven. Isottæ cognovêre: quæ obiit sancte ibidem hac die. *H.* Goæ in India in monasterio S. Monicæ pretiosa mors Ven. Mariæ de Jesu, quæ post sæculi nuptias inter Moniales ad missa, ibidem magna sanctitate vixit: humilitate summa claruit, in oratione fuit assidua ante imaginem S. Crucifixi ibidem celebrati in choro, a quo signata fuit quinque plagis, manibus, pedibusque impressis, quæ post ejus mortem sunt repertæ. Obiit ergo hæc Christi sponsa hac die, relinquens veridica suæ sanctitatis indicia. In ejus obitu quotquot in cœnobio ægrotabant, Moniales, omnes perfectam sunt adeptæ solpitatem, & ejusdem exequiis celebrandis, incolumitate fruentes mirabunda, adfuere.

COMMENTARIA

AD SECUNDUM DIEM JANUARII.

A. S. Badulfus Afer habitum Eremiticum suscepit de manu S. P. Aug. in Cœnobio Horti, ubi innumeri sancti sunt nutriti, ut ait S. Possidius in vita S. P. Aug. c. 11. Ab ipso Augustino datus est socius S. Paulino in Hispaniam pergenti cum aliis nonaginta. Hæc sancta societas cum S. Paulino appulit Barchinonam, ubi ædificatum est cœnobium S. Pauli juxta montana Moivi, exinde ædificato cœnobio S. Mariæ in urbe Gerundensi, tandem Tarraconam profectus S. Paulinus cum S. Badulpho, ibi ædificato cœnobio, illum reliquit cœnobii abbatem, ubi vivens magna sanctitate, plenus annis, & meritis, in Domino quievit hac die anno 450. De illo agunt acta SS. Tamayo in martyr. Hispan. die 2. Januar. ex NN. Jacob. Jorda tom. 3. histor. Catalaun. lib. 1. c. 10. fol. 269. Magister Massot in Compendio Eremitarum Cathalauniæ fol. 215. Jacob. Font. in Viridario SS. N. Ord. die 2. Januar. fol. 110. Verum Joannes de Nigravalle, & Bollandus, illum Canonicum faciunt Regularem; quod falsum est; nam S. Badulfus habitum assumpsit in monasterio Horti, quod nunquam Canonici salutarunt. Deinde vixit cum S. Paulino, de quo asserit Liberatus Abbas: S. Paulinus Monachus Eremita S. Augustini. De hoc vide N. Leal Purific. 6. Exam. 4. fol. 573.

B. S. Bladulfus, diversus a superiori, monachus factus est in monasterio Bobiensi, fundato a S. Columbano, ubi rara pœnitentia vixit. Missus est a S. Attala Abbate Papiam, ut nonnulla perageret cœnobii negotia; ubi Ariovaldum Regem Arianum arguens impietatis, qua in Trinitate non tres Personas, sed tres potestates fateretur, ab ipso jussus est crudeliter occidi, & fuit percussus in cerebro, & omni compage corporis, sed miraculose sanatus est, & dæmon illius percussorem graviter corripuit. S. Bladulfus ad Bobiense rediens cœnobium, ibi sancto fine quievit hac die anno 626. Quod S. Bladulfus fuerit Eremita Augustinianus, patet, quia fuit discipulus S. Columbani, & S. Attalæ, qui nostri ordinis fuerant, ut constat in Offic. Ord. impressis anno 1500. & ita asserunt NN. Jacob Font. ubisupra hac die fol. 112. & Jacob Jorda ubisupr. dum de S. Badulfo. Unde non sunt audiendi Benedictini, dum pro S. Bladulfo pugnant; illis enim respondet D. Ferdinandus Ughelli tom. 4. Italiæ sacræ column. 1328. ubi ait.

In

In Bobienſibus monimentis nullum invenire potui teſtimonium de Benedicti Regula, ei cœnobio tradita, uſque ad Lucii ſecundi tempora.

C. B. Chriſtophorus Petronius, Senis natus eſt: parentem cognovit Petrum de Paltonibus. Prius dictus eſt Jacobus, mox Ilicetum adiit, ubi monachalem petiit, & adeptus eſt cucullam, & profeſſus eſt inter manus B. Antonii de Montechio die 3. Februar. anno 1475. & inde relicto Jacobi nomine, Chriſtophorus dictus eſt. Conſummato vitæ ſanctæ curriculo, obiit 2. Januar. an. 1513. De illo agunt. ex NN. Herr. in Alph. tom. 1. lit. c. fol. 142. Elſſ. ibidem; Torelli in Centur. 4. cap. 47. fol. 434. & in ſæculis an. 1513. tom. 7. fol. 634. Ambroſ. Landucci, in Sylva Ilicetana, Elogio 43. fol. 120. Joſephus a D. Anton. tom. 1. fol. 173. Hoyer. in vita B. Joannis Chiſii, Arpe in Diario SS. Ord. tom. 1. die 21. Januar. fol. 40.

D. Ven. Franciſcus de Medina Mexici plures favores a D. Nicolao expertus eſt anno 1589. pœnitentia, rigidus, & ſanctitate clarus, ibidem obiit an. 1593. hac die. De eo agunt Grixalva in vita S. Guilelmi lib. 3. c. 9. Herrer. in Alph. lit. F. fol. 232. Elſſ. in Encomiaſt. lit. F.

E. Ven. Gaudentius a S. Benigno natus eſt Novariæ an. 1617. die 16. Februarii: ex parentibus Franciſco Mutino, & Angela Maſóla, habitum aſſumpſit in cœnobio Diſcalceatorum die 12. Martij an. 1645. ſub ſtatu Laicali profeſſus eſt die 22. Martij an. 1646. Vixit in cœnobio Torbili raro ſanctitatis exemplo, ubi obiit die 2. Januar. anno 1684. ætatis 67. Agit Late de illo Fr. Joan. Bartholomæus a S. Claudia in Luſtro Hiſtoriali Diſcalc. Italiæ, Luſtro 17. num. 155. fol. 543. ann. 1684.

F. Ven. Marianna Piquer nata eſt in oppido S. Mathæi in Caſtella, habitum Monialis aſſumpſit in monaſterio n. Ord. S. Annæ in ſua patria, & profeſſionem emiſit die 2. Januarii anno 1607. Vixit in Ordine raro ſanctitatis exemplo, & obiit anno 1650. Ignoratur dies ſui obitus; ideo de illa in die ſuæ profeſſionis mentionem facimus. Agit de illa N. Jacob. Jorda tom. 2. Hiſtor. Valent. lib. 4. c. 13. fol. 433. n. 12.

G. Ven. Iſotta Monialis floruit Bononiæ in monaſterio Conceptionis, ubi de ſe raræ ſpecimen virtutis præbuit, & præcipue claruit obedientia, quam ſibi Deus oſtendit placuiſſe illa roſa inhyeme in Viridario reperta. Obiit in terra, & abiit in Cælum hac die anno 1659. ut refert N. Torelli tom. 8. in Sæculis ann. 1542. fol. 265.

H. Ven. Maria de Jeſu nata eſt Goæ, parentes habuit Ferdinandum Cron, & Mariam Leitoa, a quibus pie educata, in Matrimonium data eſt Emmanueli e Souſa viro nobili: qui poſt conjugium quadrienne e vivis exceſſit ſine prole. Tunc Maria a viro ſoluta, Religionis avida, & ſi divitiis, & pulchritudine polleret, diviſis bonis, in monacham ſuſcepta eſt ætatis fere 23. ann. & profeſſa eſt. 24. Aprilis anno 1630. ex quo tempore vitia abhorrens, virtutum fecit ſe ſe faſciculum, & præcipue Paſſionis Chriſti claruit devotione, ob quam rare, & ſtupendo favore a piiſſimo Domino, manibus, latere, pedibuſque, quinque plagis inſignita eſt, quæ multa indagine fuerant probatæ, & inventæ ſunt plura habentes; ut teſtatur proceſſus hujus Heroinæ ſervatus in Archivio D. N. de Gratia. Obiit ſancte die 2. Januar. anno 1683. in die ſabbati. Agunt de illa NN. Joſephus Sicardus in hiſtor. Jappon. lib. 1. cap. 3. fol. 18. Jacob. Jorda in Excellentiis Ordin. lib. 2. c. 4. fol. 130. Joſephus a D. Anton. tom. 1. Floris Sanctor. die 2. Januar. fol. 175. & P. Fr. Auguſtinus a S. Maria in Hiſtor. Goenſi Cœnobii S. M. Monicæ lib. 4. cap. 3. fol. 635. ubi late de illa agit; & noviſſime Didacus Emmanuel tom. 1. de illuſtr. Fœminis Luſitan. §. 1. n. 32. fol. 32.

TER-

TERTIO NONAS JANUARIJ.

II.

A. IN territorio Ambianenſi S. Blitmundus confeſſor, qui natus exnobili genere, mox omnibus membris captus, crudeli elanguit contagio, donec ad S. Walericum Abbatem, cujus fama totam per Galliam graſſabatur, delatus, illius precibus breviter ſanatus eſt; ob quod S. Blitmundus ſe totum tradidit ſub diſciplina S. Walerici; poſt cujus mortem in ejus locum Abbas ſuffectus eſt, ſed cum bella graſſarentur, ad S. Attalam Bobienſis cænobii Abbatem ſe contulit, ubi annos per aliquot diſtrictiori vixit diſciplina. Hinc ad locum ſepulchri S. Walerici rediens, ibi cellam ædificavit, ubi vitam ducens Eremiticam, & pluribus ſignis coruſcans, multos ſibi ſocios adjunxit, & conſtructo monaſterio Abbas factus eſt, & tandem multis laboribus confectus, in cælum translatus eſt, & in hac die illius memoria celebratur. *B.* Pariſiis, in cænobio monialium conſtructo a S. Germano ibidem Epiſcopo pretioſa mors S. Genovefæ ſanctimonialis, cujus vita ſic mirabilis extitit, ut quaſi inimitabilis videretur. Cum autem in hac vita plus cæleſti, quam humana per viginti, & octo annos perſeveraſſet, plena meritis, & virtutibus innumeris, & ſtupendis miraculis illuſtrata, animam ſuam Creatori Omnium tradidit ſanctiſſimam, & in hac die illius feſtum celebratur. *C.* Namurci, in monte Leodii, depoſitio B. Oſiliæ Virginis, & Monialis, & ſociæ B. Julianæ Monialis, quæ, cum ipſa poſtquam multos Labores in exilio conſumaſſet, ibi ſancte deceſſit, & Salſiniæ tumulata eſt. *D.* Mexici in oppido Tlayacapan felix tranſitus Ven. Petri Suares de Eſcobar, nobiliſſimis orti parentibus, qui adhuc puer, B. Virginis ope, a morte ob ſuffocationem ferri liberatus eſt: habitu noſtro indutus, & profeſſionem emittens, non minus ſapientia & probitate, quám ætate profecit. Claruit heroicis virtutibus, admirabili pœnitentia, oratione aſſidua: erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum impenſe fuit affectus, quod ſine lacrymis non perſolvebat. Indumentis vilibus utebatur, & cilicio ad carnis radicem admoto mortem uſque uſus eſt. viginti quinque annorum ſpatio ſolos arborum fructus, & herbas pro cibo ſuſtinuit; tempore autem Adventus, Quadrageſimæ, & in Vigiliis Deiparæ, & aliquorum ſanctorum, quos velut ſui colebat patronos, ſolo pane, & qua vitam tranſibat. Lectum illi erat raſa tabula, & ligni fruſtum cervical miniſtrabat. Cum ergo illius fama Hiſpaniam penetraret a Philippo ſecundo electus eſt Epiſcopus Guadalaxaræ, ſed ante conſecrationem ſpiritum exhalavit, ut in Cœlis inter Angelos viveret, qui in terris Angelicam puritatem ſervavit. *E.* Alchodii in Cœnobio Monialium S. Sepulchri obitus Ven. Geneſæ a S. Didaco, quæ mota illis verbis: audi filia, & vide, & inclina aurem tuam &c. parentum aufugiens penates, prædictum petiit Cœnobium, ut illic Monialis fieret; quod breviter adepta eſt: ſtatim cœpit virtutum indicia præbere; rara humilitate coruſcavit, ardebat enim ſemper cœnobii vilibus miniſteriis occupari. A Deo donata fuit gratia curationum, pluribus enim ſanitatem contulit in morſibus, & cicatricibus purulentis, lingua illorum virus prius læta lambens. Erga omnes charitate flagrabat. Cum aliquando animi deliquium paſſa eſſet, viſio S. Getrudis, illam aqua aſpergentis, ſolata eſt, & exanimi vires reſtituit. In ultima ægritudine Chriſti Domini, Sanctiſſimæ Virginis, & Angeli cuſtodis apparitionibus recreata eſt: quibus confortata, cupiens diſſolvi, & eſſe

& eſſe cum Chriſto, prædicto exitus ſui die, & hora, ſumma pace quievit, hac die. *F.* Segabiæ in monaſterio S. Martini n. Ord. Ven. Eliſabethæ Annæ a Conceptione, quæ a teneris annis Deò cæpit cum fervore ſervire. Monialis facta, orationi ſe dabat continuæ, pœnitentia corpus ſuum domabat, erat Solitudinis amatrix: cum in brachio grave ulcus pateretur, ope S. Franciſci Xaverii implorata, ſalutem adepta eſt perfectam. Quinquies Prioriſſe munus adepta eſt, in quo mira prudentia ſe gerebat; donec annis, erat enim annorum octoginta, confecta, relicta ſui nominis pia notitia, obdormivit in Domino. *G.* In oppido Vitigudini Salmanticenſis Diœceſis. Ven. Antoniæ ab Aſſumptione monialis in monaſterio S. Toribii n. Ord. quæ mota viſione ejuſdem ſancti, ſtatuit Religionem amplecti; fuit ejuſdem S. Toribii valde devota, per quem e multis ſervata eſt periculis. Fuit etiam orationi valde proclivis, in qua ſibi continua erat Chriſti patientis in horto contemplatio: tandem gratæ relinquens ſanctitatis odorem, pie debitum naturæ ſolvit. *H.* In oppido Bocairenſi apud Aragoniam in cœnobio. B. Virginis ſub titulo Dolorum mors felix Ven. Auguſtinæ Joannæ, quæ a teneris annis omnibus ſe aſſuefecit virtutibus, pœnitentiam, orationem, & ſolitudinem amabat, quas virtutes humilitate profunda exornabat, & patientia in injuriis tolerandis coronabat. Supra nudam tabulam, & truncum ad caput ſomnum capiebat. Ciliciis utebatur continuis, & aſperis: ad plures horas protrahebat orationem; & quotidie unius horæ ſpatio proſtrata ſupra ſepulchrum, quo tumulanda erat, orationem habebat circa contemplationem mortis. Circa Paſſionem Domini fuit devotiſſima: tota ſua de Deo, in Deo, & ad Deum, erat converſatio: in aſſiſtentia chori rara fulſit obſervantia, etiam quando lumine caruit oculorum: in ultima infirmitate, quam incredibili patientia toleravit, magna cum teneritudine ſuſceptis ſacramentis, meritis glorioſis cumulata, ad requiem æternam, ut pie creditur, evolavit. *I.* In cœnobio Cæſar-auguſtano memoria. Ven. Joannis de Ibarra, viri raræ ſanctimoniæ, qua conſummatus, felici fato deceſſit.

COMMENTARIA

AD DIEM TERTIUM JANUARII.

A. S. Blitmundus natus eſt in quodam Caſtro Delphinatus ad Iſaram fluvium, e nobilibus parentibus: attamen, cum crudeli languore Laboraret, & a S. Walerico ſanatus eſſet, ſub illius diſciplina manſit; poſt cujus obitum ad S. Attalam perrexit, cum quo aliquandiu vixit; & ab eo diſcedens ad ſepulchrum S. Walerici, ibi ædificato monaſterio, cum pluribus ſanctiſſime vixit, & obiit hac die multis clarus miraculis; circa ſeptimum ſæculum; nam S. Walericus floruit circa annum 613. & hic fuit diſcipulus N. S. Columbani, ut dicendum eſt die 1. Aprilis. Videantur NN. Cruſen. p. 2. c. 11. Elſſ. l. U. fol 677. De S. Blitmundo agunt Andreas Sauſſai in martyrol. Gallico, & Acta Sanctorum hac die.

B. S. Genovefa Virgo Pariſiis nata eſt, quæ a parentibus in Dei timore educata, virtutum omnium de ſe dabat indicia; ob quæ anno 429. mundi, & parentum pompas deſpiciens, ſanctimonialis vitam amplexa eſt in cœnobio Virginum Ordin. N. a S. Germano Epiſcopo Antiſſiodorenſi fundato, ubi vitam proſequens mirabilem, poſt 28. annos plena meritis, & innumeris coruſcans miraculis, animam in ſui manibus Sponſi tradidit coronandam die 3. Januar. anno 457. Illam inter Sanctimoniales Auguſtinianas numerant ex NN. Herrera tom. 1. lit. G. in Alph. fol. 272. Elſſius in Encom. ibidem, Torelli in Centur. 1. cap. 23. fol. 60. Jacob. Font. in Viridario SS. Ordin. hac die a fol. 115. Hieronym. Roman. in Chronic.

Chronic. Arpe tom. 1. Sanctorum fol. 5. Ex exteris Fr. Dominicus Gravina Dominicanus in sua Voce turneris fol. 105. Beyerlinck. in Theatr. tom. 6. fol. 1068. De illa agitur a Martyrolog. Roman. Baron. in notis, Beda, Usuardo, Adon, Surio tom. 1. SS. S. Gregor. Turon. in lib. Gloriæ confessorum c. 91. & in histor. Galliæ lib. 4. c. 1.

C. B. Osilia Virgo Monialis facta est in cænobio Montis Leodii, ubi degebat B. Juliana, de qua agendum est die 5. Aprilis, & cum ipsa, & sociis BB. Agnete, & Elisabetha, de quibus agendum est die 21. Januar. & 19. Nov. exul facta, tandem sancto fine quievit tempore Urbani Quarti. De illa agit Chrisostomus Henriq. in suo Menol. Cistercienſi asserens illam sui Ord. fuisse, quod falsum ostendunt Acta SS. die 5. Aprilis.

D. Ven. Petrus Suares natus est in extremis Dorii e nobilibus parentibus, Alphonso, scilicet, de Escobar, & Marina Suares: dum puer esset, suffocatus ferro, per Virginis opem liberatus est. Habitu nostro induitur ætatis 13. anno 1540. Mexici pro Dei gloria plurimum Laboravit. Cum pluribus claruisset virtutibus, a Philippo II. Rege Hispaniarum anno 1590. electus est Episcopus Guadalaxaræ, sed ante consecrationem obiit in principio anni 1591. in oppido Tlayacapan, de quo plura narrantur, & præcipue, quod usque ad ultimi spiritus ejectionem Virgo permanserit. Agit de illo N. Herrer. tom. 2. Alphab. lit. P. de Pers. SS. fol. 251. Calancha in Chronic. Mexici, Torelli Centuria 5. c. 89. fol. 617. Arpe tom. 1. SS. die 3. Junii fol. 308. & alii.

E. Ven. Genêsa a S. Didaco, nata fuit in oppido Castalla regni Valentiæ ex Onufrio, & Agnete Navarris, a quibus summa cum pietate fuit educata. Nuptias exosa, e domo parentũ clam egressa, cænobium Monialium Alchodii petiit, habitum rogatura, quo nacto, invitis parentibus, anno tyrocinii elapso, professionem emisit 10. Maij anno 1605. Claruit humilitate, & gratia curationum, multos enim gravibus morbis laborantes mirabiliter sanavit. In omni virtute claruit. Cum gravi morbo langueret, a S. Getrude virgine consolata est: mox a dæmone perterrefacta, Angeli sui Custodis auxilium experta est: mox etiam illi Christus pulcherrimus apparuit, a quo maximum solamen accepit. Tandem advênit purissima Dei mater, Puerum Jesum ad ulnas portans, circumsecus stellis coruscans, quæ postquam Genêsam solata est, cellam reliquit stellis coruscantem. His, & aliis favoribus solata, divino amore liquescens, sacramentis præmunita, hora sui exitus prædicta, in pace quievit hac die, anno 1663. Agunt de illa NN. Jacob. Jorda tom. 2. histor. Valent. lib. 5. c. 4. fol. 500. Villerin. in Solari Aug. tom. 3. lib. 36. tract. 2. folio 142.

E Ven. Elisabetha Anna a Conceptione Valentiæ lucem vidit, quæ á tèneris Religionis desiderio flagravit, & duodecim annorum facta, in Monacham suscepta est: post professionem claruit oratione, pœnitentia, & rara solitudine, patientia in laboribus. A S. Francisco Xaverio salutem in brachio graviter vulnerato suscepit, & cum rara prudentia pollêret, quinquies in Priorissam electa est. Cum autem multis, & virtutibus, & meritis coruscaret, annis plena, ad Sponsi cælestis thalamum pie creditur properasse in cænobio Segorbiensi S. Martini die 3. Januarii anno 1692. ætatis suæ 80. & religionis 68. Agit de illa N. Villerin. in Solari August. lib. 41. tract. 2. tom. 3. fol. 264.

G. Ven. Antonia ab Assumptione in regno Portugalliæ nata est in oppido vulgariter dicto: Freixo de espada a cinta, ex Lupo de Castro, & Maria Coelha, cui mirabili visione appárens S. Toribius, illam ad Religionem amplectendam excitavit; quam ingressa est post innumeras ambages, ubi raris vixit sanctitatis exemplis, & pie obiit die 3. Januar. anno 1669. Agit de illa N. Villerinus tom. 1. Solaris August. lib. 7. tract. 3. fol. 369. agens de cænob. S. Toribii.

H. Ven. Augustina Joanna in Lucem prodiit in Oppido Onil Valentiæ ex Bartholomæo Joanne, & Euphemia Vilicenti: Sanctimonialis facta est in cænobio Dolorum B. Virginis in oppido Bocairensi, ubi professa est die 21. Septemb. ann. 1655. In religione eandem, in sæculo servatam, vitam duxit; erat enim pœnitentiæ, orationis, & solitudinis satis amica, & quotidie sacra reficiebatur synaxi. Humilitate, & sui contemptu gaudébat, & mira patientia injurias, & falsa testimonia tolerabat. Per triduum in hebdomada pane, & aqua solum ad alimentum utebatur; & idem agebat in vigiliis festivitatum Christi, B. Virginis, Apostolorum, & Sanctorum nostri Ordinis, cruentas adjiciens disciplinas. Super nudam tabulam, & truncum pro cervicali, somnum

num capiebat. In choro aſſidua fuit; Sanctiſſimi Sacramenti devotione liquefiebat. Tandem pluribus ornata virtutibus, Sponſi forſan annulo ſubarrhata, ad cæleſtes nuptias properavit hac die anno 1699. De illa Late agit N. Jacob Jorda tom. 2. hiſtor. Valentiæ lib. 2. cap. 10. fol. 327.

H. Ven. Joannes de Ibarra Cyracuſis natus eſt ex Martino de Ibarra, & Anna Alaſan: ibidem profeſſus eſt die 3. Januar. ann. 1588. & ibi Sancte quievit anno 1630. ut refert N. Jorda tom. 3. hiſt. Arag. L. 2. c. 3. fol. 108. n. 9.

PRIDIE NONAS JANUARIJ.

IV.

A. In monaſterio S. Mariæ Novellæ Vallis arni Diœceſis Lucanæ, & dominii Florentini pretioſa mors B. Oringæ, ſeu Chriſtianæ Virginis, quæ ibidem plures ſanctimoniales conjungens, & regens, verbo, & exemplo illas docuit cæleſtem Sponſum diligere, ut poſſent Deum Deorum in ſion in perpetuas æternitates videre; donec annis, heroicis virtutibus coruſcans, & innumeris illuſtrata miraculis, & ſpiritu prophetiæ clara, in cælum migravit. *B.* eodem die memoria illarum decem Beatarum Virginum ejuſdem monaſterii, quæ ibidem ſub diſciplina B. Chriſtianæ degentes, ante illam cælos petiêre, quæ a pluribus glorioſæ in defunctæ Chriſtianæ obſequium féretro viſæ intereſſe fuerunt. *C.* Senis apud Ilicetum felix obitus Beatæ Bartholomææ Albizeſca, quæ orta e nobili genere in matrimonium data eſt Troliardo de Ptolomæis claris orto natalibus: poſt cujus obitum induta a noſtris Ilicetanis habitu eremitico tertij Ordinis, tanto erga Deum amore inundabatur, ut vel ore, vel corde dulciſſimum Nomen Jeſu próferens, animam videretur exhalare, ámitaque, & magiſtra adoleſcentem D. Bernardinum hoc ſanctum, & terribile Nomen Jeſu docuit venerari. Tandem, cum fuiſſet religioſæ vitæ valde obſervatrix, fuerat enim in oratione continua, in carnis mortificatione, & ſi in ſenili ætate, admirabilis, in humilitate erga Deum, & homines inſignis, innumeris cumulata meritis, curſum vitæ feliciter conſummavit. *D.* In cænobio S. Monicæ in oppido Angelorum novæ Hiſpaniæ fama poſthuma Ven. Mariæ a Purificatione, ſic dictæ, quia in die Purificationis B. Virginis nata eſt, de qua fertur, quod in Religione floruerit rara obedientia, humilitate profunda, patientia mirabili, dono Lachrymarum, perenni affectu erga B. Virginem Mariam, ſilentio inviolabili, charitate erga infirmas; donec gravi morbo correpta, felici exitu, relinquens ſui memoriam glorioſam, e ſolo ad cælum, ut pie créditur, hac die, evolavit.

COMMENTARIA

AD DIEM QUARTUM JANUARIJ.

A. B. Oringa ſic dicta in ſæculo, in Religione tamen Chriſtiana, ortum habuit in oppido S. Crucis de Valdarno Diœceſis Lucanæ, anno 1240. e parentibus egenis: in baptiſmo dicta eſt Oringa, quod nomen vallem excelſam, & elevatam inſinuat. Annis aucta, mundi cæpit odiſſe fallacias, & adeo caſtitatem amavit, ut quoties verbum, aut mundanum, aut otioſum audiret, ſtatim ad vomitum provocaretur, quæ res illi etiam aliquando accidit, cum quendam in peccatis exiſtentem vidiſſet ſacerdotem. A fratribus ſuis ad nuptias coacta, cæli monitu e domo ſua aufugit, & perveniens ad flumen Guiſcianum, Deum precata, aperto flumine, per medium ſiccis pedibus per tranſivit: poſt cujus tranſitum a dæmone territa, a duobus Angelis

gelis in equis ſedentibus defenſa eſt, ſicut alibi a S. Archangelo Michaele, ne ſtupraretur, ſervata eſt. Poſt varias peregrinationes, cum in oppidum Valdarni ingrederetur, & ex illo egreſſum tentaret, miraculo pedum immobilium ibidem permanſit. Sed cum nimis optaret in monaſterio vitam religioſam tranſire, in quodam loco radios innumeros aſpexit, ubi monaſterio fundato, & Monialibus pluribus ſuſceptis, raro ſanctitatis exemplo vivere cæpit: erat enim paupertatis ſublevatrix; in cujus teſtimonium, graſſante fame Valdarni, & in oppidis vicinis ſubſequens operata eſt miraculum, juſſit enim in terra ſui cænobii fabas ſeminare; nam poſita in medio terræ ſublimi cruce, & ſtatim creſcentibus fabis, ad omnes, ut panes fierent, pervenit abundantia. A B. Virgine litteras edocta eſt. Solem ſiſtere fecit, dum Moniales matutinum recitarunt magna ſolemnitate. Tandem gravi morbo, per triennium durante, correpta, in ipſa patientiam oſtendit incredibilem, & cognoſcens ſui exitus terminum, glorioſis meritis referta, & innumeris illuſtrata miraculis, & plura prædicēs futura, ad ſuperos evolavit hac die, anno 1310, in quo die in ſuo monaſterio feſtū illius celebratur Addit Cruſenius, illam a Sixto V. eſſe in numero Beatarum collocatā, quamvis de hoc Herrera, infra citandus, dubitet. Ejus anima in cælum ab Angelis a Ven. matrona, Fregia nuncupata, vita eſt levari. Poſt mortem multis claruit miraculis, quorum ergo ejus fama per totā Italiam divulgata eſt. De B. Chriſtiana agunt ex NN. Cruſen, Herrer. in Alphab. tom. 1. fol. 135. Toreli in Centur. 2. c. 52. fol. 187. Elſſ. in Encomiaſt. lit. C. Jacob. Font. in Viridar. SS. a fol. 123. uſque ad 151. Curtius in ejus vita, Arpe in Diario SS. n. Ord. tom. 1. fol. 7. Joſephus a D. Antonio in Flore Sanctorum hac die tom. 1. a fol. 15. Ex exteris Silvanus Razzi, qui idiomate italo illius vitam conſcripſit, & Joannes Bolandus in Actis SS. tom. 1. licet ibi illam noſtri eſſe Ordinis, male affectus, non enarret.

B. Poſt mortem B. Chriſtianæ, cum ejus corpus in feretro in Eccleſia iacuiſſet, in conſpectu maximi concurſus, & occurſus, ecce ab interiori Cænobio egreſſæ ſunt decem Moniales, omnes ejuſdem ætatis, repræſentantes ad plurimum circiter viginti annos, æqualem pulchritudinem, ſtaturam, & aſpectum, quæ omnes ordinatim ad Eccleſiam perrexēre, & cum omni gravitate, & modeſtia ad feretrum pervenēre, & circumſecus ſuo ordine diſpoſitæ, B. Chriſtianæ corpus compoſuēre, & ibi moras fecēre duabus alis diviſæ uſque ad ſolis occaſum, quo tempore venerandum cadaver venerantes, ad cænobium rediere, ordine, quo venerant, non diſſimili. Novitas caſus perteruit circunſtantes, & inquiſitione diligenti, quæ eſſent Moniales, peracta cognoverunt, eſſe decem Moniales, quæ ante Chriſtianam e vivis ad Cælum deceſſēre, & nutu Dei ad venerandum corpus ſuæ matris de Cælis devenere. Referunt NN. Herrer. lit. C. ubiſupr. Jorda, & Joſephus a D. Antonio ubiſupr. & quotquot de B. Chriſtiana ſcripſere.

C. B. Bartholomæa Albizeſca nobilis Senenſis, ſoror Tolli Dini, & S. Bernardini Senenſis ámita, habitum Mantellatarum induit; erat enim fæmina timorata, & Deo devota, & adeo Nominis Jeſu pronuntiatione recreabatur, ut nonnunquam, præ ſpiritus fervore, quaſi inſanire videretur; & inter omnium virtutum genera, poſt varios ſenectutis, & dolorum morbos, nonnaginta annorum facta, meritis innumeris exornata, ſanctitatis nimium relinquens odorem, mundi victrix, & triumphatrix, in cælum migravit anno 1402. cujus corpus, ut ait N. Philippus Elſſius, extat in monaſterio S. Crucis in monte Falcho. De illa agunt ex noſtris Illuſtriſſimus Ambroſius Landucci in Sylva Ilicetana Elogio 50. fol. 127. Herrera tom. 1. Alphab. lit. B. fol. 96. Torelli in Centur. 3. c. 52. fol. 291. Elſſius in Encom. lit. B. Nævius, Arpe in Diario SS. Ord. die 15. Januar. fol. 28. Joſephus a D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 1. & plures alii, quibus additur N. Leal, qui in mſ. aſſerit illam obiiſſe vel 21. Decembr. vel die 4. Januar. ideo in hac die de illa facimus mentionem. Ex exteris agunt de illa Bſovius, D. Antoninus apud Herrerā ubiſupra; Lipoman. tom. 3. fol. 119. & Realdus ejus imaginem poſuit in ſuo ſtemmate Heroum, & Heroinarum, Raphael Paſinus Venetus lib. 3. iconum cum imagine. Videatur Surius in vita S. Bernardini tom. 2. die 20. Maij in §. Cum jam autem, folio 416. qui omnes aſſerunt noſtri ordinis illam fuiſſe. Unde deceptus eſt quidam ſcriptor incognitus, & deceptionum amator, qui vage ſcribens aſſeruit illam Canonicis pertinere, ſed quo titulo, adhuc monſtrare non potuit.

D. Ven. Maria a Puriſicatione nata eſt in oppido Harlauquitepel prope Civitatem Angelorum in nova Hiſpania, e parentibus

ignotis, quæ á téneris annis virtutis cæpit indicia demonſtrare. Cum ætatis eſſet, monialis habitum induit in dicto cænobio S. Monicæ die 4. April. anno 1685. & ſtatim Deo votum fecit faciendi, quod ſibi perfectius videretur, & ſic ſuæ voluntati totam ſe negavit, ſe ſe ſubjiciens in omnibus voluntati prælatæ: humilitatis amans, omnia monaſterii munera, & ſi viliora, libentius exercebat. Fuit B. Virginis devotiſſima, cujus ope carnalis concupiſcentiæ incendia non ſenſit: ſilentium raro exemplo ſervavit. Omnibus diebus, prius, quam ſe traderet cubili, prælatæ, quos in illa die cõmiſerat, defectus declarabat. Quotidie in virtutum ſtudio, & ſtadio augmenti ſatagebat. Tot ergo ornata virtutibus, gravi morbo correpta eſt, quem patientiſſime toleravit, & ſacramentis magna pietate ſuſceptis, poſt viginti annos, ſupra unum, ætatis, animam efflavit die 4. Januar. anno 1692. Late agit de illa N. Villerin. tom. 3. Solaris Auguſtin. lib. 34. tract. 5. a fol. 40.

NONIS JANUARIJ.

V.

A In monaſterio S. Mariæ Novellæ Vallis arni memoria B. Jacobæ de Luca, quæ precibus B. Chriſtianæ a Deo impetrata, & juxta ejuſdem vaticinium in ſuo Vallis arni monaſterio ſanctimonialis, calcato mundo, illiuſque protritis illécebris, Chriſtianæ vitam æmulata, omnibus admirationi fuit; & ſic in omnium virtutum exercitio perſevérans, ad Sponſi cæleſtis nuptias properavit. *B.* Hiſpali in Hiſpania in cænobio S. P. Auguſtini obitus Felix Ven. Andreæ a S. Auguſtino, qui, cum per quinquaginta, & amplius annos Deo, tanquam fidelis ſervus, deſerviret, hac die, fato ſublatus e vivis, in Cælum coronandus aſcendit; ad cujus exequias celebrandas omnis populus advênit, divinitus incitatus. *C.* In Provincia Limenſi in Indiis tranſitus Ven. Joannis a S. Petro confeſſoris, qui fuit unus exduodecim, qui in Provincia Peruana monaſteria erexerunt, ubi apoſtolicum munus exercens, multos ad fidem reduxit: quæ enim aliis prædicabat, exemplis inſe propriis confirmabat, erat enim moribus caſtiſſimus, charitate fervidus, & erga infirmos ſolicitus, & erga D. Nicolaum de Tolentino devotiſſimus. Tandẽ uſque ad ultimam exbalationẽ ſervans virginitatẽ, ad Lilia cæleſtia, quæ in terris promeruit, ſuſcipienda migravit. *D.* Ulyſipone in cænobio Gratiarum obitus Ven. Joannis a D. Jacobo confeſſoris, viri in Religione obſervantiſſimi; qui jam jam moriturus dixit: Virgo Maria, & P. Auguſtine, recte mihi apparére poterátis, ſicut in præterita mihi infirmitate dignati eſtis apparere, ſicque profundæ ſanctitatis veſtigia relinquens, in cælum pie creditur tranſvolaſſe. *E.* Ferrariæ in Sucronenſi ſinu, Carthaginem verſus, memoria Ven. Seraphini a S. Joſepho qui abingreſſu in Religione noſtrorum Excalceatorum, magna floruit obſervantia; fuit enim in aſſiſtentia chori admirabilis, & ad omnia Religionis officia promptiſſimus, quin unquam, & ſibi debitis, diſpenſationibus uteretur: adeo obedientiam obſervavit, ut nihil ſine prælati licentia aggredi auſus foret. Otio bellum indixit. Fuit Chriſti patientis devotiſſimus, & venerabile Euchatiſtiæ Sacramentum puro veneratus eſt affectu, cujus altare floribus continuo exornare eſt ſolitus; ob quæ petiit a Prælato, ut poſt obitum ſuum cadaver ante Euchariſtiæ altare tumularétur. Cum autem præcipiti paralyſi oppreſſus eſſet, ſumptis devotiſſime Sacramentis, cæleſti viſione recreatus eſt; tunc enim temporis illi apparuerunt Angeli in ſpecie viſibili, & pulcherrima, qui ad modum chori, & proceſſionis diſpoſiti, per mediam quaſi horam dulciter vibriſſantes, ægrotantem ſolati ſunt, & ad Dei Laudes invitarunt, & inter angelicos cantus caducam exuens mortalitatem, cum illis ſociatus ad angelicas in cælo Dei laudes audiendas perenniter aſſumptus eſt, hac die, ſicut ante prædixerat; cujus corpus in eccleſia populo expoſitum, ſuaviſſimum exhalavit odorem. Poſt cujus obitum ſuus teſtatus eſt confeſſarius, tanta vixiſſe puritate, ut in omni vita nunquam mortaliter ſe ſe maculaverit.

COM-

COMMENTARIA

AD QUINTUM DIEM JANUARII

A. B. Jacoba de Luca fuit Francuci Lucenſis filia, precibus B. Chriſtianæ S. Crucis Vallis Arni fuit a Deo impetrata, & poſtea in ſuo cænobio Sanctimonialis facta, relicto mundo, omnibuſque illius pompis, Chriſtianâ ita æmulata eſt ut quotidie in virtutũ ſtadio clariſſimis proficeret incrementis; donec innumeris exornata meritis, ad cæleſtem patriam translata eſt circa annum 1330. Agunt de illa NN. Herrera in Alphab. lit. I. fol. 370. Torelli in Centur. 2. cap. 68. fol. 192. Jacob. Font. in Viridario Ord.in vita B.Chriſtianæ fol.142.

B. Ven. Andreas a S. Auguſtino Hiſpali inter noſtros Excalceatos habitum aſſumens, ibi per quinquaginta tres annos ſanctiſſime vivens, tandem die 5. Januar. anno 1628. e vita migravit, ut teſtantur NN. Herrera in Alphab. tom. 1. lit. A. fol. 35. Torelli Centur. ſexta cap. 70. fol. 727. Elſſius in Encomiaſt. Auguſtiniano, Sebaſtianus de Portillo hac die tom. 1. fol. 20.

C. Ven. Joannes a S.Petro,Cordubenſis cænobii filius; poſtquam eſſet in Sacra Theologia Magiſter, in Indias Hiſpaniæ profectus eſt cum aliis anno 1551. ubi modeſtia, pudicitia, & charitate erga pauperes coruſcavit. Miſſus fuit ad converſionem Indorum Guamachuci, ubi feliciter in vinea Domini laboravit. Plura invitus munera in Religione exercuit. Cum eſſet Provincialis, undecim cænobia erexit. Stans Limæ, morbum Lethalem contraxit, & jam jam moriturús, confeſſario jubente, coram adſtantibus Fratribus, dixit, ſe illibatum caſtitatis florem non maculaſſe. Tandem octogenerarius ad caſtos cæleſtis Sponſi amplexus deceſſit in principio anni 1594. De illo agunt NN. Herrera in Alphab. lit. I. fol. 407. Torelli Centur. 5. cap. 100. Elſſ. in Encom. Aug. lit. I. Joſephus a D. Anton. tom. 1. Flor. SS. fol. 314. Sebaſtianus de Portillo tom.1 SS.Ord.fol.21. hac die, & Calancha in Chron. SS. N. Ordinis.

D. Ven. P. Joanes a D. Jacobo Luſitanus,fuit homo pluribus exornatus virtutibus, taliter clauſuræ amicus, ut foras egredi noluiſſet; unde cum Vicarii Prioris munus exerceret in hoc cænobio Gratiarum, vocatus a Collectore ad certum negotium tractandum, moram fecit, egreſſionem e cænobio pertæſus: ſecundo vocatus, ſtatim iter arripuit:a quo inquiſivit Collector. cauſam moræ? Reſpondit, quia ignorabat, in qua parte cænobii Janua manebat: quia ab annis novem retroactis per illam non fuerat egreſſus. Fuit paupertatis rigidus obſervator, in choro aſſiduus; & in oratione continuus: vix ad chorum cymbala ſonabant, citius ad chorum evolabat. Plura de illo narrantur. Obiit tandem Olyſipone magnæ ſanctitatis relicta opinione, hac die an. 1641. Agit de illo N.Leal in M.S.fol.180.

E Ven. Seraphinus à S. Joſepho Ferrariæ natus eſt anno 1612: mundo valedicens, in cænobio Excalceatorum in ſua patria habitum illorum, ſeptemdecim annos natus, ſuſcepit anno 1629. die 17. Julii, & profeſſionem emiſit anno 1630. die 23. ejuſdem, ubi ſe in omni virtute exercens, cum perveniſſet ad 69. annos ætatis, horam, & diem ſui tranſitus prædicens, paralyſi correptus eſt, & ab Angelis viſibiliter apparentibus ſolatus; inter illos animam beandam efflavit in Dominica hac die, anno 1681. Agit de illo Late Fr. Joannes Bartholomæus Excalceatus in Luſtris Ordinis,Luſtro 18. n. 67. fol. 509.

OCTAVO IDUS JANUARIJ.

VI.

A. Antiſiodori Translatio S. Germani Confeſſoris, & Epiſcopi Antiſiodorenſis, cujus ſacræ exuviæ deportatæ ſunt a Eccleſiam S. Mauricii é cathedrali ſede, & illam, & decore, & titulo perenni, & fixo reddidere glorioſiorem.

B. In Caſtello Pogii Provinciæ Spoletanæ memoria prodigii, quod contigit; nam cum. VV. Virgines numero tres noſtri Ordinis Mantellatæ, & devotæ Deum rogarent, ut illis oſtenderet, in quo loco in vita clauſtrali per illas vellet honorari;

norari; ecce in claro die ſtellam aſpexêre flammantem, cujus ductu Fulginum devenêre, & vix urbis mœnibus appropinquavêre, ſtella immobilis permanſit, ſimilis ſtellæ Magorum, quatenus, & hæc tribus Virginibus viam demonſtravit: quo oraculo admonitæ illic cœnobium conſtruxêre ſub Auguſtiniano inſtituto, & titulo S. Crucis; ubi feſtum Epiphaniæ in memoriam ſtellæ ſolemniter quotannis celebratur. *C.* In Peruana provincia obitus Ven. P. Gabrielis de Sahona confeſſoris, qui poſtquam Quitenſem Provinciam Ordinis fundaſſet, & innumeris ibidem coruſcaſſet virtutibus, poſt multos exantlatos labores, ad præmia cæleſtia volavit. *D.* Valentiæ in Hiſpania in cœnobio S. P. Auguſtini obitus Ven. Roderici Soliz confeſſoris, viri doctiſſimi, & Sancti, qui floruit prudentia, religione, zelo, & exemplo, præcipue humilitatis profundæ, & fervidæ charitatis, penitenciæ rigidæ, & orationis continuæ. In paupertate fuit mirabilis. Erga Sanctiſſimum altaris Sacramentum, B. Virginem, & S. Ignatium Martyrem fuit devotiſſimus. Tandem, multis cumulatus meritis, in pace quievit. *E.* Taurini in cœnobio S. Caroli memoria Ven. Modeſti a S. Paulo noſtri Diſcalceati, qui in Religione de ſe raræ dedit ſanctitatis indicia; de que ſe victoriam reportavit, carnem ſuam domans ciliciis, jejuniis, & pluribus aliis mortificationibus. Raro loquebatur, niſi neceſſitate compulſus. Gravi morbo correptus, illum patientiſſime toleravit; & tandem Eccleſiæ munitus Sacramentis, inter tenera ad Deum colloquia animam hac die efflavit. *F.* Calabriæ in oppido Roccæ Bernardæ tranſitus glorioſus V. Modeſti ab Spiritu Sancto, qui habitum Diſcalceatorum Neapoli aſſumens in cœnobio S. Nicolai, ibi omnium virtutum claruit exemplo, ſed graviſſima oppreſſus ægritudine, quam per triginta tres annos rara patientia toleravit, adhuc præter Ordinis jejunia, plura alia, pane, & aqua contentus, obſervabat. Tandem, ut a laboribus requieſceret, relicto ſuæ vitæ præclaro teſtimonio, e vivis piiſſime exceſſit. *G.* Villaviçoſæ in Luſitania in cœnobio S. Crucis tranſitus Ven. Margaritæ de Jeſu, ejuſdem cœnobii fundatricis, & primæ Prioriſſæ, cujus vita innumeris non caruit, ſed claruit, prodigiis, quæ etiam poſt illius obitum durarunt. Donec ſui ante biennium tranſitus diem, & horam prædicens, ſorores ad virtutes exhortata, in Domino obdormivit. *H.* Conimbricæ in Collegio Gratiarum memoria Ven. Virginis Beatricis Vaz de Oliveira ex civitate Eborenſi, & noſtri Ordinis Mantellatæ profeſſæ, cujus vita glorioſa, plenaque fuit magnis prodigiis. Cum ergo Conimbricæ pie deceſſiſſet, in dicto Collegio magna cum pompa ſepulta eſt. *I.* Ulyſſippone juxta oratorium D. N. de Monte, quod Ordinis noſtri ſub adminiſtratione permanet antiquiſſima, memoria Ven. Vincentii Mantellati, viri cæleſti ſpiritu exornati, & mirabili converſatione clari, qui cum in omnium virtutum ſplendore claruiſſet, plures ad ſui conſortium, & converſationem alliciebat; inter quos fuit Ven. Joannes Vincentius, qui poſtea fuit in hoc regno Congregationis S. Eligii. Erector. Vincentius autem, vitæ curriculo piiſſime abſoluto, ad requiem evolavit ſempiternam.

COMMENTARIA

AD DIEM SEXTUM JANUARII.

A. Translatio S. Germani Epiſcopi affertur a Maurolico, Galeſino, Ferrario, Sauſſay, & Actis Sanctorum hac die in prætermiſſis. Quod autem S. Germanus ad noſtros pertineat, agendum eſt die, quo ejus feſtum celebratur, ſcilicet, pridie Kalendas Auguſti.

B. Prodigium, quod refertur lit. B. accidit anno 1292. die 16. Decembr. & nomina trium Virginum erant, Jacoba de Jacobo de Offreducio, Joanna de Giovannone, ejus conſobrina Germana, & Joanna de Giovanucio. Omnia referunt N. Herrer. tom. 1. de monaſter. fœminar. fol. 266. ſub verbo Fulginatenſe, N. Elſſius in Encomiaſt. Auguſtin. lit. I. fol. 319. dum de Vener. Joanna.

C. Ven. Gabriel de Sahona in Caſtellæ Provincia profeſſus eſt an. 1559. die 21. Decemb. Poſt aliquot annos in Provinciam Peruanam profectus, ibi Provinciam Quitenſem fundavit, et rara ſanctimonia vixit; erat ſomno parcus, ſolum enim per tres horas ſomnum capiebat, alio namque tempore

pore in choro orabat: jejunium perpetuum ſervabat; quotidie ſolum ſex panis uncias aqua miſtas ſumebat: cilicio aſpero ſemper eſt uſus: erga infirmos charitate fervebat: perennes exſtaſes animo patiebatur. Nocte ante obitum columba alba ſuper illius pulvinar incubuit, nec ullatenus amoveri potuit: brevi tamen, Columbina manſuetudine hac die volavit in cælũ an. *1615*. Agũt de illo Chronicon Peruanum, N. Sebaſtianus de Portillo de SS. n. Ord. N. tom. *1*. fol. 27. Joſephus a D. Antonio tom. *1*. Flor. SS. fol. *194*. & Fr. Bonaventura de Salinas in lib. rerum Peruanarum.

D. Ven. P. Rodericus de Soliz natus eſt in Bethica Provincia, & ibi habitum Ordinis aſſumpſit: poſt annos, cum ſcientiarum multa ſupellectile floreret, & lecturam exerceret, anno *1568*. miſſus eſt ad reformandam Provinciam Valentiæ, ſecum deferens quinquaginta Religioſos graves, & doctos, & dictam Provinciam ingreſſus eſt die 1. Martii anno 1569. ubi reformatoris munus felici exitu adimplevit: & ſanctis operibus, & virtutibus exornatus, in pace quievit in principio Januarii anno 1583. De illo ex NN. agunt. Herrer. in Alphab. tom. 2. c. 38. folio 319. Jacobus Jorda tom. 1. hiſtor. Valentiæ lib. 1. c. 24. fol. 171. & F. Didacus Murillo Franciſcanus in Excellentiis Cæſarauguſtæ tract. 2. c. 38. fol. 319. ubi illum appellat virum natura, & gratia nobilem, inſignem religione, litteris, prædicatione, & prudentia in regimine, & reformatione monaſteriorum.

E. Ven. Modeſtus a D. Paulo natus eſt in diæceſi Mandovenſi ann. *1654*. habitum noſtrorum Diſcalceatorum induit, & profeſſus eſt die *28*. Aug. ann. *1671*. & in religione vixit rara ſanctimonia, & cum eſſet Taurini in Cænobio S. Caroli, ibidem pie deceſſit hac die anno *1673*. Refert Fr. Joannes Bartholomæus Diſcalceatus Luſtro 17. ann. *1673*. fol. 471.

F Ven. Modeſtus ab Spiritu Sancto natus eſt Calabriæ, & cum eſſet triginta ſupra unũ annorum, Neapoli in cænobio Diſcalceatorum habitum aſſumpſit, & profeſſionem emiſit die 1. Maij anno *1638*. ubi apoplecticus factus, & lecto decumbens, ibi triginta per tres annos magna tolerantia permanſit, in omni virtutum genere coruſcans; donec nonnagenarius in pace quievit anno *1687*. Agit de illo Frater Joannes Bartholomæus etiam Diſcalceatus Luſtro *18*. fol. *581*.

G. Ven. Margaritta de Jeſu nata eſt in oppido Villaviçoſæ, ſoror fuit Eliſabethæ Chirinæ, quæ poſt ſæculi nuptias fundatrix extitit Cænobii ſpei Ordinis S. Franciſci in eodem oppido. Habitum noſtri Ordinis aſſumpſit Eboræ in cænobio nominis Jeſu, cum annorum duodecim facta eſſet. Ab ingreſſu in religione ſe aſpero cilicio, & continuis macerabat diſciplinis: a carnium eſu, & cibis delicatis abſtinuit: in adventu, & quadrageſima triduo vitam pane, & aqua tolerabat: in ſilentio, & ſolitudine fuit mirabilis, in oratione aſſidua, ubi a Deo innumeros ſuſcepit favores: plures dæmonis tentationes protrivit, ac ſuperavit. Humilitate ſingulari reſplenduit. Ex hoc cænobio deſumpta eſt, ut prima fundatrix cænobii Monialium S. Crucis in oppido Villaviçoſano foret, ubi prudentia in regimine, & ſanctitate in moribus floruit. Tandem cum multo ante ſui obitus annum prædixiſſet, gravi morbo oppreſſa, magno ſanctitatis odore, e vita exceſſit hac die, anno *1539*. ætatis ſuæ 73. religionis 55. Poſt mortem multoties apparuit glorioſa. De Ven. Margaritta agunt NN. Herrera tom. 1. fol. 210. dum de Eleonora a Cruce, Torelli Centur. 4. c. 78. fol. 475. D. Fr. Alexius de Menezes in libro Sanctorum, Hieronym. Romanus tom. 2. SS. Hiſpaniæ, & Antonius á Purificat. in Chronolog. monaſtic. & Chron. Provinc. p. 2. fol. 254. Ludovicus ab Angelis in ſuo Viridario fol. 352. Elſſ. in Encom. Aug. hac die folio 417. n. 40. Sebaſtian. de Portillo tom. 1. SS. fol. 39. Arpe tom. 1. SS. hac die fol. 11. Joſephus a D. Anton. tom. 1. fol. 184. Leal in M. S. fol. 75. libro lit. C. Agiologium Liſitanum hac die fol. 53. Petrus Calvus in Lacrym. juſtor. lib. 12. c. 12. & Didacus Emmanuel tom. 1. Illuſtr. fœminarum Luſit. tom. 1. n. 46. fol. 50.

H. Ven. Beatrix Vaz in Civitate Eborenſi nata eſt ann. 1535. e parentibus nobilibus: cum duodeviginti annos impleret, Conimbricam profecta eſt: quæ cum eſſet neptis N. Ven. Gaſparis Cani, qui poſtea fuit Epiſcopus S. Thomæ, ſe ſubjecit diſciplinæ Ven. P. Ludovici de Montoia ſub habitu Mantellatæ, cujus abſentiam ſupplevit Ven. P. Thomas a Jeſu, & in duorum abſentia ſub regimine Ven. D. Fr. Alexii de Meneſes vixit, ſe ſe in omnibus virtutibus exercens: de qua plura prodigioſa narrantur: donec meritis cumulata, a Chriſto, B. Virgine, & Angelis viſitata, in Cælum volavit hac die anno 1591. Agunt de illa N. D. Fr.

Alexius

Alexius de Meneſes in hiſtor. SS. a fol. 150. Herr. in Alph. tom. 1. fol. 101. Antonius a Purificat. in Theatro Triumphali, Ludovic. ab Angelis in Viridar. fol. 521. Elſſ. lit. B. n. 43. Torelli Centur. 5. c. 91. fol. 622. Arpe die 14. Januar. fol. 26. Leal in M. S. lib. lit. c. fol. 76. Joſephus a D. Anton. in Flore SS. tom. 1. fol. 315. & in ſuo Iman fol. 118. Agiolog. Luſit. hac die fol. 56. & Petrus Calvus in Lacrym. juſtorum lib. 2. c. 12. fol. 69. & N. Portyllo tom. 1. SS. fol. 34.

I. Ven. Vicentius, cujus nationis fuerat, ignoratur: in Luſitaniam adveniens, mundi fallacias agnoſcens, inter Manteilatos Ordinis admiſſus, erecta domuncula juxta Oratorium D. N. de Monte, floruit ſanctimonia per annos 1324. ob quam ad ſui converſationem plures alliciebat, inter quos fuit Ven. P. Joannes, qui Congregationem S. Eligii in hoc regno fundavit. De Ven. Vincentio agunt ex NN. P. Fr. Antonius a Purificatione in Chronico ſæpius, P. Joſephus a D. Antonio in ſuo Iman Spirituali fol. 110. & egomet de illo mentionem facio in libro D. N. de Monte lib. 1. cap. 16. fol. 32. Ex exteris P. Paulus Portalegrenſis, & P. Franciſcus a S. Maria Canonici S. Eligii, & P. Georgius Cardoſo in Agiologio Luſitano in Commentariis 6. Januarii. fol. 60.

SEPTIMO IDUS JANUARIJ.

VII.

A. Apud Orientales Sáxones pretioſa mors ſancti Cedi Abbatis Leſtinghenſis, ubi ſecutus regulam, & inſtitutum, Eremiticum, quod S. Columbanus plantârat, ibidem rara Sanctitate vixit; ob quam Epiſcopus Londinenſis creatus eſt, & cum prædicatione multos ad meliorem frugem reduxiſſet, ideo Apoſtolus Anglorum meruit vocitari; donec innumeris meritis exornâtus, ad ſúperos translatus eſt. *B.* Romæ tranſitus B. Anſelmi Mandeſtri, viri doctrina, & ſanctitate celeberrimi, taliter, ut non modo a ſuis, verum etiam ab aliis quibuſcumque Religioſis, & ſæcularibus, imo, & a Prælatis, & quod maius eſt, a Summis Pontificibus, tamquam Pater coleretur. Poſtquam autem per decennium Generalatum totíus Ordinis exerceret, óneri ceſſit, pariter & honori; & commorans in cœnobio Romano Dominæ de Populo, ſenio gravatus, & meritis plenus, ibidem felici fato deceſſit. *C.* Carbonariæ in Eccleſia S. Joannis quieta dormitio V. Cherubini. Rato Veronenſis, Congregationis Lombardiæ, ubi ita litteris claruit, ut Theologus Illuſtriſſimus diceretur, & ita ſuos mores direxit, ut ſanctiſſime diſcederet Neapoli hac die, & ſepultus eſt in ſupradicta S. Joannis Eccleſia. *D.* Matriti in cœnobio Diſcalceatorum obitus Ven. Auguſtini a S. Gabriele, qui virtutum omnium fuit cultor eximius; cujus ergo, poſt aliqua Religionis officia, unanimi conſenſu Provincialis electus eſt, donec ſenio, & meritis cumulatus, ſancte, & pie fertur deceſſiſſe. *E.* Ulyſſippone in Cœnobio Gratiarum memoria Ven. P. Guilelmi a S. Maria comſtili genere ortus, qui mundo, & ejus pompis ſtrenue valedícens, & comitatum, cujus ſucceſſor erat, deſpiciens, motus illis verbis Pſalmiſtæ: obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decôrem tuum; noſtro habitu indui præoptavit; & vivens in Religione, maximam erga omnes affabilitatem oſtendit, & virtutem indicia patefecit, ob quas ab omnibus dilectus erat. Floruit in eo jugiter maximus cæremoniarum zelus, taliter, ut ſæpe diceret, Deum amáre Eccleſiam ſuam ſponſam ob perfectiones, quæ etiam in rebus minutiſſimis apparebant, juxta illud D. Pauli 2. ad Corinth. c. 2. ut acceptaret ſibi Eccleſiam non habentem rugam, neque maculam. *F.* Almanſæ in Cœnobio Monialium Corporis Chriſti tranſitus Ven. Sponſæ Chriſti Mariæ a D. Ignatio, quæ poſt religionis ingreſſum magna ſanctitate vixit, &, magno illius odôre relicto, ſpiritum cæleſti Sponſo tradidit coronandum. *G.* Pamplone in Cœnobio Monialium tranſitus Ven. Mariæ ab Aſſumptione illius cœnobii aſcetriæ, de qua fama eſt, B. Virginis Mariæ nimia devotione claruiſſe, ſicut & paupertate, charitate, & promptitudine in obedientiis ſibi a prælata impoſitis. Erga ſui Angelum Cuſtodem fuit devotiſſima, a quo nonnullos favores ſuſcepit: tandem gravi lateris dolore

correpta,

correpta, ubi miram ostendit patientiam, inter dulcia Christo, & piissimæ Matri colloquia, spiritum hac die tradidit ómnium Creatóri. *H.* In urbe Segorbiensi in monasterio S. Martini memória Ven. Vincentiæ a S. Joanne, quæ in monasterio omnium virtutum cultui se trádidit. Fuit in oratione assidua, charitate erga ægrotantes sorores mirabilis, pœnitentia rara. Cum ergo illam Deus gravissimis morbis, & sævis scrupulis in terra purgaret, felici éxitu illam ad requiem sempiternam hac die vocavit. *I.* In eodem cœnobio memoria Ven. Catharinæ ab Spiritu Sancto, quæ, cum habitum susciperet in cœnobio Valentino Monialium, tantum ibi in virtutibus profécit, ut meruerit éligi inter quinque cœnobii Segorbiensis S. Martini fundatríces; unde novem per annos summa prudentia munus exercuit Priorissæ; in quo plures perpessa est cruciatus. Cum aliquando orationi vacâret, erga gloriam Sanctorum inflammâta, & óculos ad cælum extollens, fervôre plena dixit: Sancti, quómodo tantam adepti estis gloriam? Ecce vocem sibi audivit dicentem: Catharîna, vincendo; qua voce confirmata, summa postinde labóres sustinuit patientia. Tandem plena meritis in pace quiévit. *L.* In Oppido Morelbensi in monasterio monialium Sanctissima Trinitatis memoria Ven. Hyacinthæ Grau, quæ fuit silentii, modestiæ, solitúdinis, pœnitentiæ, humilitâtis, & orationis satis amátrix. Cum esset ergo Deo, & hominibus placens, ad Dei consortium ab hominibus translata, vitæ fábulam felici fato complêvit. *M.* In cœnobio Savigniacensi obitus B. Vitalis Abbatis, virtutibus, & miraculis clari.

COMMENTARIA

AD DIEM SEPTIMUM JANUARII.

A Sanctus Ced, vel Cedus vixit apud Orientales Sáxones sub Eremitico instituto, quod ibi a N. S. Columbano propagatum est; cumque raris virtutibus coruscaret, Episcopus Londinensis creatus est; & plures ad Christi dogma sequendum sua prædicatione reduxit: donec jam meritis plenus, cum forte in monasterio Lestinghensi commorâtus esset, ibi ultima infirmitate correptus, vitam amisit in terris, & meliorem in cælis adeptus est hac die, anno 664, sepultusque jacet in ara ejusdem cœnobii maiori. Agunt de illo Martyrologium Anglicanum, Beda in histor. Eccles. lib. 3. c. a cap. 21. usque ad 26. Polydor. Virg. lib. 4. hist. Anglic. Bolland. in Actis SS. hac die, N. B. Joannes Capgravius; & N. Jacobus Font in Viridar. Aug. hac die, fol. 158. ubi ostendit, illum ad nostros pertinêre.

B. B. Anselmus de Montefalco ibidem natus est e parentibus Christianis, & piis; cum autem post annos, cognita mundi vanitate, illi dare terga vellet, hábitum pétiit a N. Reverendissimo Generali Juliano de Salem in cœuobio de Montefalco existēti, & illo accepto, die 19. Maij anno 1447. a B. Alexandro de Oliva, tunc Priore, statim missus est ad Ilicétum, & ibi susceptus est a B. Hierónymo Bonsignorio tunc Ilicetî Priore, ubi sub disciplina B. Gabrielis Sforciæ plurimum profécit. Studiis deditus ádeo famôsus exivit, ut suo tempore perpaucos sibi pares invenisset: in vitæ, ac morum integritate àdeo enituit, ut á multis Beatissimus appellaretur; erat enim humilitate clarus, paupertate gloriosus, abstinentia mirabilis, pietate erga infirmos singularis; honores abhorrebat, & de se expellebat; tamen coactus obedientia, per quatuor annos Congregationem rexit Ilicetanam ut Vicarius Generalis ab anno 1470. & per mortem Sylvestri de Balneo Regio totius Ordinis Generâlis, ob sanctitatem electus est Vicarius Generâlis, nominatus anno 1486. die 4. Maij, & anno 1491. die 22. Junii in Generalem totius Ordinis electus est Senis, ubi rectas pro toto Ordine decrêvit sanctiones, inter quas illa fuit, ut ad versum Psalmi 112. sit nomen benedictum &c. omnes revérenter inclinarent cápita. Cum ergo inter scientes illius temporis palmam ferret, a Pontifice electus est, ut contra Comitem Joannem Piccum Mirandulanum disputâret; & in publico certamine illum de pluribus propositionibus convîcit, & libri Joannis, Pontificis decreto, igni tráditi sunt. Cum ergo B. Anselmus per decénnium Generalatum exercéret, renuente

Alexandro Sexto munus in mánibus Ven. Mariâni de Genazáno dimiſit, & in cœnobio Romano D. N. de Pópulo requieſcens, inter maximas virtutes, & ſuorum deſideria, in pace quievit, hac die, ut quidam dicunt, vel 7. Septembris, ut alii narrant, anno 1495, ut dicitur in Sylva Ilicetana, vel 1497, ut teſtantur Herr. in Alph. & Arpe hac die. Poſt aliquot annos corpus ejus, ſimul cum corpore Ven. Mariani de Genazáno, translatum eſt ad Eccleſiam Iliceti, ubi corpora duorum in cornu Evangelii juxta maiorem aram collocâta ſunt in marmoreo monumento, óperá, & impenſis N. Cardin. Ægidii Viterbienſis perpetrâto. Præter citatos agunt de B. Anſelmo NN. Torell. Centur. 4. c. 26. fol. 399. Elſſ. in Encom. L. A. Coriolan. Pamphil. Roman. Portillo, Jacobus Font. in Viridario hac die fol. 167.

C. Ven. Cherubinus Rato Veronenſis Congregationis Lombardiæ, Theologus Illuſtriſſimus, obiit ſanctiſſime hac die, anno 1604, ætat. 68, ſepultuſque eſt in Eccleſia S. Joannis de Carbonaria. Agit de illo D. Cæſar Eugenius in ſua Neapoli Sacra folio 163.

D. Ven. Auguſtinus a S. Gabriele Diſcalceatus, poſt aliqua Ordinis officia, Provincialatu abſoluto, relinquens ſui glorioſam memóriam, obiit ſancte in cœnobio Matritenſi hac die, anno 1634. Refert F. Ludovicus de Jeſu in Chron. fol. 246.

E. Ven. Guilelmus á Sancta Maria natus eſt Lixbonæ die 10. Februar. in die S. Guilelmi anno 1550, & parentes habuit D. Franciſcum de Noronha Comitem de Linhares, & D. Violantem de Andrade: poſt ſæculo renuntians, ſimul cum fratre ſuo Nicolao de Tolentino, habitu noſtro indutus eſt Conimbricæ die 15. Octob. an. 1569. a N. Ven. P. poſtea Archiepiſcopo Bracharenſi, Auguſtino de Jeſu, tunc temporis, Collegii ibidem exiſtentis rectôre, & profeſſus eſt die 22. octob. anno 1570. Cum ergo in Ordine nimis coruſcâret ſcientia, & virtutibus, anno 1594. electus eſt Provincialis, & Vicarius Generâlis hujus Provinciæ. Poſtquã autem ætatis annos octoginta quátuor attigiſſet, inter maxima ſuorum deſideria, in pace quievit hac die, anno 1634. Agit de illo N. Leal in M. S. libro lit. C. fol. 146.

F. Ven. Maria a D. Ignatio nata eſt in Hiſpania in Oppido dicto Bogarra regni Valentini: habitu Monialium indûta eſt, in cœnobio Corporis Chriſti Almanſæ die 2. Junii, anno 1611, & profeſſa eſt die 11. ejuſdẽ menſis 1612: & in religione rarum de ſe erga mores præbuit ſplendorem; ob quod a ſátana fuit crudeliter vexâta; ſed poſtea a Deo fuit pretioſa veſte donâta. Inter ergo ſancta virtutum omnium exercitia, & ſátanæ perennia certamina, victrix tamen ſemper, e vivis exceſſit hac die, anno 1659. Agunt late de illa N. Alphonſus Viller. tom. 3. ſui Solaris lib. 38. tract. 38. tract. 3. §. 3. fol. 182. N. Jacob. Jorda tom. 2. hiſtor. Valentiæ lib. 5. c. 10. fol. 538. n. 11.

G. Ven. Maria ab Aſſumptione Pamplonæ inter Moniales Auguſtinianas adſcripta eſt, ubi flórtuit inter Láicas raræ ſanctitatis demonſtratione; fuit enim erga piiſſimam Virginem devotiſſima: non minus erga Angelum Cuſtodem, a quo plures accépit favóres: donec gravi morbo correpta, inter dulcia colloquia ad Chriſtum, & ejus Matrem, vitam finivit hac die, anno 1685, ætatis ſuæ 39. Agit de illa N. Viller. tom. 1. lib. 14. tract. 7. fol. 468.

H. Ven. Vincentia a S. Joanne nata fuit in urbe Valentina, & cum duodecim facta eſſet annorum, Monialis hábitum induit in cœnobio Segorbienſi S. Martini, ubi floruit devotiône, charitâte, pœnitentia, patientia: donec pluribus ornâta méritis obiit in pace hac die, an. 1677. ætat. 60, religiônis 48. Agit de illa Villerin. tom. 3. lib. 41. tract. 2. fol. 255.

I. Ven. Catharina ab Spiritu Sancto in eodem Cœnobio vixit, fuit enim una ex quinque illius fundatricibus. Fuit orationi dédita, unde méruit e Cælo hanc vocem audire, Sanctos vincendo gloriam adeptos eſſe. Cognovit ánimas parentum ſuorum, & ſorôris eſſe in Cælo. Obiit pie febri correpta anno 1671. die 22. Julij, & ideo iterum de illa fiet mentio 22. ejuſdem menſis Julii.

L. Ven. Hyacintha Grau ortum habuit Hiſpaniæ in regno Valentiæ in oppido Moreellæ, & inter Moniales Sanctiſſimæ Trinitatis noſtri Ordinis ſuſcepta eſt, ubi rarós in virtûte progreſſus fecit ſub diſciplina N. Ven. P. Antonii Paſchâlis: fuit enim valde orationi dédita, & in religione obſervantiſſima. Obiit cum magna ſanctitatis opiniône in hoc menſe, anno 1666. Agit de illa N. Jorda tom. 2. lib. 4. fol. 451. n. 17. cap. 14.

M. B.

M. B. Vitalis fuit primus Abbas Savigniacenſis, & clarus miraculis, hac die in pace quievit an. 1122. De illo agit Sauſſay hac die, & Torelli tom. 3. anno 1104, 1112, & 1122. fol. 549.

SEXTO IDUS JANUARIJ.

VIII.

A. Toleti in monaſterio Sislæ glorioſus triumphus S. Erthinodi martyris, qui ex illuſtri Gothorum proſapia natus, & mundo valedicens, in eodem cænobio regularem amplexus eſt obſervantiam, & ſtatim, & ſcientiæ, & ſanctitatis de ſe clara præbuit indicia: exiit ergo inſignis Catholicæ præco veritâtis, & hæreticorum acerrimus debellator, illos nullibi paſſus conſiſtere: cumque Regis Vintillæ, & populi vitia fortiter reprehenderet, in odium fidei occiſus eſt, ſepultuſque fuit in eodem monaſterio, & poſt mortem innumeris cæpit clarêre miraculis. *B.* Ungariæ in urbe Salisburgenſi paſſio B. Lucilli, qui habitum Eremiticum induit in monaſterio S. Severini; qui poſtea ibidem prædicans Evangelium, cum alio fratre, Maximo dicto, ab infidelibus comprehenſus, in patibulo fuit affixus, & poſtea per præruptum cacumen cum cruce fuit præcipitatus. *C.* Apud Turdulos in Hiſpania tranſitus S. Fulgentii Epiſcopi Ecijenſis, qui natus in urbe Carthaginenſi Hiſpaniæ, ex regio ſanguine, a téneris didicit timêre, & amâre Deum, & in ſtudiis glorioſos edidit progreſſus. Hæc inter mundo terga vertens, habitum Auguſtinianum induit, unde perfectionis monaſticæ metam attingens, Epiſcopus Ecijenſis ſacratus eſt, ubi multa perpeſſus, annis, & virtutibus plenus, ad ſúperos evolavit. *D.* Apud Noricos obitus S. Severini confeſſoris, qui in Africa naſcens ex Senatorum ſanguine, in Orientem perrexit, ubi rigidam pœnitentiam exercuit; ſed divinitus inſpiratus, in Germaniam venit, ubi apud Noricos vivens, virtutibus, & miraculis barbaras illas gentes ad fidem convertit. Floruit dono prophetiæ; prædixit enim Odoácro Italiæ regnum. Erga pauperes, & carceratos fuit advocatus; cum tandem laboribus eſſet ſatis confectus, hac die in cælum migravit. *E.* In Africa B. Eugippi diſcipuli S. P. N. Auguſtini, & S. Severini Noricorum Apoſtoli ſocii perennis, & S. Fulgentii familiaris, qui doctrina, & moribus clarus, æternas promeruit dapes in cælis. *F.* Prope Thagaſtem, Africæ urbem, obitus Beati Thadæi Lixbonenſis, quem vulgus Apoſtolum Canarienſium appellat; qui ibidem magna vixit célebris ſanctitâte in confuſionem barbarorum, & Fidei Catholicæ confirmationem, & moriens præmia promeruit ſempiterna; cujus corpus incorruptum uſque adeo pérmanet, & cólitur etiam ab infidelibus in templo ſui nominis, ob innumera prodigia, quæ Deus per illum frequentius operatur: de cujus capite quidam manat liquor, qui omnibus morbis miraculoſam ſuppeditat medicinam. *G.* In Gallia in urbe Tricaſſina Translatio S. Frodoberti Abbatis, & confeſſoris; cujus corpus e monaſterio S. Pauli, ubi magna veneratione colebatur, agente Otulpho Epiſcopo Treaſſenſi, maxima cum pompa delatum eſt ad Eccleſiam S. Petri hac die, & collocatum in decenti ſarcophago, & quotannis fit de hac Translatione feſtivitas de præcepto, & Deus per interceſſionem S. Froboberti plurima operatur miracula. *H.* Cæſaraugustæ in Hiſpania mors Ven. Mathæi Ximénes, qui in religione vixit rara ſanctitatis opinione; erat enim aſſiduus in oratione, & noctes fere in ſomnes, inter lacrymas, & ſuſpiria, & ad Deum preces, ducebat. Erat ſolitudinis amicus, colloquia extra cellam, tanquam virus peſtilens, abhorrebat. In miſſæ ſacrificio, quod ſumma cum devotione celebrabat, plures a Deo ſuſcepit favores. Nunquam die, nocte que choro deſtitit intereſſe. Plura a dæmonibus perpeſſus eſt, quos in tentationibus glorioſior protrivit. In pœnitentiis erat ſingularis, in humilitate profundus, in obedientia promptus, in puritate Angelus, in patientia mirabilis, in charitate fervidus, erga pauperes, & ægrotos piiſſimus, erga omnes affabilis, & apud omnes ut ſanctus æſtimatus. Tandem, præcognita mortis die, ſuſceptis pie Sacramentis, decantans Pſalmum: In te, Domine, ſperavi, perveniens ad verſum: In manus tuas commendo ſpiritum

meum, magna cum hilaritate, Spiritum Deo reddidit. *I.* Barchinone in cænobio S. P. Auguſtini memoria Ven. Auguſtini Vayæ, qui in eodem cænobio bis prioratum exercuit, & ſtatim poſt mortem apparuit Ven. P. Joſepho Simoni ejuſdem cænobii, petens ab illo ſuffragia, ut a pœnis Purgatorii tutus eſſet, & poſt aliquot dies eidem P. Simoni gloriosus, in cælum aſcenſúrus, apparuit. *L.* In Cænobio Eibarenſi in Hiſpania depoſitio Ven. Caſſildæ Virginis, cujus vita virtutibus extitit glorioſa; fuit enim in abſtinentia ſingularis, in choro aſſidua, laborum patiens, ad omnia cænobii pro aliis exequenda officia promptiſſima, rerum caducarum contemptrix, & paupertatis amátrix, in oratione fervida, in qua plures a Deo experta eſt favores, donec plurimis virtutibus exornâta, e corporis ergaſtulo egreſſa, in cælum, ut pie creditur, ingreſſa eſt.

COMMENTARIA

AD OCTAVUM DIEM JANUARII

A. S. Erthinodus Gothus, quem male Thomas Tamayo in Entrandi notis fol. 186. ann. *818.* confundit cum B. Erthinodo, etiam noſtro, qui floruit circa annum 1300, inter Gothos natus & Toleti in monaſterio Sislæ monachiſmum amplexus eſt, ubi de re Catholica benemeritus, vitam pro Chriſto prodêgit, martyrium paſſus cruentum die 9. Januarii, & inadvertentur hac die de eo fit mentio, circa ann. 702, vel circa ann. 780, ut ait Juſſanus, vel 817, ut ait Entrandus, ſepultuſque jacet in eodem cænobio Sislæ. Agunt de illo Herrera in Alphab. tom. 1. lit. E. de Perſon. SS. fol. 208. Torelli Centur. 1. c. 88. fol. 114. Elſſ. lit. E. Jacob. Font. in Viridar. fol. 187. Portillo die 9. Januarii M. S. Joſephus a D. Anton. tom. 1. fol. 23, & plures alii cum N. Leal in Chron. Purific. 6. c. 6. num. 14. fol. 602.

B. De B. Lucillo agunt ex noſtris, Staibanus in Templo Eremitico, Portillo in tom. 1. fol. 61. Joſephus a D. Antouio in Flor. SS. tom. 1. fol. 323. Obiit anno 490. octo annos poſt S. Severinum, ut ait Portillo ubi ſupr. vel ann. 511, ut ait Staiban, & reliquias S. Severini duxit in Italiam.

C. S. Fulgentius Epiſcopus natus eſt Carthagine Hiſpaniæ ex Severiano, & Theodóra, nobiliſſimis conſortibus, habitum aſſumpſit in cænobio Hiſpalenſi, & ſub diſciplina Etherici exiit conſummatus in ſcientiis, & virtutibus, obquæ anno 590. electus eſt coadjutor Dominici Epiſcopi Carthaginenſis, deinde translatus eſt ad Eccleſiam Ecijenſem, & poſtea iterum ad Carthagiuenſem, ubi plura ab Arianis perpeſſus eſt, a quibus eſt relegâtus. Poſt varios caſus, ſûma pace animam exhalâvit hac die, ut aſſerit N. Jacob. Font. hac die in Viridar. fol. 183, ubi probat illum fuiſſe noſtri Ordinis. Idem aſſerunt Torelli tom. 2. in Sæculis ann. 600. num. 21, & ann. 676. num. 4. Jorda tom. 2. hiſt. Valent. lib. 3. fol. 88. c. 19. ubi aſſerit illum obiiſſe *16.* Januar. ann. 622. Corpus ejus ſepultum fuit in Sede Carthaginenſi, & poſt 34. ann. ad Hiſpalim translatum eſt.

D. S. Severinus fuit patria Africanus, ubi monachiſmum Auguſtinianum amplexus eſt: inde deſiderio perfectionis profectus eſt ad Norici Ripenſis oppida, Pannoniæ vicina, divina revelatione compulſus, ubi innumeris laboribus conſummatus, & miraculis illuſtris, obiit glorioſus die 6. Januarius, ut ait Herrer. tom. 2. fol. 374, vel die 8. Januar. ut tenent NN. Jacob. Font. in ſuo Viridar. fol. 171, Arpe tom. 1. fol. 21, Portillo tom. 1. fol. 45. hac die, & iterum Arpe in Pantheo fol. 45. Joſephus a D. Anton. tom. 1. fol. 321. Staiban, Plenevaulx, Caracciolus, Beyerlinck in Theatro lit. R. tom. 6. fol. 1068, & tandem Torelli in Centur. 1. c. 43, ubi ait, obiiſſe 6. Januar. ann. 482, corpus ejus poſt aliquot annos; anno 488. Falletum; deinde Neapolim translatum eſt, ubi pluribus miraculis claruit. Vide Jacob Font, & Arpe in Pantheo ubi ſupra.

E. B. Eugippus diſcipulus S. Severeni, & ejus vitæ hiſtoriographus, poſt varias perigrinationes in Africam venit, ubi ſancto fine quievit. Illum ad noſtros pertinere aſſerunt Staiban. Portillo, & Joſephus a D. Anton. in Flore SS. tom. 1. fol. 323.

F. B.

F. B. Thadæus Canarienſis: & Apoſtolus Mauritaniæ, ibidem obiit ſanctus, cujus vitam ſcripſêre NN. Marques in Orig. Ord. c. 19. §. 4. Purificat. in Chronic. & in Chronolog. monaſtic. hac die, Portillo tom. 1. fol. 45. Joſephus a D. Auton. in Flore SS. fol. 38. tom. 1. De illo agunt etiam ex noſtris Herr. tom. 2. in Alph. fol. 437. Cruſen; Torelli Centur. 4. cap. 1. fol. 365, Arpe tom. 1. fol. 15; & N. Leal Purific. 2. Exam. 1. n. 9. fol. 58, & in M. S. in libro C. fol. 77. & Author Agiolog. Luſit. hac die fol. 76, & alii plures, & Pater Franciſcus a S. Maria in Anno Hiſtor. hac die fol. 46. n. 2.

G. S. Frodobertus obiit 1. die Januar, ut ibi de eo actum eſt, ejus autem translatio ſolemniter celebrâta eſt hac die, anno 872, agente Otulpho Epiſcopo, & corpus S. Frodoberti maxima cum pompa collocatum fuit in Eccleſia S. Petri. De hac Translatione agunt Acta SS. hac die, & ex NN. Jacob. Font. hac die fol. 185, & alii plures.

H. Ven. Mathæus Ximénes habitu noſtro indutus eſt in cœnobio Cyracuſano, & ibi profeſſus eſt die 4. Februar. ann. 1582. poſt plura raræ virtûtis teſtimonia obiit ſancte in menſe Januar. ann. 1624. ejus vitam ſcripſit N. Jorda tom. 3. hiſt. Aragonæ lib. 2. c. 5. fol. 114.

I. Ven. Auguſtinus Vaya, Catalauni natus eſt ex parentibus Mathæo Vaya, & Eliſabetha cónjuge; noſter factus eſt Barchinone, & ibi profeſſus eſt 18. Januar. an. 1649, & anno 1663. electus eſt Prior Epilenſis, & munus taliter adimplevit, ut iterum Prior ejuſdem cœnobii electus eſſet anno 1669. Fuit in Sacra Theologia Doctor, & S. Officii conſultor; obiit pie in eodem cœnobio hac die, an. 1671. & poſt mortem apparuit noſtro Ven. Joſepho Simoni, de quo, Deo dante, agendum eſt die 27. Februarii, dicens: P. Magiſter, mihi ſuccurre, & mihi miſerere: fecit, quod ſuadebat pietas, P. Joſephus, & poſt dies aliquot defunctus illi apparuit glorioſus, ad ſúperos profectûrus. Omnia refert N. Jorda tom. 3. lib. 2. cap. 5. fol. 371. n. 34, & cap. 13. fol. 393. fol. 5.

L. Ven. Caſſilda a S. Michaele nata eſt in Provincia Alavæ in Hiſpania, cum eſſet annorum viginti ſupra novem, Monialis facta eſt in Cœnobio Eybarenſi, ubi mira ſanctitâte vitam duxit, & obiit pie hac die anno 1636. De illa agunt NN. Portillo tom. 1. fol. 58. Villerinus tom. 1. lib. 3. tract. 6. fol. 159. Joſephus a D. Anton. in Flore SS. tom. 1. fol. 315. n. 4.

QUINTO IDUS JANUARIJ.

IX.

A. In Cantuaria, in monaſterio S. Petri, pretioſa mors S. Adriani confeſſoris, qui natus in Africa, ibi monachalem vitam amplexus eſt, & maxime eluxit doctrina, & pietâte. Profectus in Angliam, ibi prædicationibus ſuis innumeros Chriſto lucrâtus eſt; erat enim Religionis zelo ardentiſſimus; ex Anglia in Italiam, & Neapolim veniens, ibi in monaſterio Niridano prope urbem fundato a S. Gaudioſo habitavit, & ob egregias virtutes Abbas electus eſt, & poſt a S. Vitaliano Papa electus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis, quam dignitatem recuſavit: ſed poſt multos labores pro Dei gloria ſuperatos, ſancte hac die obiit, & per illum Deus plura miracula perpetravit. *B.* In Africa memoria S. Egelfridi confeſſoris, & ibidem in aliquo ordinis cœnobio Abbatis, qui ſancte in terris degens, inter ſanctos in cœlis meruit numerari. *C.* In Normania in monaſterio Fiſcanenſi depoſitio S. Waningi confeſſoris, qui ſtirpe, & virtute illuſtris, opibuſque præpotens plurima prædia votivo munere ad uſum Servorum Chriſti cóntulit, proprioque, & unico filio, Deſiderato nomine, ſpirituali militiæ ſub felici S. Wandregiſili moderamine mancipato, facultates ſuas omnes in pietâtis ópera erogâvit, & cœnobia plura conſtruxit; & tandem multis, & glorioſis meritis cumulatus, & divinis viſionibus, & revelationibus honoratus, ad æternam requiem tranſmigravit. *D.* Hac die Translatio S. Judoci, confeſſoris, & Regis Anglici filii, cujus natalis dies Idibus Decembris celebratur. *E.* Romæ obitus Ven. Alexandri Mancini Senenſis, qui poſt aliquot Ordinis dignitates, ad Summum

Ordini

Ordinis clavum aſſumptus eſt, quem rara cum prudentia adimplevit, erat enim vir mitioris ingenii, in quo probitas cum effabilitate, ac manſuetudine certabat, pie tamen obiit hac die, & ibi ſepultus jacet. *F.* In Hiſpania tranſitus V. Didaci de Arce, viri virtutum omnium ſplendôre illuſtrati, & Verbi Dei præcônis egregii, qui cum ſorte in oppido Aragoniæ, Caſpe dicto, prædicâret, illi nubes quædam apparuit obſcura, & in die ſequenti pulpitum aſcendit; & hæc tantum prótulit: certa perſona, in his diebus defuncta, damnâta eſt; & tali formîdine permanſit, ut paucis poſt diebus ſumma cum pietate deceſſerit. *G.* In Alchodio memoria V. Ludovici Jorda, viri religioſi, & exemplaris; claruit enim oratiône, & humilitâte, & devotiſſimus erat paſſionis Chriſti, in cujus contemplatione plures horas conſumebat, non lecto ad ſomnum utebatur, ſed in Eccleſia ante Sanctiſſimum genuflexus. In pœnitentia fuit ſingularis, jejunia fere aſſidua tolerabat, & corpus ciliciis, & diſciplinis macerabat, & continuum obſervabat ſilentium. Claruit dono pacificandi diſcordes. In paupertate fuit mirandus; gaudebat pauperibus amicis, paupere cibo, & in cubiculo nihil aliud præter breviarium, & crucem tenebat. In obedientia fuit promptus, in puritate Angelus, in charitate erga omnes ſingularis. Cum eſſet doctiſſimus in Arithmetica, fuit conſultus ad emendationem Gregorianam. Tandem ſenio confectus, & ſanctitate clarus, ad præmium tantis meritis condignum evolavit. *H.* Neapoli in cœnobio Veritatis depoſitio Ven. Alberti de Jeſu Maria Diſcalceati, qui a têneris virtútum vexilla eſt ſecûtus: fulſit enim humilitate, obſervantia, zelo, & exemplo: erat erga omnes ob animi ſimplicitatem gratus. Cum aliquando per Neapolim pedes iſſet, forte a forti lapide caput eſt lethaliter colliſus, ſed Virginis piiſſimæ auxilio imploráto, a vulnere ſanatus eſt: donec magis meritis, quam annis, plenus, rara opinione ſanctitatis in pace quievit. *I.* Salmanticæ in cœnobio Recollectarũ mors glorioſa Ven. Mariæ Baptiſtæ á S. Auguſtino, cujus vita raris coruſcavit virtutibus, quibus exornâta, debitum naturæ mortalis feliciter adimplevit.

COMMENTARIA

AD DIEM NONUM JANUARIJ.

A. S. Adrianus in Africa natus, ibi monachi mum Auguſtinianum amplexus eſt, ibi enim duntaxat, teſte Baronio, non alia niſi religio floruit Auguſtiniana. Hinc in Anglam, poſt in Neapolim profectus in monaſterio Niridano fundato a N.S. Gaudioſo, de quo 3. Novembris, vixit, & poſt Abbas factus eſt: poſt a S. Vitaliano Papa creatus Archiepiſcopus Cantuarienſis, munus conſtanter præ humilitate rejecit, ſed nominans pro ſe Epi copum Theodorum monachum, cum illo 27. Maij ann. 668. in Angliam profectus eſt, ubi in monaſterio S. Petri cum ſuis Monachis ſanctiſſime vixit, donec innumeris virtutibus, & miraculis clarus, hac die anno 709. in cælum migravit. De illo agunt Martyrologium Anglicum, Germanicum, Galeſinius, Ferrarius, Molanus. Ex noſtris Torelli tom. 3. anno 690. n. 2, & in Centur. 1. cap. 85. fol. 112. Herrer. tom. 1. Alphab. fol. 4. Arpe tom. 1. SS. hac die fol. 17. Jacob. Font. in Viridar. a fol. 190, Portillo tom. 1. SS. Ord. hac die, Cathalogus SS. N. Ordin. factus a N. Petro del Campo, & impreſſus Hiſpali anno 1624. B. Joannes Capgravius, Beyerlinck in Theatro tom. 6. lit. A. fol. 1068, qui omnes illum aſſerunt noſtratibus pertinere.

B. S. Egelfridus monachiſmum in Africa, & ſic Auguſtinianum amplexus eſt, ut teſtantur Ferrar. Menardus, Dorganius, Galeſinus, & Acta SS. in prætermiſſis: & quod noſtratibus pertineat, patet hoc ſyllogiſmo: in Africa duntaxat Monachiſmus Auguſtinianus apparuit, teſte Baronio, ibi S. Egelfridus monachus fuit: ergo fuit Monachus Auguſtinianus.

C. S. Waningus floruit in Normania ſub diſciplina S. Wandregiſili, qui fuit diſcipulus S. Romani in ſaltu Jurenſi, ubi Regula Auguſtiniana ſervabâtur, ut dicendum eſt, dum de S. Romano, die 28. Februar. & dum de S. Wandregiſilo die 22. Julij, fuerunt enim omnes noſtri Ordinis, ut tenet Delcampo in Catalogo Sanctorum, & omnes noſtri: cum ergo S. Waningus S. Wandregiſili fuerit in Monachiſmo diſcipulus, certo

certo certius dici debet, etiam ad noſtros pertinêre. Floruit circa annum 683.

D. Translatio S. Judóci confeſſoris hac die celebrâta eſt, ut referunt Martyrologium Anglicum, & Acta SS. in prætermiſſis. De S. Judóco agendum eſt die 13. Decembr. Deo dante.

E. Ven. Alexius Mancínus Senenſis, anno 1575. in Senenſi Academia públicus profeſſor fuit, & anno 1580. in cænobio ſuorum Fratrum ſtudiorum Regens, & anno 1598. fuit totíus Ordinis Generalis proclamâtus, donec morum ſanctimonia clarus, anno 1600. hac die immatura morte ſublatus eſt. Agunt de illo NN. Herrer. in Alphab. tom. 1. de Prælatis fol. 47. Elſſius in Encomiaſtico iſt. A. fol. 30, & alii.

F. Ven. Dídacus de Arce Cæſaraugustæ natus eſt, & habitum Auguſtinianum ibi in cænobio S. P. Auguſtini ſuſcépit, & profeſſus eſt hac die, anno 1595. cum ibidem Prioris múnere fungeretur F. Petrus Arias. Fuit egregius prædicator, & multis claruit virtutibus, obiit ſancte circa annum 1635. Ignorátur dies, in quo obiit, idcirco in die profeſſionis de ipſo fit memoria. Agit de illo N. Jacob. Jorda tom. 3. Hiſtor. Aragoniæ lib. 2. cap. 6. fol. 120. num. 8.

G. Ven. Ludovícus Jorda Alchodii natus, ibi noſter factus eſt; fuit obſervantiſſimus, & omnibus virtutibus exornatus; obiit cum magna ſanctitâtis opinione, anno 1586. ad cujus exequias celebrandas magnus populi concurſus, & occurſus viſus eſt! De illo etiam dies obitus ignoratur; idcirco illum referimus in hac die, in qua anno 1551. profeſſus eſt. De illo magnifico elógio mentionem facit N. Herrer. tom. 2. Alphab. fol. 11. N. Jacob. Jorda tom. 2. Hiſtor. Valentiæ lib. 3. c. 26. fol. 118. n. 6. Petrus Calvus Dominicanus in Lacrymis juſtorum lib. 2. c. 12. fol. 328, & D. Carbonell. in Centuriis Alchodii cap. 1. fol. 9.

H. Ven. Albertus de Jeſu Maria Neapoli natus eſt, ubi inter noſtros Diſcalceatos adſcriptus in cænobio Veritâtis, ibi profeſſus eſt die 15. Januar. anno 1636, & ibidem obiit rara ſanctitatis opinione hac die, anno 1683. ætatis 66. Agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Luſtro 18. fol. 550. num. 199.

I. Ven. Maria Baptiſta Matriti nata eſt, hábitum Monialis accépit in cænobio Vallilóletano, ubi de ſe rara dedit ſanctitatis indicia, taliter, ut electa eſſet ad reformationem Salmanticenſem ſtabiliendam, ubi poſt ſeptem regiminis ſui annos, magis zelo, quám morbo, oppreſſa, inter dulcia, & pia colloquia, & ſubditarum perennes lácrymas ánimam exhalâvit hac die, anno 1662, cujus exequiæ celebratæ ſunt maxima cum pompa a Cathedrali Sede, & in ſequenti die noſtrum Salmanticenſe Collegium illius celebrâvit exequias maximo apparatu, & pro coronide ſermonem habuit N. Fr. Joannes de Aguilar Salmanticenſis Academiæ Lector Veſperarius. Refert N. Villerinus tom. 2. lib. 17. tract. 4. fol. 12.

QUARTO IDUS JANUARIJ.

X.

A. Romæ depoſitio S. Agathônis, qui in Provincia Valeria ex nobili Panone Amone natus, cum jam litteris ſatis eſſet inſtructus, & omnia ſua pauperibus diſtribueret, hábitum Auguſtinianum inter Reformatos a S. Equitio ſuſcepit, & ibi mirabili ſanctitate vixit, & tantis miraculis coruſcavit, ut Thaumaturgus appellaretur; & cum forte Romæ exiſteret, & Dominus Pontifex fato ſublátus eſſet, communi Cardinalium conſenſu Paſtor ſupremus electus eſt; qui, zelo Catholicæ Fidei ductus, Romæ Concilium generale contra Monothelítas celebrâvit, in quo juſſit adeſſe noſtros Eremitas cænobii Byzaceni in Africa; & poſtea idem Concilium Conſtantinopoli celebrâre fecit, prælente Conſtantino Imperatore, & centum, octoginta, & noven Epiſcopis, ubi inter duodeviginti ſeſſiones ſanctum eſt, in Chriſto eſſe duas voluntates. Poſtquam autem ſuper gregem ſuum ſingularem oſtenderet vigilantiam, creatis una vice decem Præsbiteris, quinque Diaconis, & octo Epiſcopis, peſte e vivis, præcedente horribili eclypſi, ſublâtus eſt. *B.* In Thebaide natalis S. Pauli Primi Eremitæ, qui a ſexto decimo

ætatis

ætatis suæ anno usque ad decimum tertium supra centum vitam in Eremo duxit; cujus ánimam ad cælum glorioſe ascendere S. Antonius Abbas prospexit; de quo tanquam S. P. Augustini exemplari, ejus enim vestigia in Eremo secûtus est, in nostro Ordine decimo octavo Kalendas Februarii annua festivitas celebrâtur. *C.* In territorio Meldensi, & in monasterio N. S. Pharæ memória S. Sethrídæ Virginis, quæ Angliæ nata, sed religionis magno ducta desiderio, in Galliam profecta est, & in dicto cænobio monachismum amplexa, & professa, post angelicæ vitæ in terris decursum, fato felici ad cælestium Virginum choros coronanda migrâvit. *D.* Parisiis, in monasterio sanctimonialium a N. S. Germano fundato, Relevatio Reliquiarum S. Genovéfæ Virginis; nam in hac die, apertá capsá, in qua ejus sacrum corpus tumulatum erat, inventum est hoc incorruptum, & gratum de se próferens odorem; sicut Episcopus Cenonensis sermone ad id facto declarâvit, & quotannis hujus rei recólitur memoria. *E.* In Provincia Perúana óbitus Venerabilis Antonii Lozani, qui primus fuit Provinciæ Peruntinæ egregius fundâtor: erat enim litteris clarus, dæmonum triumphator glorioſus, castitate integer, regimine prudens, eleemosynis largus, pœnitentia rarus, oratione, & contemplatione assiduus, observantiæ zelo fervidus. Diem, & horam sui éxitus a Domino prænóvit, & tunc susceptis devotissime Ecclesiæ Sacramentis, magno, & intimo profusus júbilo, in cælum extollens óculos, Christi Crucifixi imaginem in manibus apprehendens, inter dulcia ad illam colloquia, hac die expirâvit.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM JANUARIJ.

A. S. Agatho Papa natus est in Castello Aquilano Vallis Siciliæ in Provincia Valeriæ: factus adolescens, & satis litteris instructus, hábitum Eremiticum susc*é*pit sub disciplina S. Equitii, ut præter omnes nostri Ordinis auctores, testatur Fr. Ludovicus a S. Jacobo Carmelíta in Bibliotheca Pontificia lib. 1. fol. 3, ubi tanta sanctitâte vixit. ut innumeris claréret prodigiis. Cum forte Romæ adesset, vacante per mortem Domni Pontificia sede, in locum ejusdem subrogâtus est, anno 679, & fuit Ordine Pontificum octogesimus, & sedit an. 2. mens. 6: & sanctissime obiit 10. Januar. anno 682, sepultusque est apud S. Petrum; & in ejus sepulchro hæc Carmina legebantur.

Pontificâlis apex virtútum pondere fultus,
Ut jubar irradiat, pérsonat ut tonitrus.
Quæ mox hic péragit doctrinæ fomes, & auctor,
Format enim gestis, quos docet eloquiis.
Dum simul æquíparat virtus, & culmen honoris,
Officium décorat móribus, arte gerit.
Præditus his méritis Antistes Summus Agátho,
Sedis Apostolicæ fœdera firma tenet.
En pietas, en prisca fides, insignia Patrum
Intemerâta manent nísibus, alme, tuis.
Quis vero númeret morum documenta tuorum?
Fórmula virtútum cum tua vita foret.

Quod autem S. Agatho fúerit nostri Ordinis, probant argúte NN. Ludovicus ab Angelis in M. S. p. 2. lib 1. c. 2. Antonius a Purificat. in Chron. tom. 1. lib. 2. tit. 3. fol. 225, Torelli in Sæculis Augustin. tom. 3. an. 682, & Jacob. Jorda in suo Viridario hac die fol. 196. & Michael a S. Maria in lib. Epigrammatum m. s. servato in Bibliotheca Lixbonensi, ubi de S. Agathone agens cécinit.

Hunc

Hunc quoque pro méritis ſummo decorâvit honôre,
Suprèmumque ápicem celſa tiara dedit.
Vix cáthedram aſcendit, Chriſti jam fulminat hoſtes;
Impius opprimitur Monothelîta ruens.
Optimus hîc Paſtor, ſpeculæ qui dum inſidet altæ,
Servat ovem, & ſævi conterit ora lupi.

Cum ergo S. Agatho fuerit S. Equitii diſcipulus; reſtat probâre, S. Equitium noſtri Ordinis fuiſſe: & patet, quia S. Equitius præceſſit S. Benedictum, ut cum noſtris tenet Azor in ſumma tom. 2. lib. 5. c. 43. & cum Suar. tom. 4. de Religione tract. 9, & aliis: ergo illius diſcipulus eſſe non potuit, ſicut nec etiam diſcipuli S. Equitii; ſed ſolum ſpectant ad Auguſtinianam Religionem, quia in Provincia Valeriæ obſervabâtur S. P. Auguſtini Régula; quia ibi Prælatus Præpoſitus vocabâtur, ut patet ex D. Gregorio, qui lib. 4. Dialog. c. 55. loquens de ſecundo Prælato ſui monaſterii ait: Pretioſo igitur ejuſdem monaſterii Præpoſito, á me accerſito dixi &c. ſed hoc vocabulum Præpoſiti noſtræ eſt próprium Religionis, ut patet in Regula c. 11: Præpoſito tanquâ Patri obediatur &c. quod eſt alienũ a Benedictina Religione: ergo. Item in monaſterio S. Andreæ Romæ fundato á S. Gregorio Papa, & ubi idem monachiſmum amplexus eſt, ſervabâtur régula S. P. Auguſtini; ſed hæc ſervabâtur etiam in Porvincia Valeriæ, quam S. Equitius fundávit: ergo. Maior patet; quia in monaſterio S. Andreæ ſervabâtur eadem régula, quam in Cantuaria ſervarunt Monachi miſſi a D. Gregorio ex eodem monaſterio, ut in Anglia Chriſti fidem diſſeminárent, ſed tales Monachi in Anglia S. P. Auguſtini régulam ſervàbant, ut clare aſſerit Cæleſtinus Papa in ſua Bulla, ubi ait: Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Dilectis filiis Abbati, & Conventui S. Auguſtini Cantuariæ, &c. & idem affirmat Innocentius ſic: Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorũ Dei; dilectis filiis Rogero Abbati monaſterii BB. Petri, & Pauli, ſanctique Auguſtini &c: ergo. Minor etiam patet ex D. Gregorio lib. 4. Dialog. cap. 21. ubi ait: Vitæ nanque venerabilis Valentius, qui poſt in hac Romana Urbe mihi, ſicut noſti, meoque monaſterio præfuit, prius in Valeria Provincia ſuum monaſterium rexit. Ex quibus Sic In monaſterio S. Andreæ ſervabâtur régula S. P. Auguſtini, ut conſtat ex his, quos in Angliam miſit; ſed tale cænobium erat pars provinciæ Valeriæ, in qua vixit S. Equitius: ergo in eádem Provincia non alia, niſi S. P. Auguſtini, régula ſervabâtur. Cætera, dum de S. Equitio, & D. Gregorio, ſunt dicenda.

B. S. Paulus primus Eremita fuit exemplar, ut S. P. N. Auguſtinus vitam Eremiticam ſequerêtur, & ut talis in noſtro Ordine ritu dúplici celebrâtur, quia ſub hac ratiône noſtris aliqualiter ſpectat; & ideo alter B. Paulus in noſtro Ordine ob primum dicitur ſecundus, ut cum N. Portillo tom. 1. SS. fol. 130 dicemus die, 15. Januarii.

C. S. Setrîda Virgo filia fuit Regis Orientalium, & cum multi ex Anglia monaſticæ converſationis deſiderio Gallorum monaſteria tunc temporis pétere ſolérent, præcipue virgines, ut ibidem erudirentur & Sponſo cæleſti copularentur, ſic Setrîda profecta, & religionem amplexa eſt in monaſterio Brigenſi ſub S. Phara Virgine, de qua ſeptimo Decembris agendum eſt; ubi poſtea Abbatiſſa facta eſt. Cum autem ſanctitatem miraculis comprobaſſet, hac die in cælum migravit circa annum 700. De illa agunt acta SS. hac die.

D. Relevatio Reliquiarum S. Genovéfæ, de qua jam tertio hujus menſis actum eſt, facta eſt hac die circa annum 1162, ut aſſerunt acta SS. in prætermiſſis.

E. Ven. Antonius Lozanus cænobii Salmanticenſis fauſta proles, in Peruſium cum undecim fratribus miſſus eſt, ubi anno 1551. Ordinis provinciam erexit, & ibi cum ſanctiſſime vitam duceret, poſt varios in regimine labores, auditis á Chriſto óbitus ſui hora, & die, ſuſceptis devotiſſime ſacramentis, Limæ, hac die, in cælum ſubiit coronandus anno 1584. jam octogenarius, de quo plurima narrantur mirácula De illo late ſcribit N. Calancha in Chronico Peruntino lib. 3. á cap. 43, & fol. 762. N. Herrera in Alphab. tom. 1. de Perſ. SS. fol. 28. N. Torelli in Centur. 5. cap. 72. fol. 599, N. Elſſius in Encom. lit. A. N. Joſephus a D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 203. Ex exteris Fr. Bonaventura de Salinas Minorita in Memoriali hiſtoriarum Peruntinarum: & tandem N. Portillo tom. 1. SS. Ordin. fol. 65.

QUARTO IDUS JANUARIJ.

XI.

A. In Ambianis S. Salvii Episcopi, & Confessoris, qui á téneris annis litterarum sémitam secûtus, exinde sibi bonos etiam mores didicit non fastidîre; unde exiit clarior virtutibus, ob quas Ambianensis Episcopus, ex Eremo avulsus, sacrâtus est; unde exemplo, & voce refulgens super gregem suum, pastoris recti partes adimplévit; donec méritis, & prodigiis coruscans, præmium in cælestibus, morte óbita, suscepturus, de médio sublâtus est. B. Senis in Xenodochîo S. Mariæ de Scala memoria V. Matarii Barnabæ Senensis confessoris, qui audiens illud Evangelii: Qui non renuntiat patrem, aut matrem, filios, aut uxorem, non potest meus esse discipulus, relicta domo, & adepto uxôris consensu, ad Ilicetum se cóntulit cum filio Adeodato, ut Augustinum Parentem, qui se Deo cum filio ejusdem nominis dicáverat, sequens, bene versatus in stadio, & studio virtútum, istarum in terris relinquens odorem, illas in cælum moriens invexit coronandas. C. Bononiæ in monasterio Sanctissimæ Trinitatis óbitus B. Petronillæ Petræ Molariæ Virginis, & ibidem sanctimonialis, quæ Spiritus Sancti præclaris exornâta donis, cæteris in virtutis sémita se fecit spécimen sororibus; fuit enim Sanctissimi Sacramenti devotissima, & illud quotidie triginta vicibus, tres supra, visitâbat in honorem triginta trium annorum, quos Jesus Christus, hominum Salvator, vixit; quæ devotio ita Deo plácuit, ut in die Nativitatis Domini Puer Jesus illi visibiliter apparuerit, & in manus illius exiliens illam indicibili cum gaudio recreaverit. Insuper altero cum die vellet communicâre, sacra hostia e manibus sacerdotis évolans, in os Petronillæ se se intulit desumendam. Tandem claris sanctitatis indiciis illustrâta, hac die ad Cæli Regem, qui ad illam consolandã volabat, feliciter evolavit. D. In Provincia Mexicana óbitus Ven. Joannis de Alvarado confessoris, qui, mortua uxore, ibidem noster factus, vitam perfectissimam, dulcem, & cælestibus plenam favoribus vivere cæpit. Cum autem sátanas tantis invidéret virtutibus, illum, ut ex Ordine egrederetur, cæpit gravissime tentare; sed a B. Virgine meruit dulcissimis eloquiis confirmari. Cum se se indignum créderet sacerdotio, illud recipere renuebat, quod tamen obedientia coactus suscepit; & exinde vixit angelica puritate, religiosa observantia singularis, & humilitate mirabilis; & ideo Beatam Virginem diligebat, quia húmilis extiterat, & crebo repetébat illud cantici Magnificat: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Ex religionis ingressu mortalem culpam non admisit: oratione erat continuus; B. Virginis fuit devotissimus, in cujus nomine nonnulla operâtus est prodigia. Aliquando Christum, velut in via amaritudinis crucem bajulantem, aspexit, & ad illius provolûtus pedes, oravit dicens, ut ei sua dimitteret peccata; cui Christus respondit, quod olim Magdalenæ dixit: Remittuntur tibi peccata multa, quia me dilexisti multum. Et cum aliquando iterum de sua esset dubius salûte, ecce divinitus illi in manu sua hoc lemma apparuit signatum: Glorioſus finis. Tandem multis cæli favoribus recreâtus hac die, sicut antea prædixerat, in Domino obdormivit. E. Antuerpiæ depositio Ven. Henrici Lancelloti, viri inter erudítos optimi, & inter optimos eruditissimi, qui fidei orthodoxæ, & regularis observantiæ fuit fervidus zelator, paupertatis amâtor, & hæreticorum acerrimus debellâtor, qui tandem maxima cum pietâte inter magna suorum desideria, & Ordinis jacturam é vivis decessit. F. In Provincia Peruana mors pretiosa Ven. Franciſci Mendes confessoris, qui ibidem floruit oratiône, pœnitentia, abstinentia, patientia, & charitâte, quibus, & aliis coruscans virtutibus, raro sanctitatis odôre decessit. G. Mediolani in cœnobio S. Andreæ Monzæ memoria Ven. Mauritii á S. Brixio, qui inter Discalceatos magna eruditiône floruit, & suis concionibus magnos cælo proventus fecit, nec minus sanctitatis opiniône claruit; unde erga omnes sancti est adeptus opinionem; donec innumeris laboribus attrítus, ardens Virginis amôre, quam præcordialiter diligebat, summa pietâte caducam exuit mortalitatem hac die, & vix in

publico

publico ejus est expositum cadáver, plebis multitudo concurrit ad ejus reliquias oscu-landas, & suscipiendas. Post cujus óbitum nonnulla referuntur prodigia, quæ Deus per ejus interces sionem operâtus est. *H.* In Provincia Terræ Laboris depositio Ven. Juliani a S. Nicolao Laici Discalceati, qui cultus divini, & observantiæ zelo ardens, multos in virtutis stadio fecit proventus; erat enim orationi nimis intentus, & se diris pœnitentiis macerábat. Claruit simplicitâte animi, & creditur a Deo spiritu prophetiæ fuisse donátus. Erat devotissimus Jesu, & Mariæ, quos, frequentius in ore habens, invocabat. Cum autem in cœnobio Rosensi moraretur, gravi febre correptus, pronuntians éadem nómina Jesu, & Mariæ crebro multa cum teneritudine, ánimam hac die piissime exhalâvit. *I.* Bononiæ in cœnobio Conceptionis depositio Ven. Sponsæ Christi Angelæ Valeriæ, cujus cibus quotidianus nocte, & die erat oratio, in qua plures a Deo accépit favóres. Cum aliquando vas ólei fregisset supra pallium album cultui divino dicatum, ante Deum genuflexa, & vas fractum integrum, & pallium immaculatum reddidit. Obiit tandem magna sanctitatis opinióne hac die, & ibi maxima cum pompa tumulâta est. *L.* In cœnobio S. Martini Segorbiensi transitus Ven. Esperancæ Agnetis a S. Stéphano ibidem sanctimonialis, de qua iterum decimo quinto Kalendas Jannarii, quando óbiit.

COMMENTARIA

AD DIEM UNDECIMUM JANUARIJ.

A. S. Salvius fuit Episcopus Ambianensis in Galliis, quem nostræ attribuunt Religioni N. Delcampo in Catalog. SS. Ordinis, N. Portillo in historia SS. Ordin. tom. 1. in m. s. & Acta SS. rom. 1. fol. 703. ubi dicitur obiisse 28. Octobris circa ann. 615. & Andreas Saussai in Martyrologio Gallico, de illo agunt.

B. Macarius de Barnaba nobilis, & dives Senensis fuit; post sæculi nuptias, & filios procreatos, accepta uxoris licentia cum duobus filiis, Adeodato scilicet prius, & postea Marco, hábitum Iliceti fuscepit, ubi sanctissime cœpit vivere, & professionem fecit die 11. Januarij; & post annos aliquot hábita facultâte Generalis, ad Xenodochium S. Mariæ de Scala devénit, ut ægrotum custodiret, ubi sanctissime decessit anno 1370, ut ait N. Torelli Centuria tertia cap. 14. fol. 257, obiit vel 1406, vel 1434, ut ait N. Illustris. Ambros. Landucci in Sylva Ilicetana Elogio 29. fol. 106. Agunt de B. Macario præter citatos B. Paraclitus Bini in Catalogo filiorum Iliceti fol. 6, & Franciscus Rappius 2. p. Limæ fol. 33. Ejus etiam vitam conscripsit N. B. Philippus Agazarius B. Macarii coævus.

C. Petronilla Petra Molaria sanctimonialis in cœnobio Sanctæ Trinitatis nata est Bononiæ, & in eodem cœnobio vixit rara sanctitâte, & óbiit hac die, anno 1632. De illa agunt NN. Torelli in Centur. 6. cap. 84. fol. 745. Arpe tom. 1. de SS. fol. 58. Portillo tom. 1. fol. 70. & Josephus a D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 315. n 5, & tandem Gaspar Bombaci in 2. p. Bononiæ illustris sanctitâte.

D. Ven. Joannes de Alvarado natus est Castellæ in urbe Paceaugustana, & post sæculi nuptias, Deo copulâtus est in nostra Religione in Provincia Mexicana, ubi raram sanctimoniam prosecútus est, & óbiit anno 1591. ætat. 90, & religionis 49. Agunt de illo NN. Grixalva in Chronic. Mexici, Herrer. in Alphab. Josephus a D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 307, Portyllo tom. 1. fol. 74. hac die. Videatur Herrer. tom. 1. Alphab. fol. 408, ubi late de illo agit.

E. De Ven. Henrico Lancelloto Cornelii fratre post varia hæreticorum certamina, & transacto summa cum pietâte vitæ curriculo, Antuerpiæ hac die óbiit, anno 1611. Agunt de illo Herr. tom. 1. Alphab. fol. 458, Crusen, Elss. in Encom. fol. 278.

F. De Ven. Francisco Mendes agit N. Portillo tom. 1. fol. 71, & ait obiisse hac die in Provincia Peruana, anno 1625, & de illo plura refert.

G. Ven. Maurilius á S. Brixio Mediolani natus est anno 1629, & hábitu Discalceatorum assumpto, ibidem professionem emisit 5. Januar. & transacta vita in Religiône cum mirabili pietâte, óbiit hac die,

in Cænobio S. Andreæ Monzæ anno 1688. ætat. 59. Agit de illo Fr. Joannes Baptiſta Luſtro 19. folio 581. num. 1.

H. Ven. Julianus a S. Nicolaó natus eſt in Provincia Terræ Labóris, & habitu Laicali aſſumpto Neapoli inter Diſcalceatos, ibidem profeſſus eſt die 22. Maij anno 1616; & cum morarétur in cænobio Roſenſi, & rara ſanctitâte prælucéret; pie, & ſancte ibídem óbiit hac die, anno 1656. ætat. 64, & religionis 43; cujus imago collocâta eſt in portária ejuſdem cænobij oſtentans vultum macilentum, colorem denigratum, óculos cæruleos, & brachia cancellata, & in manu crucifixum. Agit de illo idem Joannes Luſtro 13. fol. 398. n. 122.

I. Ven. Angela Valeria ſanctimonialis fuit in cænobio Bononiénſi Conceptionis, ubi rara ſanctitâte vixit, & óbiit hac die, anno 1655. De illa mentionem fecit N. Torelli in Sæculis tom. 8. ad annum 1542. fol. 264. n. 40.

L. Ven. Eſperança Agnes hac die, & anno 1639. profeſſionem emiſit in monaſterio Segorbienſi S. Martini, ſed quia dies ſui óbitus extitit decimus octavus Decembris, idcirco, Deo dante, tunc íterum de illa ſermo habendus erit. De illa plura refert N. Jorda tom. 2. hiſtor. Valentiæ l. 5. c. 21. fol. 691. n. 12. Villerin. tom. 3. fol. 242

PRIDIE IDUS JANUARIJ.

XII.

A. In territorio Suprarbii Aragoniæ juxta montes Pirinæos, in cænobio S. Mariæ de Saras depoſitio S. Victoriani Abbatis, & confeſſoris, viri a Deo maxime dilecti, qui Italiam, & Galliam, Hiſpaniamque virtutibus, & miraculis illuſtrávit; donec meritis tantis cumulâtus, hac die ſancto fine quievit; cujus ſacræ exuviæ reconditæ ſunt in ſarcóphago a ſe ſibimet præparato juxta altare S. Martini, ubi innumeris claruit, & claret miraculis. *B.* Eodem die memoria S. Vincentii Epiſcopi Oſcenſis, qui cum eſſet diſcipulus S. Victoriani in eódem cænobio de Saras; ad regendam prædictam Eccleſiam aſſumptus eſt, quam cum raro exemplo, prudentia, & ſanctitate gubernaſſet, ad cæli palatia felici fato deceſſit. *C.* Cuzani in territorio Ruſcinonenſi S. Nazarii confeſſoris, & diſcipuli S. Victoriani Abbatis, in monaſterio Sarenſi, ubi & ipſe habitu Auguſtiniano indutus, magna ſanctitâte claruit, præcipue charitâte erga egenos, & peregrinos, ob quæ Deus illum innumeris clarificávit miráculis; habitu enim ſuo, eoque penitus illæſo ardentem extinxit fornácem. Tandem tot virtutibus, & meritis glorioſus, ſanctiſſime óbiit hac die in æternum victúrus. *D.* Galliæ in monaſterio Arelatenſi depoſitio S. Cæſáreæ Virginis, & Soróris S. Cæſárei Arelatenſis Præſulis, quæ in eodem monaſterio vitam duxit angelicam, & cum plures ſanctimoniales ſancte rexiſſet, & cæli ſémitam edocêret, ad Virginum Sponſi thálamum translâta eſt. *E.* In Anglia depoſitio S. Benedicti confeſſoris, qui ibidem ſub S. P. Auguſtini régula vivens, miro exemplo, & rara ſanctitâte clarus, in cælum hac die migrávit. *F.* Romæ óbitus Ven. Claudii Catilénæ de Stella Galli, Provinciæ Narbonenſis filii, qui cum Ordinis Procurator Generalis eſſet, & Pænitentiarius apoſtolicus, ibidem méritis, & ſcientiarum ſplendôre clarus, ſumma cum pietâte deceſſit. *G.* In Provincia Peruana Ven. Joannis de Pineda, qui ibidem duris ſe cruentans diſciplinis, vitam duxit aſperrimam, & illuſtrem rara abſtinentia, & oratiône continua; & cum plures Dei verbo ad fidem convérteret, & plura gentium deſtrueret idôla, in cænobio Naſea, meritis plenus, hac die magno ſanctitatis odôre animam tradidit Creatori. *H.* Senis in Iliceto Ven. Marcellini Alteſii Senenſis; qui ibidem floruit cunctarum ſcientiarum ſplendôre, in ſignum cujus plura ſcripſit, & morum candôre, & virtutum odore ſingulari. Cum tandem trieteridis ſpatio morbum paterétur crudelem invicta patientia, hac die pie, & religioſe occubuit, ſepultuſque eſt in capitulo ejuſdem cænobii. *I.* Pragæ in Germania Ven. Xiſti a S. Laurentio Moravi, qui inter Diſcalceatos hábitum aſſumens, ibi ſumma cum religiône vixit; fuit enim morum ſimplicitâte clarus, in choro aſſiduus. Tandem integer vitæ, Epidemiæ lue, tertio ſuæ ægritudinis die, ſumma cum pietâte deceſſit. *L.* In monaſterio S. Annæ in

oppido

oppido S. Mathæi in regno Valentiæ fundato depositio Ven. Damianæ Baro ibidem Sanctimonialis, ubi egregios fecit in virtute progressus; erat enim intenta solitudini, orationi, & pœnitentiæ, se se enim duris macerabat disciplinis, & continuis jejuniis, parvo se somno supra duras tabulas tradebat, & cæterum noctis spatium orationi dabat. Cultus divini zelo ardebat; erga Sanctissimum Sacramentum devotione liquefiebat, quotidieque illud summa cum teneritudine capiebat. Tanta humilitâte claruit, ut lætior existeret, quoties erga alios esset contemptui. Silentii adeo tenax fuit, ut colloquia omnia pénitus abhorrêret. In obedientia fuit promptissima, in paupertate mirabilis, in puritâte Angelus, in charitâte erga páuperes talis, ut á suo ore victum, ut illos áleret, amovêret, & se vestibus privâret, ut illos tégeret. Tandem cum gravi morbo laboraret, morti jam próxima, susceptis pie Sacramentis, & cantans Sanctissimo Sacramento adinstar Cygni pias cantilénas, hac die cælesti Sponso animam trádidit tot virtutibus exornatam. *M.* Prope Valentiam in monasterio Sanctorum Joseph, & Annæ Olleriæ Ven. Magdalenæ a S. Christo, fundatrîcis, & primæ Priorissæ ejusdem monasterii, ubi de se rarum dedit semper sanctitâtis exemplum: erat enim amîca solitudinis, pœnitentiæ obsérvatrix, orationi satis intenta, ubi á Deo plures accépit favóres. De qua fertur, quod paulo ante mortem visa est a quadam ánima sancta ante Christi tribunal residêre, tenens tamen ante se ingentem pecuniæ acervum, ut, siquid illa summo debéret Creditóri, solvere potuisset; & paulo post pie óbiit, & ejus ánima visa est inter cælites exaltâta.

COMMENTARIA

AD DIEM DUODECIMUM JANUARII.

A. S. Victorianus Abbas Italiæ natus est anno 481, tempore Zenónis Imperatóris: á téneris clara dedit virtutis indicia, & á Christi pédibus plus scientiæ, quám á poetarum figmentis hauriebat. Mortuis parentibus, divendito patrimonio, partem pauperibus, & partem Augustinianis mónachis largîtus est, & inter eos monachali túnica indûtus est. Cum jam Religiosæ vitæ satis instructus esset documentis, in Gallias cum aliis perrexit, ubi religionem propâgans, fructus dedit incredibiles & verbo, & opere: cum autem famæ fúgeret loquacitátem, in Hispaniam profectus est, ubi juxta Pirinæos in antro obscuro delituit, sed inde avulsus est, ut cœnobii Assanensis Abbas esset, ubi plures sibi sócios, ejus prodigiis motos, conjunxit. Noluit á Rege Feuda Episcopatum accipere. Cum tamen ab ipso Rege péterent NN. FF. cœnobii de Osáras, ut péteret á S. Victoriano, ut illorum Abbas esse vellet: annuit petitioni Rex, & Regi S. Victorianus, anno 531, ubi mirabili sanctitâte vivens, sancte óbiit hac die, anno 561, regnante Atanagildo, ætatis suæ 80, post triginta annos regiminis monasterii de Saras. Corpus ejus sepultum est in eodem cœnobio, juxta altare S. Martini, ubi innumeris clâruit miráculis.

De S. Victoriano agunt ex NN. Herrer. tom. 2. lit. U. fol. 492. Torelli in Sæculis tom. 2. ann. 531, & in Centur. 1. cap. 47. fol. 80, Jacob. Font. in Viridario hac die, fol. 208, Jacobus Jorda tom. 3. Chronic. Aragoniæ lib. 1. cap. 14. fol. 49, Arpe in Diario Sanctorum tom. 1. fol. 22, Portillo de Sanctis hac die, fol. 86. Josephus á D. Antonio in Flore Sanctor. tom. 1. fol. 323. Ex exteris Didacus Ainsa, in vita S. Victoriani, Tamay. in Martyrolog. Hispano, Bolandus in Actis SS. hac die, Martinus Carrillo in Cathalogo Abbatum Cœnobii S. Victoriani, Annales Aragoniæ tom. 5. lib. 1. Bris lib. 2. c. 8. fol. 303, & alii plures.

Quod autem hic S. Eremîta fuerit Augustinianus, patet, quia in tali monasterio observabátur Régula S. P. Augustini, suis enim monachis fundatum fuit á pio Rege Hispaniæ Gesalaico anno 506, ut tenent Ainsa lib. 2. de Antiquitat. Hue cæ c. 40, Blancas in histor. Aragoniæ fol. 27, Carrillo ubi supra, fol. 414; & Tamay. tom. 1. Martyrol. Hispan. fol. 137, & quod S. Victorianus ibidem vitam duxerit Eremiticam, patet ex Eléca in Additionibus ad S. Braulium anno Christi 520, ubi ait: anno Domini

Domini 520. venit in Hispaniam de secessibus Italiæ progrediens S. Victorianus, & in monasterio Assanii in Celtiberia vitam Eremiticam ibidem primum instituit: ergo cum S. Victorianus sub regula S. P. Augustini vitam dúxerit Eremiticam, certum est nostris pertinêre.

Huic assertioni abnuunt nonnulli dicentes, ibidem servari regulam S. Basilii: sed non probâtur; dicimus enim cum Joanne Briz in histor. S. Joan. de Rupe lib. 2. c. 8. fol. 303, Tamayo, Herrera, Torelli ubi supra, nec tunc, nec multo post, in Italia; & Hispania talis ordinis habitam fuisse notitiam: ergo talis ordinis esse potuit. Multo minus potuit Ordini S. Benidicti attinêre, quia, ut ait Carrillo ubi supra fol. 414. in dicto monasterio non servári cæpit Regula S. Benedicti, nisi ab anno 1045, in quo Fr. Joannes Estapante tempore Ramiri Regis illam introduxit, ut fatetur Fr. Antonius Yépes Benedictinus tom. 4. hist. Benedictinæ ann. 867. fol. 164, & confitêtur Mag. Argáes etiam Benedictinus, qui claris verbis rem asserit sic: S. Victorian fue Monge Ermitano, que en Espana instituio, y vivio vida Eremitica en el monasterio de Assanio, que era de Ermitanos, que hazian vida en comunidad, a qual S. Agostin instituio en Africa. Videantur NN. Jacob Jorda ubi supra, & Leal Purific. 6. Exam. 5. fol. 590. n. 5. & AA. supra citati.

B. S. Vincentius vitam monasticum amplexus est in eodem S. Victoriani monasterio, & obiit sancte anno 553; ut asserit N. Torelli Centur. 1. cap. 55. fol. 87. Herr. lit. V.

C. S. Nazarius Hispaniæ natus est in regno Aragoniæ, & motus sanctitâte S. Victoriani, ab illo hábitum pêtiit, & illius compos, ibi rara sanctitâte miraculis comprobâta vixit, ob quæ in locum S. Victoriani suffectus est; quem honorem summa prudentia, & sanctimonia regens, ad súperos abiit, anno 589. hac die, & in eodem monasterio Assanii corpus ejus summa cum pompa tumulatum est. Agunt de illo ex NN. Massot in Compendio Historico SS. Cathalauniæ fol. 277; Torelli in Sæculis tom. 2. fol. 367, & in Centuria 1. cap. 93, Jacob Jorda tom. 3. hist. Aragon. lib. 1. cap. 16. fol. 58. Jacob. Font in Viridario hac die, fol. 214, Arpe in Diar. SS. fol. 24. tom. 1. Elss. in Encom. lit. U. Ex exteris Carrillo ubi supra, Ferrarius, Domenec in Hist. SS. Cathalauniæ 12. Januar. fol. 367. Bolandus in Actis SS. Tamayo, qui tamen illum Benedictinum facit, sed fallitur, quia S. Nazarius obiit anno 589, & Cænobium Cuxan, in quo nunc venerantur reliquiæ illius, fundatum est anno 794. sub invocatione S. Germani: ergo non potuit esse mónachus in monasterio nondum existenti: & multo minus Ordinis S. Benedicti, qui Hispaniam non salutavit nisi, post multos annos.

D. S. Cæsarea Virgo S. Cæsarii soror circa anno 530. vixit in monasterio S. Radagundis Reginæ, egregia sanctitâte, & regula ibi obsérvata erat Augustiniana, paucis clausulis mutatis, ut notavit N. Prosper Stellartius, & sic illam nostris pertinêre, asserunt Torelli in Sæculis tom. 2. ann. 540, & 541, & Centur. 1. c. 38. fol. 90, Arpe tom. 1. SS. fol. 83, Jacob. Font hac die, fol. 205, qui ait, illam obiisse anno 587. N. autem Herrera in hac materia dubium se se exhibet assertorem lit. C. fol. 131, sed illius miror indifferentiam, si enim frater S. Cæsarius monachus Lirinensis fuit, & ut talis Augustinianus, dans eandem régulam á sorore observandam, cujus ordinis esset Soror? Quis enim dubitavit, S. Scholasticam esse Ordinis S. Benedicti, si á sancto fratre suo eandem régulam, quam ipse servâbat, susscêpit? Ne timeat ergo Herrera, quia non est, cur, & taliter timeat in assertis.

E. S. Benedictus Confessor vixit in Cantuaria cum illis, quos S. Gregorius Papa, ut ibi fidem dissemínarent, præcépit. Et cum ibi régula Augustiniana servaretur, ut probatum manet 10. hujus, dum de S. Agathône, clare constat, illum nostris pertinêre. Videantur N. Torelli tom. 3. fol. 98, & Súrius tom. 1. fol. 264.

F. Ven. Claudius Catilini de Stella, Gallus Narbonensis fuit: inde Romam perrexit, ut Theologiæ studiis vacâret; & ita in illis profécit, ut, cum vix esset Baccalaureus, anno 1470, tempore Guilelmi Becchii Generâlis factus sit totîus Ordinis procurâtor Generâlis: & cum Summo Pontifici sua bene dextéritas nota esset, ab ipso, ann. 1491, factus Pœnitentiarius Apostolicus in S. Petro. Ornavit in Ecclesia Romana S. P. Augustini sacellum, olim S. Claudii, nunc S. Claræ de Montefalcho, & anno 1501, vel potius 1509. die 12. Januar. pie decessit senectûte bona, méritis, & doctrina clarus, cujus memoria

non

non solũ apud nostrates, sed etiam apud alios mendicantium ordines numquam superstes non erit; nam præter privilegiorum confirmationem Calixtanam, aliarumque non minoris præjudicii bullarum revocationem impetrávit. Agunt de illo Crusen. p. 3. c. 28, Pamphil, Herrera lit. C. de ministris Pontificum fol. 148, Elss. in Encom. fol. 147.

G. Ven. Marcellinus Altesius natus inter Senenses ex genere perantiquo, Patrem Angelum habuit; & anno 1608. publico examine approbâtus, ad Ordinem receptus est die 22. Februarij, & anno 1609. Iliceti professionem emisit. In scientiis evasit peritissimus, & sic plura opuscula pro sua Congregatione prælo dedit. Cum ita litteris, & sanctitâte ornâtus esset, Iliceti prælâtus factus est, & in aliis cænobiis; donec crudelis infirmitâtis trium annorum tolerantia, cum summa patientia, á suis lacrymatus, die 12. Januarii ann. 1635. pie decessit, sepultusque fuit in Iliceti capitulo. Agit de illo late N. Landuccius in Sylva Ilicetana fol. 146. Elog. 12.

H. Ven. Xistus á S. Laurentio Pragæ obiit inter nostros Discalceatos hac die, ann. 1640. ætatis 70. Ita asseritur in picturis in monasterio Discalceatorum Eborensi in aula repertis, & visis, ubi, quæ diximus, invenientur appensa.

I. Ven. Joannes de Pineda Hispalensis, ex nobili prosapia natus; in Peruntinam urbem profectus, ibi militiam gloriosam in regno Chilensi in bellis Araucanis exercuit; at gravi crimine contra Ecclesiam perpetráto, in carcerem missus, capitis damnâtur, implorâta tamen Deiparæ ope, & votum faciens D. P. Augustino, ejus habitum indutûrus, si sospes evadat, Augustinus precibus petentis motus, illa nocte gubernatori apparuit, fortiter suadens, ut Joanni scelus parceret perpetrátum: annuit gubernator, & mortis pœnam in exilium commutavit; & sic hábitum induit Limæ ann. 1559, & anno 1560. 6. Aprilis professionem emisit, & post innumeris laboribus consumptus in cœnobio Mascæ plenus annis, meritis, & virtutibus, ann. 1606. ad Dominum migrávit. Agunt de illo NN. Herr. tom. 1. Alphab. lit. S. de pers. SS. fol. 420. Torelli in Centur. 6. c. 21. fol. 665, Calancha, Portillo tom. 1. fol. 82. Josephus á D. Anton. tom. 1. Floris SS. fol. 315. Elss. in Encom. lit. S.

L. Ven. Damiana Baro nata est in oppido S. Mathæi in regno Valentiæ, habitum monialium suscepit in patria in cœnobio S. Annæ die 27. Maij ann. 1606, ubi rara sanctitâte vixit, & súmmo illius odôre óbiit hac die, 12. Januar. ann. 1638, & post óbitum ádeo permansit pulchra, ut in vultu alter Angelus viderétur. Ejus vitam scripsit N. Jacob. Jorda tom. 2. hist. Valentiæ lib. 4. c. 13. fol. 432. n. 9.

M. Ven. Magdalena á S. Christo ortum habuit Aragoniæ in Civitate Térvellensi, ex parentibus nobilibus, & timoratis: habitum monialium recêpit in monasterio S. P. Augustini Valentiæ, titulo S. Christophori, ubi professionem emisit 30. Januar. ann. 1605, & ibi tanta vitæ opinióne vixit, ut Archiepiscopus, & Patriarcha Valentinus D. Joannes de Ribera eam elegerit Priorissam, & fundatrîcem Cœnobii S. Ursulæ Valentiæ, & exinde assumpta sit iterum ad fundationem monasterii Ollerii, ubi pie, & sancte óbiit hac die anno 1650. Agit de illa N. Jorda tom. 2. hist. Valentiæ lib. 5. c. 15. fol. 612. n. 5.

IDIBUS JANUARIJ.

XIII.

A. Rhemis in Gallia S. Remigii Episcopi, & Confessoris, qui gentem Francorum ad Christi fidem reduxit, & post plures annos sui regiminis, sanctitâte, & miraculorum virtûte præclârus, ex hac vita hac ipsa die migrávit; ejus tamen festivitas Kalendis Octobris, quando ejus corpus translatum est, in tota Ecclesia celebrâtur. *B.* Hierosolymis depositio S. Piniani Confessoris, & S. Melaniæ conjugis præclarissimi, qui ex consensu uxoris suæ castitatem conjugalem promittens, in Orientem cum uxôre perrexit, & habitu Augustiniano indútus uterque, vir inter Fratres, uxor inter moniales, sanctissimam vitam perégit, & eandem perfecit Thagaste tempore D. P. Augustini, ubi monasterium fundavit,

fundavit Pinianus, & ibi aliquandiu vixit uxor S. Melania; & inde egressi ambo Hierosolymas petiêre, ubi S. Pinianus sancte hac die in cælum migravit. *C.* Mediolani in cœnobio S. Marthæ depositio B. Veronicæ de Binasco ibidem sanctimonialis, cujus vita, & virtutibus, & miraculis extitit gloriósa; ejusque festivitas in nostro Ordine ab anno 1672. indultu Clementis Decimi quinto Kalendas Februarii celebrâtur. *D.* In Indiis Occidentalibus transitus Ven. Joannis á S. Romano Hispani, qui ad Indias profectus, ibi suis concionibus, tanquam Evangelii præco indefessus, plurimos edidit fructus, & tandem annis, laboribus, & méritis consúmatus, hac die, relicta non parvæ sanctitâtis fama, pie decessit. *E.* Olyssipone in Cœnobio D. N. de Gratia transitus Ven. Ferdinandi á Trinitâte, vulgo de Alvito, viri satis in rebus suæ conscientiæ scrupulosi. Fuit in humilitate singuláris; & ádeo pœnitentiæ observator, ut per totum corpus sparteis funibus cinctus ambulâret. Dono lachrymarum flóruit, præcipue sacrificium célebrans incruentum. Tandem innumeris méritis cumulâtus, hac die ad súperos evolavit. *F.* In Perside, in urbe Bassorensi, depositio Ven. Nicolai á Vega Confessoris, qui, cum esset móribus probâtus, illuc obedientia missus ad Dei verbum prædicandum, plures é gentium ténebris ad lucem veritatis reduxit, & oratorium ad celebranda divina erexit ministeria, & ibi consummato vitæ curriculo, pie e vivis hac die excessit; cujus corpus in Ordinis Cœnobio tumulatum est, & post annum, & medium translactum, inventum est incorruptum. *G.* In Indiis Occidentalibus memoria Ven. Didaci Peregrini, qui, cum in Cœnobio Valentino habitum suscepisset, ibi magna cum perfectione vitam egit; erat enim in oratiône continuus, & in omnibus virtutibus clarus. Cum autem prædicatione esset insignis, in Indias missus est Philippinas, ubi incredibiliter profecit inter illas barbaras natiónes, donec pluribus laboribus attritus, inter innumeras lácrymas summa cum pietâte, & magni sancti opinione de medio sublatus est. *H.* Olyssipone in Recluforio, nunc monasterio S. Annæ, memoria Ven. Margaritæ á Salvatore, quæ ibidem vivens sub instituto Augustiniano, quod tunc ibi florebat, de se præbuit rara miræ sanctitâtis indicia, floruit enim rara in pauperes charitate, nam tristitiâ in corde premebat ingentem, quoties hos non áleret, aut carêret victu ad illos alendos. Contigit aliquando, ut rogata á paupere ad stipis donationem, & illa nihil habêret, arcam aperiens, illam plenam bonis panibus invénerit. Cum tamen annos sanctimonia præteriret, inter pœniténtias, & charitatis ópera pie decessit. *I.* In monasterio Segorbiensi monialium S. Martini depositio Ven. Elisabethæ Annæ á sancto Hyeronimo, ibidem monialis, quæ á téneris non obscura omnium virtútum præbuit indicia, & religiosa facta observantias in Religione statutas cum rara vigilantia servavit: vix enim ad chorum fiebat signum, & si litteram inciperet, surgens velociter currebat, & ita erat in cæteris, quæ inter manus habebat. Præter observantiarum tempus in cella clausa manebat, vel in choro ante Christi imaginem genuflexa, vel ante Sacramentum, quod quotidie summa cum teneritudine capiebat. Charitate nulli alteri ex sororibus secunda fuit. In zelo observantiæ singularem se fecit. Eam autem Deus gravi donavit infirmitate, quam per viginti annos patientissime toleravit, in qua ab una Christi crucifixi imagine consolata fuit. Tandem post incredibilium laborum tolerantiam, immensis cumulata méritis, cælesti Sponso spiritum tradidit coronandum.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM TERTIUM JANUARII.

A. S. Remigius Episcopus Rhemensis, & confessor floruit sub Clodovéo Francorũ Rege, quem sacro absterfit lavacro, & gentem illam doctrina, & miraculis ad fidem convertit: & cum tantis méritis coruscâret, ad súperos evolavit. Eum inter nostros annumerat N. Petrus Delcampo in Catholago SS. Hispali anno *1624.* impresso, ubi in Classe 1. asserit eum obiisse anno 545. Agunt etiam de illo tanquam nostro Tabulæ Augustinianæ. De illo agendum est iterum Kalendis Octobris, quo die, ejus translatio celebrata est, & de illo agitur festum.

B. S.

B. S. Pinîanus Confessor Romæ natus est ex progenie Senatórum ; cujus mater Albina vocabâtur, in matrimonium S. Melaniam suscepit, sibi in nobilitâte æquálem. Pinianus pietâtis semitam, & conjugali vinculo ligatus, servâbat. Virtus non fuit, in qua valde non eminéret. Post secundum Melaniæ partum, cum ipsa mutuum castitátis votum promisit contra parentum voluntâtem. Hinc Jerosolymam profectus est cum S. Melania, matre, & avia, ut sancta loca visitáret, & navi positi iter sunt aggressi, & vento contrario coacti, omnes in Africam devenêre, & statim S. Alipium Episcopum petiêre ; & motus Pinianus ejus sancta conversatione, & aliorum monachorum vita exemplari, uxôris licentia, inter Fratres voluit numerári, & uxor simul inter sanctimoniales Augustinianas nomen dedit: unde ambo consórtes rara cum sanctitâte vixêrunt. Post hujus vitæ sanctæ septennium, obtenta Ordinis licentia, & præcipue S. Alipii profecti sunt Pinianus, & Melania ad Loca Sacra in Sólymis visitanda, & post eorum visitatiónem in Ægiptum sunt profecti ad monachos ibi commorantes visitandos: & post tempus in Solymas redière, ubi Pinianus in Cænobium Fratrum, sicut Melania Sororum, ingressus est, & ibi Pinianus plus méritis, quam annis, repletus, in Domino quiévit circa annum 434. die 13. Januarij, ut ait Metraphrates. De S. Piniano, ut nostro, agunt NN. S. Staibanus in Templo Eremitico, Delcampo in Catalogo SS. Cornelius Lancellotus, Marques c. 12. §. 2. fol. 192 ; Herrera tom. 2. Alph. lit. P. fol. 225, Torelli in Centur. 1. c. 14. fol. 52. & in Sæculis tom. 1. fol. 668, Josephus à D. Antonio in suo Magnete Spirituali fol. 37. num. 10, ubi contendit illum nostri Ordinis solum fuisse Tertiarium. Sed quærerem ab illo : si Tertiarius, quommodo per septennium in Africa vixit in monasterio, & ita in Sólymis in monasterio vixit ! Nullus ex aliis hoc invênit, invénit ille ? imó Baronius, Gravina, Petrus Calvus illum faciunt nostrum sine ulla limitatione: cûr ergo nos hanc faciemus ? Illam non fecit N. Jacob. Font in suo Viridario, ubi agens de S. Piniano dic, 25. Februarii fol. 563. illum monachum absolute affirmat.

C. B. Veronica de Binasco nata est in oppido Binasco circa Mediolanum habitato, anno 1445. ex familia Nigrona, licet páupere, tamen pia, Cænobium S. Marthæ Mediolani Ordinis S. P. Aug. ingressa, ibi inter sanctimoniales admissa, professionem emisit ; ubi sanctissimam vitam ducens, cæleśti Sponso tradidit spiritum coronandum die 13. Januarij anno 1497, ætatis suæ 52, & religionis 30. Nescio, quis turbâvit aquas, ut biberêmus aquam turbidam, instar Neronis teste N. Valderrama Serm. quintæ fer. post secundam Domin. quadragesimæ, qui bibens aquam turbidám dixit: hæc sunt decocta Neronis. Non defuêre scriptores, qui B. Veronicæ Augusti nianæ invidi, eam alienæ religioni irrogárunt. Inter hos fuerunt Antonius Senensis in Bibliotecha Ord. Prædicatorum fol. 162, Ferrarius, & in hac materia véluti tacitus se se exhibuit Isidorus de Issolanis Dominicanus, scriptor vitæ B. Veronicæ, & his assentîtur Joannes Bolandus in Actis SS. die 13. Januarii, motus authoritate Ferrarij, & veritâtis testimonia relinquens, ut patebit

Hic possumus referre illud D. Hieronymi testimonium lib. 1. comment. in c. 2. Mathæi : multi labuntur errore propter ignorantiam historiæ, putantes eumdem esse Herodem, á quo in passione sua Dominus irridétur, & qui nunc mortuus esse referatur, &c. Sic in præsentiarum nonnulli ex Prædicatorum Ordine non contenti cum sua B. Veronica de Ferrara, de qua die 6. Julii ágitur á suis scriptoribus, & óbiit anno 1511, adhuc nostram, quæ óbiit Mediolani die, 13. Januarii anno 1497, confundentes, sibi volunt irrogare. Cur hoc ! Quia mos est hic authoribus Dominicanis é nostris sibi sanctos, & Heróas irrogâre. Satis queruloſus referam nonnullos.

P. Leander Albertus Dominicanus sui Ordinis fecit N. Beatum Henricum de Urimaria nomine Henrici Huri, vel Hunis, ut refertur in libro Litium Librorum à quodam Minorita compósito, lite 20. fol. 107. P. Antonius Senensis, P. Michael Pius, & P. Alphonsus Fernandes inter suos Dominicanos numerant N. B. Alphonsum de Orosco, ut dicitur in eodem libro lite 21. fol. 111. Iidem AA. Dominicani citati sui Ordinis referunt N. Aldobrandinum Cavalcantes, & ejus Sermones dicunt esse sui Ordinis, ut dicitur in supra citato libro lite 80. fol. 303. Suum etiam facit P. Antonius Senensis in Bibliotecha fol. 9. nostrum Guilelmum Bechiuri

nostri quondã Ordinis Generalẽ, Senis electũ anno 1460. die 27. Septembris, & postea Episcopum Fesulanum, anno 1470, qui senex anno 1495. decessit; sed P. Antonium Senensem satis impugnat supracitatus liber lite 32. fol. 148. Idem author e nostris ad sua evulsit claustris N. Joannem Stingarium Florentinum, qui vixit anno 1430, & nostrum esse probat Turrecremata lib. contra Conceptionem p. 6. cap. 33, & ita asserit liber supracitatus lite 19. contra P. Antonium Senensem.

Etiam sine tirulo PP. Dominicani sibi irrogant N. B. Imeldam monialem in cænobio S. Mariæ Magdalenæ Bononiensi, cum enim tempore B. Imeldæ ibi non Dominicânus, sed Augustinianus Ordo floruerit, ut probant Acta SS. die 12. Maij, & N. Fr. Josephus á D. Antonio tom. 2. Floris SS. fol. 427, & N. Torelli tom. 5. fol. 489. Pro Coronide referenda est. Ven. Maria Magdalena Nangasaqui martyrio glorioſa, quam Author Agiologii Dominicani die 16. Octobris tanquam sui Ordinis enumerat, cum duntaxat nostro tribuenda sit Ordini, ut probat N. Fr. Josephus á D. Antonio in suo Iman Spirituali fol. 83, &, ut probabimus, cum de illa sermo sit, Cum ergo e nostris tantos sibi irrogent AA. Dominicani, quid mirum, si etiam N. B. Veronicam sibi vellent irrogare! Rationem non capio, cum Illustrissima S. Dominici familia, tantórum parens fæcunda sanctorum, alienis fætibus non indigeat honorari.

Restat tandem probâre B. Veronicam solum nostrátibus pertinêre; & patet primó, quia cænobium S. Marthæ Mediolanense, in quo B. Veronica vitam duxit, institutum fuit anno 1567, ut refert P. Isidorus de Issolanis in vita B. Veronicæ lib. 1. c. 4. sub regula S. Augustini, & sic usque ad præsens persevêrat; ibi enim ait: Harum sororum vivendi genus sub D. Augustini regula militat. Hujus quoque Religionis propago per multas Italiæ urbes cænobia cõstruxit, & cap. 5. ait Hæc est Michaelina, quam apud súperos conspexit Veronica in solemni D. Patris Augustini celebritate; cujus ideo meminimus, ut clarior reddatur vivendi mos cænobii Sanctæ Marthæ. Adjicimus testimonium Pii II. cujus in Vaticano extat concessio ann. 1458. die, 24. Augusti, in qua cum Mantuæ existeret, Abbatissæ, Monialibus, & personis monasterii S. Marthæ Mediolanensis Ordinis S. Augustini, concedit posse eligere confessorém. Ob hoc, cum orta lis esset inter nostrates, & Fratres Dominicanos circa institutum B. Veronicæ, jussu Pontificis revisum est archivium dicti monasterii á quodam Cardinali, & invênit ab initio usque ad præsens semper sub Augustiniana regula perseveravisse: & rem Sedes Apostolica suo róbore confirmavit, ut tradunt Acta SS. die 6. Maij, dum de N. B. Prudentia, & in signum hujus jussit B. Veronicam in Martyrologio apponi Romano his verbis. Mediolani in cænobio S. Marthæ B. Veronicæ Virginis Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Patet secundó ex nostratibus, qui unanimi consensu affirmant sub Augustiniano vixisse instituto B. Veronicam: sunt hi; Herrer. tom. 2. de monast. Fæminar. lit. M. fol. 148. & lit. U. fol. 495. Torelli in Centur. 4. cap. 32. fol. 409, & in Sæculis tom. 7. fol. 464, Joannes Freyre Doctor Conimbricensis in ejus vita Olyssipone impressa anno 1671. Elss. in Encom. lit. U, Arpe in Diario SS. die 28. Januar. fol. 525 & in Pantheo Elogio 74. fol. 237; Jacob. Font in Viridario SS. fol. 377, Josephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 1. á fol. 129. Portillo tom. 1. SS. Ordines fol. 89.

Patet tertio ex exteris, scilicet, ex Josepho Ripamoneio in historia Ecclesiastica Mediolanensi lib. 15. fol. 948. Rufino, Borcano confessario ejusdem cænobii, & aliis pluribus: ergo his relatis, dicat P. Bolandus in Actis SS. die 13. Januarii: Sit ne illud S. Marthæ cænobium Prædicatorum institutione fundatum, haud possumus pronuntiâre. Si res ordinis alterius fuisset, Bolandus probabilioribus procederet fundamentis; nam si opus esset, ostenderem, dum de nostris vera it inficias, de aliis, si non falsa, ad minus incerta, & dubia exarare solet luculentius.

D. Ven. Joannes á S. Romano Hispanus, in Indias profectus, ibi Evangelij verbo plures ad fidem reduxit; ubi post annos meritis, & annis plenus, summa cum pietâte decessit die Martis 13. Januar. an. 1581. De illo agunt NN. Crusen. p. 3. c. 36, Elss. in Encom. lit. S fol. 366, Herrer. lit. I, fol. 454, ubi ait óbiisse 31. Januar Alter fuit in Ordine, qui super prunas nudis pedibus ambulabat.

E. Ven. Ferdinandus á Trinitáte, sive de Alvito, claruit pœnitentia, & dono Lacrimarum, & rara humilitâte; óbiit pie

in

in Cænobio Gratiarum Olyſſiponenſi hac die, anno 1588. Agunt de illo NN. Portillo hac ipſa die, & Leal in m. ſ. fol. 78. libro lit. C. N. Purificat. in Chronic. hac die fol. 24.

F. Ven. Nicolaus á Vega floruit in Indiis Orientalibus, & in oppido Baſſora magnos verbo, & exemplo fructus édidit; plures enim Perſas ad fidem reduxit, & pie óbiit hac die, anno 1640, ſepultuſque eſt in Ordinis cænóbio, & poſt duodecim ſupra ſex menſes corpus ejus incorruptum repertum eſt. Agit de illo Agiologium Luſitanum hac die, fol. 129, & 133, & N. Portillo hac die tom. 1. SS. Ordinis.

G. Ven. Didacus Peregrini, qui hac die profeſſus eſt Valentiæ in Provincia Aragoniæ anno 1617, & ibi maximo virtutum, & ſcientiarum ſtudio profêcit, in Indias miſſus, magnos ſuis fructus edidit ſermônibus, & tandem magna ſanctitâtis opiniône deceſſit anno 1646. Agit de illo N. Jorda tom. 1. Chron. Valent. n. 6. fol. 367.

H. Ven. Margaritta á Salvatore fuit Religioſa profeſſa noſtri Ordinis in Recluſório erecto á Joanne Tertio Portugalliæ Rege in Caſtello Olyſſiponenſi ad inſtantiam N. D. Joannis Suarii Epiſcopi Conimbricenſis tituló Pœnitentiæ Jeſu Chriſti; & hoc Recluſorium permanſit ſub regimine noſtri Ordinis, cujus adminiſtratores extitêre FF. Gaſpar Canus, Franciſcus á Cruce, Chriſtophorus Tibáo, & Andreas Torneiro, & in anno 1551. in tali Recluſorio degebant viginti ſeptem profeſſæ, & ſic per viginti annos ſub noſtra regula vixêre, & inter eas duæ præcipuæ fuêre, ſcilicet Ven. Margaritta á Salvatore, de qua in præſenti, & Ven. Eliſabeth á Reſurrectione, de qua 22. Martii agendum eſt. Elapſis vero annis viginti quatuor, profeſſæ translatæ ſunt ad monaſterium S. Annæ, ubi S. Franciſci régulam ſunt amplexæ. Hoc, licet confuſe, refert Georgius Cardoſo in Agiolog. Luſit. die 13. Januar. fol. 132. tom. 1, & die 22. Martii fol. 271. tom. 2. Quod ita res fúerit, patet ex ſummario facto á D. Ferdinando Archiepiſcopo Olyſſiponenſi anno 1551, ubi dicitur: ſunt in hoc cænobio viginti ſeptem Ordinis S. Auguſtini, ſub cujus régula militant: patet etiam, quia adhuc in monaſterio S. Annæ Moniales in ara maiori ſervant imagines S. P. Auguſtini, & S. M. Mónicæ, quas e primo traxêre monaſterio. Omnia refert N. Leal in m. ſ. in lib. lit. C. fol. 203, & 294. & in libro lit. E. fol. 52.

I. Ven. Eliſabetha Anna á D. Hieronymo nata eſt in Urbe Segorbienſi ex Franciſco Navarro, & Catharina Sena: annis jam plenis facta, inter moniales cænobii S. Martini in patria locum adepta eſt; & profeſſiónem emiſit die 25. Maij anno 1616, nbi vivens mirabili virtutum exemplo, pie obdormivit in Domino hac die, anno 1642. ætatis 52. nondum completæ. Agunt de illa late N. Alphonſus Villerinus tom. 3. ſui Solaris lib. 41. tract. 2. §. 6. fol. 240, N. Jacobus Jorda tom. 2. hiſtor. Valentiæ lib. 5. cap. 21. fol. 689. n. 8.

DECIMO NONO KALENDAS FEBRUARIJ.

XIV.

A. Feſtivitas Sanctiſſimi Nominis Jeſú, quod os Domini nominávit, & ab Angelo prænuntiatum eſt, priuſquam Sapientia incarnata in puriſſimo Virginis Mariæ Utero concepta eſſet, quæ in Ordine noſtro ſpeciali Apoſtolicæ Sedis indultu celebrátur. *B.* Apud Bávaros pretioſa mors S. Engelmari mónachi, & martyris, cujus ſepulchrum in ſignum ſuæ ſanctitatis, cum ſingulas per noctes radiis, & ſplendoribus coruſcâret, hac fama multi ad illius ſepulcrum accedentes ſalutis ergo, & medelam ſuſcipientes, brevi eleemoſynis datis templum magnificum B. Engelmaro erexêre, & ibi feſtum quotannis celebrabant. *C.* Apud Etruriam memoria B. Joannis de Spelunca Confeſſoris, qui ob meritorum abun-

dantiam Ordinis Generalis electus eſt, & rara ſanctitâte coruſcans, ſancto fine quievit. *D.* Penafirmii juxta Turres Veteres in Cœnobio Ordinis antiquiſſimo, depoſitio Ven. Gaſparis á Guerra, Fratris laici, qui claruit humilitâte, charitâte, & abſtinentia: in oratione ita erat aſſiduus, ut licet octoginta ſex annos numeráret, tribus, & ſex horis pluries huic cæleſti pábulo vacáret quotidie. Tandem innumeris meritis cumulatus ad ſuperos evolâvit. *E.* Trajecti ad Moſam óbitus Ven. Mathiæ Pauli Belgenſis, viri præclari, in quó certavit cum inſigni doctrina humilitas, & animi depreſſio; donec relicto ſui glorioſo nomine, e vivis pie deceſſit. *F.* Mediolani in cœnobio ſub invocatione S. Franciſci noſtrorum Diſcalceatorum Ven. Coſmæ á S. Franciſco, qui in religione vixit magna cum opinione ſanctitâtis; floruit enim rara erga B. Virginem, ejuſque Sponſum D. Joſephum, & alios ſanctos, devotiône; non minor fuit pœnitentia, qua caſtiſſimus vixit uſque ad finem vitæ; ſolitudinis erat amiciſſimus, & ſic præter horas vel chori, vel ſacrificii, in cubiculo vel orans, vel legens, vel aliud ſibi péragens neceſſarium, tempus conſumébat. Cum autem in confirmationem ſanctitâtis ejus Deus nonnulla præſtaret prodigia, præcipue cum ipſe ſupra infirmos oraret, méritis non paucis glorioſus, pie deceſſit in eodem cœnobio. *G.* Palentiæ in monaſterio Monialium titulo Expectationis Ven. Mariæ á S. Ignatio, quæ poſt ſæculi nuptias ibi Eremitico habitu ſuſcepto, omnium lubens arripuit ſémitam virtutum; fuit enim in abſtinentia mirifica, in obedientia ſingularis, adeo, ut, cum ab Abbatiſſa vocaretur, dum lebétem é puteo educeret, & illum dimitteret, obedientiæ vi coacta, ille in aere ſuſpenſus manéret, donec altera puteo monialis appropinquaret, quæ lebétem é puteo mirabunda eduxit. Fuit á Dæmonibus varie tentata, ſed nunquam inſidiatori ceſſit infernali; multis ergo virtutibus, & victoriis glorioſa, ad cælos palma fruitûra translâta eſt. *H.* In oppido Villæ Garciæ Diœceſis Compoſtellanæ tranſitus Ven. Hyacinthæ á Viſitatione, quæ inter moniales cœnobij S. Chriſtophori admiſſa, in religione vixit rara pœnitentia, & patientia in laboribus. Fuit devotiſſima pueri Jeſu cujus imaginem pretioſius ornabat, á quo petiit precibus aſſiduis, ut in die ſui Nominis é vivis excederet, & piiſſimus Dominus ſuæ Sponſæ precibus annuit; hac enim die ad Sponſi Cœleſtis thálamum volávit.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM QUARTUM JANUARII.

A. Feſtum SS. Nominis Jeſu Celebratur in noſtro Ordine, præcipue á tempore Xiſti Quinti in Regno, & ditionibus Hiſpaniæ, & poſt ab anno 1596. per Conceſſionem Clementis Octavi ad preces Generâlis Andreæ Fivizani in toto Ordine Officio proprio celebrátur; cujus motiva late expendit N. Fr. Joſephus á D. Antonio tom. 1. floris SS. fol. 48, ubi curioſus, quæ velit, lato cálamo conſcripta reperiet.

B. B. Engelmarus, qui fuit fundator cœnobii Aroaſiæ Ord. S. P. Aug. ut ait Andreas Sauſſai tom. 2. Martyrolog. Gallici in Suplemento fol. 1079, natus eſt Bavâriæ; poſtea hábitu Eremitico indútus, in omni cœpit virtûte clareſcere: præcipue Oratione, jejunio, & pœnitentia; ſed Dæmon tantæ virtutis invidus in eum quendam incitavit ſócium, qui eum ferro per tempora transfixo occulte interfecit, ſed inventum corpus ejus quidam pius ſacerdos ſepelivit in loco humili ob paupertatem, magna tamen devotiône, & pietâte. Sed cum ſupra ejus ſepulchrum luces continuæ apparérent, ad ejus túmulum cœpit advenîre concurſus, ut B. Engelmari opem implorarent, & ſic ibi plurima patrata ſunt miracula: ob quæ illi templum ſumptuoſum ſacratum eſt, & magnificum ſepulchrum. Cum autem ille ſacerdos, corporis inventor, fieret Præmonſtratenſis, & anno 1131, initiaretur cœnobium Vindoer-genſe, ad illud translatum eſt corpus S. Engelmari, unde multis uſque ad præſens claret miraculis. Agunt de N. B. Engelmaro præter citatum Sauſſai, N. Torelli in Sæculis tom. 3. an. 1096. fol. 486, N. Jacob. Font in Viridario hac die fol. 229, N. Portillo in m.ſ. & Acta SS. hac die. *C.* B.

C. B. Joannes de Spelunca per plures annos clavum sustinuit Religionis, & floruit per annos 1110. usque ad 1160; magna sanctitâte, qua ornatus, in cælum ascendit, præmio fruiturus. Agit de illo mirabili Elogio N. B. Henricus de Urimaria, N. Torelli in Centur. 1. cap. 115. fol. 120, N. Herrer. in Alph. lit. I. fol. 364; & omnes NN. Historiographi.

D. Ven. Gaspar á Guerra Lusitanus ortum habuit in Urbe Leyriensi é parentibus nobilibus, fuit æcónomus Marchionis de Villa-Regali: cum illi á parentibus nuptiæ paratæ essent, eadem, Deo disponente, evitâvit, & nostro indui procuravit hábitu, & induit in cænobio Penafirmii anno 1606. ætatis 52, & licet Grammaticam sciret, Laicali numero voluit adjungi. Post annos professionis Conimbricam profectus est, ubi portarii munus adimplevit: plures missas quotidie audiebat; & nimia floruit abstinentia, & cum á prælato dispensaretur ob senectutem, ne tantis se jejuniis macerare, respondit: Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem timor mortis conturbat me. Floruit egregia charitâte erga pauperes, quibus omnia munuscula sibi á consanguineis missa porrigebat: observabat ad unguem quædam dictamma sibi præstita á Fratre suo D. Andrea á Conceptione Canonico S. Crucis, notæ sanctitâtis viro: & sunt sequentia.

Rara, & solum necessaria, & numquam prior loquâris. Claude cor tuum clave sacratissimæ Passionis Christi, ita, ut nihil, nisi illius mortis contemplatio, ingrediatur. de iis, quæ ad te non spectant, nullâtenus cures: nec tua extollas, nec aliena diminuas, nec alterius rerum judex fias. Silentium observa; vitia parvula fúgias, ut á maioribus evadas; otio fac bellum, quia perditum non redit tempus. De te humiliter judica; hæc enim est Deo sémita gravissima. Esto humilitate patiens, & lætitia pauper, integritâte purus, & Prælati subjectionem non óderis. Si alterius arguas defectus, aspice prius, an in te similes hábeas defectus. Ut religiosus noscaris, demens pro Christo fias, & de te superbe non sentias, sed te, velut alienigenam, in terra contemplare. Melius tibi erit, ut de te curans occularis, quam, etsi miraculis insignis, de te non cures. Bene de omnibus crede; malum enim facile non probatur. Injurias tibi factas obliviscere. Esto apud cunctos, tanquam si illis subjiciaris. Dum te sustinet aura vitalis, fac ea, quæ in óbitu velles facta. Nihil facias, cujus postea te cruciet factura &c. Hæc erant potiora documenta, quæ Ven. Gaspar mirabiliter observabat. Cum ergo jam pluribus méritis, & annis esset refertus, summa cum pietâte decessit vel Penafirmii, ut ait N. Purificatio in Chronolog. monastic. hac die, fol. 25, vel, ut ait. N. Leal in m. s. in lib. lit. C. fol. 145. Conimbricæ die 14. Januar. ann. 1639. ætatis fere 90. De Ven. Gaspare præter citatos agunt ex NN. Arpe tom. 1. SS. fol. 42, Portillo hac die; his additur Agiologium Lusitanũ, hac etiã die fol. 139, & 144.

E. Ven. Mathias Pauli Flander Hasselensis vir fuit nimiæ pietâtis, ut in suis operibus demonstravit; scripsit enim Epithalamium Jesu, & Mariæ, Septem parvas horas nominis Jesu, & S. Annæ, cum meditationibus vitæ, & mortis Christi, & Parvas horas septem dolorum B. Mariæ, Processionale, ubi ex proprietâtibus candelæ Christi itinera, & virtutes proponit: Speculum perfectionis, Manipulum precum suavissimo Jesu, castissimæ V. Mariæ, ejusque Sanctissimo Sponso Josepho; & plura alia devotam pietâtem redolentia. Cum ergo de se benemeritam vitam consummaret, hac die rara cum pietâte decessit anno 1651, ætatis 78. Agunt de illo N.N. Elss. in Encom. & Anton. á Nativitate in Monte 3. corona unica §. 12. lit. M. fol. 612. n. 26.

F. Ven. Cosmas á S. Francisco ortum habuit in Mosaica terra Diœcesis Cremonensis anno 1616. ex Pancratio Paliarco, & Maria Galvani; baptismum suscepit in Parochia S. Stephani, unde Stephanus vocatus est. Cum autem sacris vellet initiari, & patrimonio indigêret, illud á B. Virgine Maria, sæpius devote invocata, est adeptus, sibi enim á quodam spontaneo oblata est capellanîa pinguis S. Josephi, cujus titulo sacerdotio decoratus est; & ne tanti beneficii sibi excideret memoria, hábitu nostrorum Discalceatorum vóluit, & adeptus est ornári die 13. Novembr. anno 1640, & se votis obstrinxit die 20. ejusdem, ann. 1641. Post professionem ad Cænobium S. Francisci Mediolanense missus est, ubi mirabili sanctitâte coruscávit; quotidie duas ante dilúculum horas somno surripiebat, ut orationi vacâret, ubi

ubi quotidie recitâbat Officia S. Crucis, Spiritus Sancti, & Angeli Cuſtódis, Coronam B. Virginis, & quinque Pſalmos B. Mariæ nomen incipientes, ſcilicet, Magnificat, Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, Retribue ſervo tuo, In convertendo Dominus, Ad te levavi oculos meos, cum aliis orationibus Paſſionis, doloris, & Gaudii B. Virginis, & S. Joſeph. Miſſam quotidie devote celebrábat, ad quam ſemper prius humili confeſſione parabâtur. Iter fáciens, orationes ex ſoliloquiis S. P. Auguſtini, & S. Getrúdis de promptas decantabat. Edidit librum privilegiorum S. Joſephi, & Conceptionis B. Virginis. Orans aliquando ſupra infirmos, illis ſoſpitatem eſt largîtus. Pœnitentia, claruit, ciliciis, & diſciplinis aſperrimis ſe cruentans; caſtitatis, & ſolitudinis fuit obſervantiſſimus. Tandem tántis méritis cumulâtus Mediolani in Cœnobio S. Franciſci noſtrorum Diſcalceatorum pie óbiit hac die, anno 1677. ætatis 61. religionis 36. Agit de illo late Fr. Joannes Bartholomæus á S. Claudia N. Diſcalceatus Luſtro 17. n. 133. fol. 489.

G. Ven. Maria á S. Ignatio nata eſt in oppido Narras Diœceſis Oſmenſis, poſt ſæculi nuptias de conſenſu unanimi Sponſi iſto inter Carmelitas Diſcalceatos adſcripto, Maria ingreſſa eſt Cœnobium Monialium Expectationis Palentiæ, ubi rara ſanctitâte vixit, & óbiit. Agit de illa N. Villerin. tom. 1. Solaris Auguſtiniani lib. 6. tract. 4. fol. 285.

H. Ven. Hyacintha á Viſitatione nata eſt ex Joanne Teixera, & D. Lucia Ojea habitantibus prope Salvaterram. Cum illam parens vellet matrimonio ſubjicere, & illa reſpúeret, quaſi miraculoſe parentis furorem declinavit. Hábitum monialium induit in Cœnobio S. Chriſtophori Oppidi Alégre, non longe ab urbe Compoſtellæ, ubi ſemitam ſequens virtútum, clara in illis præbens ſpecímina, magna inter ſorórum deſideria, hac die é vivis exceſſit, cum in noſtro Ordine feſtum SS. Nominis Jeſu, cujus devotione liquefiebat, & ſicut deſiderabat, celebratur; anno 1686. Late de illa agit. N. Villerinus tom. 2. ſui Solaris lib. 20. tract. 2. fol. 58.

DECIMO OCTAVO KAENDAS FEBRUARIJ.

XV.

A. Feſtivitas S. Pauli Primi Eremitæ, de quo jam quarto Idus Januarii, in quo ad cælum ejuſdem ſpiritus victor aſcendit, & hac die indultu Apoſtolico in noſtro Ordine ritu dúplici celebratur. *B.* In monaſterio Lirinenſi depoſitio S. Eligii monachi, & confeſſoris, qui cæleſtis patriæ flagrans deſiderio, ſæcularia aſpernatus, ſub regulari diſciplina ſtrenue, diuque Domino ibîdem militavit, & tandem bonorum óperum cúmulo repletus, hac die ad æternam, immarceſſibilemque coronam tranſiit ſuſcipiendam. *C.* Hiberniæ in cœnobio montis Luachrenſis pretioſa mors S. Ittæ Virginis, quæ ibi, cælo monente monaſterio conſtructo, pluribus Virginibus rara ſanctitâte profécit. Cum ergo incredibili abſtinentia, prophetiæ dono, & innumeris miraculis claruiſſet, multis virtutibus, & ſignis cumulâta, gravi ægritudine correpta, inter cæleſtes choros, hac die, ad ſúperos volavit. *D.* In Italia memoria B. Pauli Secundi, qui primi ſequens veſtigia, in Eremum, Superiorum licentia, ſeceſſit, ubi altiſſima contemplatione fruens, & hominum fugiens conſpectus, & Chriſti ſocietatem in campo, qui de ſe dixit: ego flos campi, inquirens, meritorum plenus, ad præmia evolavit ſempiterna. *E.* Eugubii, in cœnobio S. P. Auguſtini, B. Franciſci Eugubini, Ordinis Tertiarii, cujus vita virtutibus, & ſignis coruſcâvit, & poſt mortem illius corpus in dicto cœnobio tumulâtum eſt, & quóties ejus ſarcóphagus aperîtur, toties gratiſſimum exhâlat odórem. *F.* In Perſide prope Civitatem Naxivam glorioſus pro fide

fide triumphus Ven. Guilelmi á S. Augustino Lusitani, qui cum aliis duobus sociis in ódium fidei, jugulo absciſſo, peremptus est; cujus corpus Ormusii in cænobio Ordinis tumulatum est. *G.* Romæ depositio Ven. Jacobi de Lombardis, viri probitâte, & doctrina clarissimi; quarum dotibus exornâtus ad Episcopalem S. Angeli præfecturam evectus est, dónec, non paucis cumulátus méritis, Romæ, hac die, e vivis pio decessu ad præmium translâtus est. *H.* Apud Méxicum in Indiis Occidentalibus Ven. Didaci de Montoya, qui ab Hispalensi cænobio ad Indias missus ob egregiam doctrinam, & sanctitâtem, ibi constructo cænobio de Quannuco floruit observantia, & pœnitentia, & tandem innumeris exornâtus méritis, vitæ cursum feliciter consummavit. *I.* Romæ in cænobio Jesú Mariæ Discalceatórum transitus Ven. Restituti á Sanctissimo Sacramento Laici, qui oratione, obedintia, paupertâte, & illibâta castitâte floruit, dónec á Summo Judice vocátus, de se, ut creditur, rectissimam redderet rationem hac die, & post ejus óbitum illius sanctitâtis adhuc permanent testimónia. *L.* Eboræ in Lusitania in cænobio Monialium Pueri Jesú transitus Ven. Antoniæ á Fonseca ibidem Monialis, quæ, quoad vixit, se disciplinis, ciliciis, jejuniis, & aliis pœnitentiis, lascivientis corporis titillationes macerâbat: in chóro erat & prima, & assidua, & usque mane ibi orans pernoctabat: in cellam rediens, matutínum iterum repetebat; & orans sæpe in exstasim rapi visa est. Floruit obedientia. Ante óbitum á D. Antonio, quem sibi patrónum delégerat, visitâta, & donâta fuit ad pectus impósito pignore cæléſti, quo exultabunda in cælum hac die migravit. *M.* In Hispania in cænobio Carmonensi Sanctissimæ Trinitâtis felix depositio Ven. Rufinæ Mariæ á Sanctissimo Sacramento ibidem monialis, quæ pœnitentia, humilitâte, & charitâte mirabilem se fecit; sic passiouis Christi devotione ardebat, ut in nullo Véneris die, in passionis memoriam, nec quidem aquæ guttam gustaverit, & tandem óbitus sui hora adventante, Sacramentis præmunîta, summa cum pietâte hac die decessit. *N.* Xabéæ in cænobio S. M. Mónicæ óbitus Ven. Hieronymæ á S. Josepho Sanctimonialis, quæ post sæculi nuptias, in quibus ob viri ferocitatem plura est perpessa, tamen á matrimonii ligamine liberâta, in dicto cænobio in sanctimonialium susceptа est consortium, ubi rara patientia in molestiis floruit: otio bellum indixit; cibus illius perpetuus fuit in Deum in oratióne mentis elevatio. Erga Purgatorii animas enituit devotióne, pro quibus plura Deo offerébat sacrificia. Tandem horribili parálysi correpta inter actus Theologarum virtútum fervidós, & Sponsum videndi ardens desidério, mira tranquillitâte expiravit.

COMMENTARIA

AD DIEM UNDECIMUM QUINTUM JANUARIJ.

A. De S. Paulo Primó Eremita jam actum est quarto Idus Januarij lit. B; hac tamen in die in nostro Ordine ejus festivitas celebrâtur.

B. S. Eligius monachismum Lirinense decoravit, ut testatur Saussai hac die in Martirologio Gallico. Quod autem hoc cænobium á prima sui erectione, quæ fuit anno 400. per Sanctos Caprasium, & Honorátum, usque ad an. 661, in quo per S. Aigulphum Abbatem Floriacensem, introducta illic fuit S. Benedicti religio, fuerit per nostros Eremitas possessum, late probant NN. Ludovicus ab Angelis lib. 4. in vita S. P. Aug. c. 8, & M. Marques in Orig. Ordinis cap. 10. §. 1. fol. 165, & omnes nostri, & plures ex exteris cum P. Petro Calvo, qui Defensione lachrymarum Justorum lib. 2. c. 12. fol. 317. inter Eremitas Augustinianos enumerat SS. Honoratum, & Hilarium Archiepiscopos Arelatenses, & Eucherium Lugdunensem Archipræsulem, qui in Epistola ad Valerianum appellat Augustinum unum ex suis, his verbis: ut quidam ex nostris ait: surgunt indocti &c. Insuper quia nullus alius ordo póterit per id tempus assignari, qui in tali cænobio præter nostrum coruscáret. Videatur Herrer. tom. 1. lit. H, dum de S. Honorato fol. 327, & tom. 2. lit. L. fol. 26, & N. Torelli pluries in Sæculis, & præcipue tom. 1. dum

dum de S. Honorâto, & in Centur. 1. c. 15. fol. 52. Cum ergo S. Eligius in monaſterio Lirinenſi floruerit circa ann. 542. ante ingreſſum inſtituti Benedictini, quaſi centum, & viginti ante annos, inconcuſſe infertur, S. Eligium non Benedictinis, ſed noſtris Eremitis próprie ſpectâre; & ita ſentit N. Elſſ. cum pluribus in Encomiaſtico Auguſt. L. E: unde non eſt audiendus Lezana, dum vidêtur ſomniaſſe, cœnobium Lirinenſe á prima erectione ſuis Carmelitis ſpectaſſe, cum hoc figmentum, eſtenim ſine ullo apparenti fundamento, levi concuſſum flatu, pénitus evaneſcat. Videatur N. Torelli in 1. tom. Sæculor; ubi late ſomniantes rationibus expergificat inconcuſſis.

C. S. Itta Virgo nata eſt Hiberniæ regio ex ſanguineo; quæ Itta ita Sancta á téneris extitit, ut fama reſte, non perdiderit gratiam in baptiſmate ſuſceptam, & ſic puellula admirationi erat. Cum in lectulo infans cubuiſſet, quaſi rubus ardêre viſa eſt, ſed non comburi; & taliter vultus ejus coruſcâbat, ut fixis vidéri óculis non poſſet. Cum vellet monaſticam amplecti vitam, á patre rejecta eſt; ſed ille ab Angelo admónitus, véniam Ittæ conceſſit, & ſic illa hábitum monialium induit; mox Angeli mónitu ad montem Luachræ devénit, unde virginibus pluribus congregatis, cœnobium conſtruxit, ubi Itta pœnitentiis, & jejuniis ſe macerabat; & á cælo admónita eſt, ut nullum é terris ſumeret eſculentum, quia duntaxat cæleſti erat pábulo nutrienda; ſic ab Angelo delatum quotidie pábulum devorâbat. Prophetiæ dono maxime enítuit. Tres mortuos ad vitam revocâvit, paraliticum ſanavit; cordium ſecreta penetrâvit, & occulta cognóvit. Aliquando Deum precâta eſt; ut á ſacerdote digno acciperet communionem, mox inviſibiliter rapta eſt ad civitâtem quadraginta millia diſtantem, & ibi á monacho quodam ſancto communicâta eſt, & in eodem die in ſuo eſt inventa monaſterio. Aliquando etiam orans, viſa eſt inter tres ſoles hoc nos illuſtrante ſole clarióres. Cum alias vir quidam ab illa deprecarêtur, ut filium ejus ad vitam revocaret, illi B. Itta dixit, filium ejus mortuũ revicturum, & victurum eſſe ſeptem annos, ſeptem menſes, & ſeptem dies, & ſic res, ut illa dixerat, adimpleta eſt. Tandem raris virtútibus, & innumeris cumulâta prodigiis, ægritudine correpta, inter cæleſtes virtútes in cælum hac die volavit, circa annum 550. De B. Itta agunt AA. vitæ S. Pulcherii die 13. Martij, & S. Brandani 18. Maij, & Acta SS. Bollandi hac die. Quod autem noſtræ perineat religioni, patet, qnia tempore in illo noſtram duntaxat religionem Hibernia cognoverat; ut dicendum eſt 17. Martii, dum de S. Patritio, & late probat Torelli in Sæculis tom. 2; & in Centur. 1. cap. 44. fol. 77. Herrer. dum de S. Patritio tom. 2. fol. 231: ubi plurâ refert digna notatu, & notanda 17. Martii. De S. Itta, etiam ut noſtra, agit N. Jacob Font in ſuo Viridario hac die fol. 230.

D. B. Paulus ſecundus ad differentiam primi, qui maxime dilexit ſolitudinem; florebat tempore Unionis circa annum 1256. De illo agunt. NN. Marques c. 18. §. 11. fol. 329, Pamphilus in indice Beatórum, Herr. tom. 2. Alphab. fol. 238. Torelli Centur. 2. cap. 14. fol. 150, N. Nativitas Monte 2. Corona 3. §. 4. fol. 380; N. Portillo hac die, tom. 1. SS. fol. 131. & alii plures. Hujus Beati eſt in mea manú imágo depicta hoc lemmate: B. Paulus religionis Eremitæ, fuit ádeo ſolitudinis amîcus, ut meruerit tanquam alter Paulus acclamari.

E. B. Franciſcus Eugubinus, noſtri Ordinis mantellatus, floruit ann. 1450, cujus corpus quieſcit in ſepulcro honorifico cœnobii Eugubini Provinciæ Spoletanæ, quod olim fuerat Congregatiónis de Brittinis, & quóties ejus túmulus reſerâtur, tóties odorem exhâlat ſuaviſſimum. Agunt de illo Herrer. lit. F. tom. 1. fol. 237. Roman in m. ſ. Torelli in Sæculis tom. 6. fol. 798. n. 17. ex Jacobillo in hiſt. Umbriæ.

F. Ven. Guilelmus á S. Auguſtino natus eſt in oppido de Anſam comitátus Monſanti, & Diœceſis Conimbricenſis; parentes habuit Rochum Fernandes, & Angelam Gaſparem. Cum 17. ætatis impleſſet annos, in cœnobio Scalabitano habitum ſuſcepit anno 1598. In Indiam miſſus eſt cum aliis ſeptem anno 1599; ubi litteris óperam dedit, & doctior evaſit. In Perſidem miſſus eſt. an. 1603, ubi poſt varias peregrinationes in ódium fidei decollatus eſt, cujus corpus triduo inhumátum, illæſum á feris, & ávibus permanſit, ſuavem odorem emittens, ſupra quod per id tempus rari ſplendores e cælo apparuêre: triduo

triduo transacto corpus sepulturæ traditum est á Fr. Mathæo Dominicano Archiepiscopo Naxivan, ubi ab incolis, ut martyr, veneratur, & é sepulcro ad morborum medelam pulveris copia educitur. Accidit hoc martyrium die 15. Januar. ann. 1612: quod est verius, licet Agiologium Lusitanum de illo agat 5, N. Portillo 17. Januar. Anno verò 1617. ejus Ossa translata sunt ad cænobium Ormusii, nunc in sarcophago saxi denigrati sunt in cænobio Goensi simul cum reliquiis Ven. Hieronymi á Cruce, & Ven Gativandæ. Agunt de V. Guilelmo NN. Herrer. tom. 1. Alph. fol. 291. Torelli Cent. 6. cap. 41. fol. 688, D. Fr. Alexius de Menezes in Chron. m. s; quod in Archivio Lixbonensi servatur, Felix de Jesú in Chron. Indiarum, Simplician. á S. Martino in Chronic. Galliæ, Lacerda, in quodlibet q. 5. Schol. n. 9. fol. 22. Leal in m. s. lib. lit. C. fol. 154, & fol. 307. Josephus á D. Anton. tom. 1. Floris SS. fol. 211; ex exteris Ægidius Gonçales de Avila in magnificis rebus Matriti, Georgius Cardoso in Agiolog. Lusit. die 5. Jan. fol. 46.

G. Ven. Jacob de Lombardis S. Angeli Episcopus, óbiit Romæ anno 1477. die 15. Februar. interque nostrátes sepultus est, in cujus tumulo hoc legitur epitaphium.

Jacobi Episcopi S. Angeli de Lombardis, de Regula S. Augustini Patris, gravissimi, ac pii in hoc tumulo corpus sepultum tégitur: 1477. die 15. Januarij.

De illo agit Ughellus in Italia Sacra tom. 1. fol. 829. Episcopatus S. Angeli est in Lombardia.

H. Ven. Didacus de Montoia Hispanus, professionem emisit in cænobio Hispalensi die 17. Julii anno 1559, fuit vir doctissimus, & sanctissimus. In Mexicum missus est, ubi observantia fuit insignis, & cursum vitæ gloriose consummans, óbiit Mexici hac die, anno 1599. Agit de illo N. Portillo in tomo 1. SS. Ord. fol. 132.

I. Ven. Restitûtus á SS. Sacramento Romæ natus est ann. 1602, parentes habuit Guilelmum Rubinum, & Luciam Vangelini, baptismo purgatus est in Parochia S. Mariæ trans Tiberim; in sæculo artem exercuit picturæ. Cum esset triginta annorum, hábitum Laicalem inter Discalceatos suscêpit anno 1632. die 11. Junii in cænobio S. Nicolai, & professionem emisit 12. Junii ann. 1633, & vivens in Religione summa observantia, cum esset nonaginta duorum annorum, magno cum odóre sanctitâtis é vivis excessit hac die, & feria sexta anno 1694, & 62. religionis, sepultus est in cænobio Discalceatorum S. Mariæ, ubi adhuc suæ sanctitâtis fama persevêrat. De illo late agit Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 20. num. 8. fol. 607.

L. Ven. Antonia á Fonceca nata est in oppido de Arouca, inter Moniales cænobii Pueri Jesú Vrbis Eborensis in Lusitania religioni se votis obstrinxit, ubi rara de se sanctitatis præbuit indicia, multas per horas orationi vacabat, in obedientia claruit, in Abbatissam electa, raro prudentiæ exemplo se præstitit. Cum S. Antonii Abbatis devotione liquefieret, ab illo tribus ante óbitum horis donata est cælesti ad pectus appenso pignore; óbiit feliciter hac die anno 1597, & post mortem non defuerunt prodigia ejus gloriam protestantia. Agunt de illa Agiologium Lusitan. tom. 1. hac die fol. 150, & 155, & N. Leal in m. s. fol. 128.

M. Ven. Rufina Maria á Sanctissimo Sacramento Hispali nata est, hábitum induit Carmonæ in cænobio Sanctissimæ Trinitatis, ubi raro cum exemplo vixit, & óbiit hac die anno 1655. Agit de illa N. Villerin. tom. 2. Solaris August. lib. 32. in Addit. 5. fol. 422.

N. Ven. Hieronyma á S. Josepho post sæculi nuptias, monialis facta est in cænobio célebri Xabeensi, ubi in semitâ virtutum mirabilem fecit observantiam, & de se præclarum præbuit testimonium: óbiit pie, hac die, anno 1681. Agit de illa N. Villerinus tom. 3. sui Solaris lib. 32. tract. 2. fol. 402.

DECIMO SEPTIMO KALENDAS FEBRUARIJ.

XVI.

A. Arelate iu Gallia S. Honorati ejuſdem Civitatis Archiepiſcopi, & Confeſſoris, qui ex Abbate célebris monaſterij Lirinenſis, quod ipſe fundarat ſub inſtitûto Auguſtiniano, quod á Tuſciæ mónachis didicerat, ad Eccleſiam Arelatenſem regendam poſt Patrocli óbitum aſſumptus, ſuo gregi mirifice præfuit, & profuit, & tandem innumeris glorioſus ſignis, in cælum hac die migravit, in modum columbæ, & ſic ejus animam vidéntes aſcendere ſui monachi Lirinenſes, gementes audierunt á S. Honorato: Ero vobis Lirinenſibus protector in ſæcula: fidite. *B.* In Gallia Narbonenſi in Oppido Tarentaſienſi pretioſa mors S. Jacobi. Epiſcopi Tarentaſienſis, qui, cum in Lirinenſi, monaſterio ſub diſciplina S Honorati raris virtutibus claruiſſet, ab ipſo jam Arelatenſi Præſule creatus eſt Epiſcopus Tarentaſienſis, ubi maximo cum fructu prædicavit, & innumeros ad Chriſtum convertit, plura enim miracula per eum Deus operátus eſt, donec tantis méritis præclarus, in patriam abiit hac die cæleſtem. *C.* Apud Rhegium S. Fauſti mónachi Africani, & ſocii S. Fulgentii, qui ob egregias virtutés poſt óbitum N. S. Proſperi creatus eſt Epiſcopus Rhegienſis, ubi gregem ſuum ſanctiſſimé gubernavit; fuit enim doctiſſimus, & plures docte libros conſcripſit. Omnibus interfuit Conciliis ſuo in ævo celebrátis. Tandem annis, & meritis plenus, é vivis hac die deceſſit. *D.* Carthagine in Hiſpania felix tranſitus S. Fulgentii Epiſcopi, & Confeſſoris, qui é nobiliſſima ortus progenie, mundo valedícens, ſub Servitáno cœnobio nomen, & gloriam adauxit monachiſmo Auguſtiniano ſub Etherico magiſtro; ſub cujus diſciplina doctiſſimus, & ſanctiſſimus evaſit, obquæ mortuo Dominico Epiſcopo, qui noſtro S. Liciniano martyri ſucceſſerat, in ejus locum ſuffectus, ſacratus eſt Carthaginenſis Epiſcopus, in quo munere, raris doctrinæ, & ſanctitâtis claruit exemplis, & ita hæreticorum fallaciis ſe ſe oppoſuit, ut hæreticorum dicerêtur perſecutor. Ab his plura, uſque ad exilium, incredibili patientia perpeſſus eſt, tandem victoriis glorioſis refertus, hac die ad præmia celeſtia vocatus eſt. *E.* In Gallia in monaſterio Pontinſaco, Peronæ erécto, pretioſa mors S. Furſæi confeſſoris Regis Hibernorum, dicti Vibeani, filii, qui regnum terrenum reſpuens, ſub S. Brandani diſciplina didicit ſcientiam ſanctorum. Habuit mirabiles extaſes, ubi ſanctorum gloriam, & damnatorum pœnas aſpexit: multos ad fidem convertit. Tandem cum cláris virtutibus, & ſignis coruſcaſſet, ad ſúperos hac die migravit. Et cum poſt ejus óbitum contentio orta eſſet, quo in loco ejus corpus foret tumulandum, tauros junxerunt ad féretrum, qui tenentes rectam viam, progreſſi ſunt verſus Perónam in Gallia; ſed interim Bercharius Dux Lugdunenſis armis occurrens, ſanctum corpus ſecum deferre vi curabat, ſed hanc litem diremêre duo púeri ſeptem annorum, qui féretrum rheda Perónam traxerunt, ubi honorifico quieſcit, & colitur ſepulchro. *F.* In Nortumbria S. Henrici Eremitæ, & confeſſoris, qui matrimonium contrahens in eádem nocte nuptiarum á Deo fuit admónitus, ut Sponſam, & patriam deſéreret, quo audito in inſulam Cochet trajécit, & ſtetit in monaſterio Forremutenſi, ubi pœnitentia, patientia, humilitâte, & aliis virtutibus claruit; & prophetiæ dono enituit. Cum autem mortis ſuæ tempus adventaret, ſupra illius cellam auditi ſunt Angeli dulciter concinentes: Te Deum Laudamus. Miráculis pluribus claruit, tum vita, tum morte, quæ accidit hac die. *G.* In Foſſis in Gallia revelatio Sacroſancti corporis S. Foillani, qui fuerat S. Furſæi germanus, & Epiſcopus in Hibernia, & in Gallia martyrio coronatus eſt: cujus revelatio facta eſt divinitus S. Ultano illius Germano, & S. Getrudi Nivellæ. *H.* Viennæ in Germania óbitus Ven. Joannis Recz Confeſſoris, qui é nobiliſſima Ducum Teccenſium ortus progenie, Eremiticum inſtitutum amplexus eſt, ubi nobilitâti doctri-

nam

nam, & ſanctimoniam conjungens, cum Provinciæ Bavaricæ Provincialem ageret, religioſo, & exemplari exitu, é medio ſublatus eſt. *I.* In Appulia tranſitus Ven. Gabriclis de Garafolis Spoletani, nobili genere exorti, qui monachali ſub inſtituto poſitus, zelo orthodoxæ fidei hæreticos acriter inſectatus eſt ſuis conciombus. Orationi intentus, Congregationem Canonicorum S. Spiritus inſtituit, ad ſuoſque Eremitas reverſus, creatus eſt Epiſcopus Lucerinus in Appulia, ubi boni Paſtoris partes adimplens, laboribus, ac vigiliis exhauſtus, Spoleti, ubi patria ſua erat, hac die ſumma cum pietâte óbiit. *L.* Toloſæ in Gallia tranſitus Ven. Joannis Puteani Confeſſoris, & egregii Doctoris, omnium virtutum génere exornati, quas Deus prodigiis teſtari voluit; nam plures variis morbis afflicti, & incerto vitæ diſcrimine conſtituti, vel ſolo illius aſpectu recreati ſunt, vel brevi ejuſdem oratióne, & priſtinam ſanitátem, & animi quietem recuperarunt. Tandem méritis plenus, & morti proximus & fluxus ſanguinis morbo correptus, illa repetens verba: quemadmodum deſiderat cervus, &c. Et quid mihi eſt in cælo, anímam ex hac terrarum caligine ad lucem cæli immarceſſibilem hac die exhalâvit. *M.* In Indiis Philippinis in oppido Mariveles juxta Manilam memoria trium Diſcalceatorum, ſcilicet Ven. Michaelis á Sancta Maria, ſeu Gombau, Petri á S. Jo epho, & Franciſci á S. Mónica, qui omnes á barbaris ſaxis crudeliter in odium fidei, quam prædicabant, contuſi, in cælum fel citer evolarunt. *N.* In monaſterio Recollectarum oppidi de Bocairente in Haſpania memoria Ven. Feliciæ Zarquelæ ibidem monialis, quæ, dum vixit, ſingulari floruit humilitâte: non minor fuit ſua charitas, egenos enim largis ſublevabat eleemoſynis; multóties famem, & nuditâtem patiebátur, ut illos cibaret, & indueret. Liquefiebat amóre Virginis doloroſæ; erga animas Purgatorii mirábili fulſit devotióne, choro ſemper prima, & aſſidua fuit. Cultus divini zelo ardebat, & ſic ad illum augendum prodigalitâte dabat. Puritâtem perpetuo ſervavit, & ad illius conſervatiónem ſilentió raro utebátur, & ciliciis, & diſciplinis ſua membra macerabat. Tot méritis cumulâta, ſanctis præmunita ſacramentis, ad Sponſum cæleſtem, quem unice dilexit, evolavit.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM SEXTUM JANUARII.

A. S. Honorâtus Arelate natus eſt. ex gentilibus parêtibus, qui tamẽ gloria fulgebant ſenatoria; quibus invitis baptiſmi gratiam ſuſcepit, & cognoſcens mundi fallacias, ſæpe enim ſecum dicebat: mundi vita, dum juvat, fallit: diviſo inter pauperes, ampliſſimo patrimonio, exiens é paterna domo cum ſuo fratre maiori Venantio per ipſum converſo, ad D. Capraſium monachum perrexit, ſub cujus diſciplina valde in virtutibus profecit: á quo veniam adeptus, cum Venantio fratre in Orientem profectus eſt; cum autem duo Achaiam perveniſſent, ibi Venantius ſanctiſſime é vivis deceſſit, de quo die 30. Maij; mox Honoratus in Tuſciæ limites ſeceſſit, ubi cum monachis Auguſtinianis ibi degentibus aliquandiú vixit: hinc ad Lirinenſem inſulam ſeceſſit cum multis ſociis, ubi fundato cœnobio ſanctiſſimé vixit; obquæ creâtus eſt Archiepiſcopus Arelatenſis poſt Patrocli óbitum, temporibus Theodoſi-Junioris & Valentiani Tertii, ubi præclari præſulis partes explévit; donec ab ipſo Domino ante menſem de morte admonitus, felici exitu ad ſúperos volavit die 16. Januarij anno autem incerto, N. enim Herrera ait fuiſſe circa annum 426, & ita aſſerit N. Torelli in Centur. 1. cap. 15. fol. 52, N. Jacob Font in Viridario hac die ait fuiſſe 441: N. Ludaic. ab Angelis, & Arpe hac die fol. 30. & in Pantheo Elogio 7. fol. 24. dicunt óbiiſſe anno 445; quia anno 426. electus eſt Arelatenſis Præſul, & anno 445. in cælum abiit. Præter citatos agunt de S. Honorato NN. Marques fol. 165, Torelli in Sæculis tom. 1. ann. 441. Joſephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 324; Portillo hac die in tomo 1. SS. Ord. fol. 133.

Monaſterium Lirinenſe noſtri Ordinis fuiſſe acriter tuentur Herrera, Cruſen.

ſen, & Marques cap. 15. cum Torelli ubi ſupra, quia tunc in latina Eccleſia duntaxat regula Auguſtiniana erat, tum quia monachi Jurenſes, qui regulâ mutuati ſûnt á Lirinenſibus, inſtituti fuerant Auguſtiani, ut late probat Henricus de Noriz; in Vindiciis Auguſt. lib. 2. c. 3. tum quia S. Honoratus ante regulam S. Benedicti Lirinum habitavit, uti fatetur Yepes Benedictinus lib. 4. c. *18*. Unde Baronius rite arguit Trithemium, quod S. Cæſarium, alioſque Lirini alumnos ſuæ ducat Religioni. Cum multo poſt per S. Maurum S. Benidicti regula Gallias ſalutáverit. Ob hæc Dominicus Gravina lib. 2. cap. 12. fol. 317, & Beyerlinch in Theatro tom. *6*. fol. 1068. lit. R. dicunt cum aliis S. Honoratum noſtræ Religioni pertinêre.

B. S. Jacobus in Aſſiria natus, militiam ſequutus eſt, ſed á cælo inſpiratus baptiſmum ſuſcepit; & ad S. Honoratum profectus, ſub illius diſciplina Lirinium incoluit: ubi rara degens ſanctitâte, ab ipſo S. Honorato, jam Arelatenſi Præſule, creâtus eſt Epiſcopus Tarentaſienſis in Gallia Narbonenſi, ubi ſuis concionibus plures ad fidem convertit; dónec prodigiis clárus in cælum migravit hac die, anno 464. Agunt de illo N. Jacob Font in Viridario fol. 251, & Bollandus in Actis SS. Quod autem inter noſtros debéat numerari, patet, quia omnes illum in Lirini cænobio aſſerunt S. Honorati fuiſſe diſcipulum.

C. S. Fauſtus Africanus, ibi monachatû coluit, & poſt obegregias virtutes factus eſt Epiſcopus Rhegienſis anno 466, fuit ſocius S. Fulgentii Epiſcopi: & óbiit ſancte: annus ignorátur; ſcitur tamen circa annum 484. B. Fulgentium ad monachatû ſuſcepiſſe. Unde Vicus in hiſtor. Sardiniæ p. 3. c. 31. fol. 151. S. Fauſtum inter monachos computavit, & fol. 155. S. Fulgentium regulam Auguſtinianam, & monachatum profeſſum fuiſſe aſſevêrat. Ita aſſerunt ex NN. Herrer. tom. 1. Alphab. fol. 221; Torelli in Centur. 1. cap. 48. fol. 81. Alii tamen aſſerunt illum Lirini monachum fuiſſe, erat enim natione Gallus, & inde ereptum fuiſſe ad Epiſcopatum Rhegienſem, & ſancte óbiiſſe hac die, anno 490: & ita aſſerunt NN. Arpe tom. 1. SS. fol. 102, Critana in Epitome hiſtor. Jacob Font in Viridario hac die fol. 256. Ex exteris Baron. in Appendice ad tom. *6*. circa ann. 490, Sauſſai in ſupplement. ad Martyrolog. Gallic. Petrus de Natalib. lib. 2. c. 91, & Vincentius Baralius in Chronologia SS. Lirini impreſſa ann. *1613*. Unde licet S. Fauſtus vel Africæ, vel Lirini monachiſmum ſit amplexus, ſemper ad Auguſtinianam familiam pertinêre dicendus eſt.

D. S. Fulgentius Severiani Ducis Carthaginenſis in Hiſpania natus, fuit frater S. Leandri. In monaſterio Hiſpali monachus factus, raris inter monachos claruit virtutibus, & doctrina, obquæ Epiſcopus Carthaginenſis ſacrátus eſt; unde multa, imó & exilium perpeſſus ob hærecticorum confutationem, zelo fidei accenſus in cælum abiit hac die ann. *622*, corpus ejus in Sede Carthaginenſi tumulatum eſt, & poſt 34. annos cum corporibus Fratrum ſuorum ad Hiſpalim translatum eſt. Eum fuiſſe noſtri Ordinis aſſerunt NN. Torelli in Sæculis tom. 2. ann. 600. num. 21. fol. 529, & Jacob. Jorda tom. 2. hiſtor. Valentiæ iib. 3. cap. *19*. fol. 86.

E. S. Furſæus in Hibernia natus ex regio ſanguine, ibi monachiſmum ſuſcepit, & poſt varias peregrinationes, multis clarus prodigiis, in cælum beandus volavit die *16*. Januarii anno vel 605, ut ait Torelli, vel 654, ut dicunt Arpe fol. 32, & Jacob. Font hac die fol. 269. De S. Furſæo agunt innumeri AA.: cujus tamen fuerit inſtituti, ignoratur; lis enim eſt magna inter noſtrates, & Caſſinenſes. Trithemius ácriter illum inter ſuos numerat, illum autem Auguſtinianis ſpectare præter citatos aſſerunt ex NN. Ambroſ. Staibanus in Templo Eremitico fol. 309, Herrer. tom. 1. Alphabeti fol. 222. Arpe ubi ſupra; & in Pantheo Elogio 26. fol. 77, ubi aſſerit obiiſſe in cænobio Latiniaco ann. 653. Elſſius in Encom. Portillo hac die tomo 1. SS. fol. 142. Ex exteris. Pantilus, & Beyerlinck in Theatro fol. 191. lit. R. tom. 6, qui aſſerunt noſtræ Religioni pertinêre. Suum jus oſtendant Caſſinenſes, qui omnes ſibi ſanctos irrogâre contendunt.

F. S. Henricus Eremita ortum habuit ex Danorum Rege: in nocte nuptiarum á Domino admónitus, ad monaſterium Torremuræ, fundatum á S. Benedicto Biſcopio S. Patritii diſcipulo, perrexit, ubi rara ſanctitâte degens, inde profectus eſt ad inſulam Cochet, qua eremitorio fundato, angelicam vitam proſecûtus eſt. Claruit prophetia, & cordium ſecreta penetravit. Obiit tandem ſancte hac die

die anno 1120. Post mortem innumeris claruit miráculis. Eum fuisse nostri Ordinis probant NN. B. Joannes Capgrav. in hist. Ecclesiast. Angliæ fol. 252; Torelli in Sæculis tom. 3. ann. 1120, Jacob Font hac die fol. 273, & alij.

G. De Revelatione S. Foillani Episcopi, & martyris agit Saussai hac die in Martyrologio Gallico; unde videri potest.

H. Ven. Joannes Recz Viennæ in Germania ortum habuit exprogenie Ducis Teccensis, qui religionem illustrans sanguine, doctrina; & virtutibus, Bavaricæ Provinciæ prælatúram exercens, senio confectus, religiose, & exemplariter occubuit ann. 1401, sepultusque fuit cum famosis viris Ven. Thoma de Argentina, & B. Gregorio Ariminensi, ut testatur Epigramma adductum in principio operum Argentinatis. Agit de illo N. Torelli tom. 6. fol. 368. ann. 1401.

I. Ven. Gabriel de Garafolis nobilis Spoletanus, magno in Religione floruit splendore, qui tamen anno 1423. cum aliis nostri Ordinis sociis Venetiis Ordinem S. Spiritus inchoavit. Attamen anno 1426. ad suos reversus, ann. 1429. creatur Episcopus Lucerinus in Appulia, ubi sanctis operibus illustratus, hac die pie óbiit anno 1430, sepultusque est in choro Ecclesiæ S. Nicolai Spoleti in Sepulcro marmoreo, cum célebri Elógio adducto á N. Herrer. tom. 1. fol. 296. Præter Herrer. agunt de illo Crusen. p. 3. c. 23, Bergom. l. 24. in Supplemento, Elssius, in Encomiastico lit. G. Mayay. Ordine 10; Jorda in Excellentlis Ordinis lib. 3. fol. 362. c. 11, Ludov. ab Ang. Pamphil. Ordine 24, & alii.

L. Ven. Joannes Puteanus Gallus, Doctor insignis ob doctrinam, & egregias virtutes; óbiit Tolosæ hac die anno 1623, pronuntians illa verba: Deus in adjutorium meum intende &c. multis claruit prodigiis. Agunt de illo Herrera in Alphab. lit. S. tom. 1. fol. 489, Portillo hac die, tom. 1. SS. Ord. fol. 146. Josephus á D. Antonio in Flore SS tom. 1. fol. 315, Simplicianus á S. Martino late agit de illo in Chronico Gallico fol. 779, Elssius in Encom. lit. I; ejus vita laté adducitur in præliminio primi tomi suæ Theologiæ, ubi poterit videri.

M. Ven. Michael á S. Maria. Cyracusis in Hispania natus; hac die ann. 1591. noster factus est in cænobio patriæ sub trium votorum professione, & inter nostrates vixit usque ad ann. 1604, quo tempore ad Discalceatos transiit mutato cognomine Gombau in Sanctam Mariam, unde raro sanctitâtis vixit exemplo, se cilicio mácerans perenni, & abstinentia incredibili. In Philippinas missus est anno 1605, in Manilam appulit, & inde ad locum Mariveles octo leucas distantem perrexit, cum VV. Petro á S. Josepho, & Francisco á S. Mónica, qui ex Calceatis ibidem ad Discalceatos transiere, ubi omnes prædicationis vérbo plures ad fidem convertere; verum cum aliquando concionaretur, á barbaris captus, extra locum projectus cum sociis, lapidibus obrutis est, & illorum animæ, ut pié creditur, ad martyrii palmam volarunt. Agunt de N. Ven. Michaéle Herrera tom. 2. Alphab. fol. 66, Torelli in Centur. 6. c. 19. fol. 663; Andreas á S. Nicolao in histor. Discalc. Decad. 2. c. 6. fol. 422, Jacob Jorda tom. 3. hist. Aragon. lib. 2. c. 6. fol. 117, Ex exteris Vincentius Blasco tom. 2. histor. Aragoniæ lib. 4. c. 20. fol. 493.

N. Ven. Felicia Zarçuela Valentiæ orta est é parentibus nobilibus, habitu assumpto in cænobio Bocairentè, ibi professionem emisit die 15. Januar. an. 1641, ubi claris sanctitâtis indiciis, vixit, & obiit ann. 1675. Agit late de illa N. Jacob. Jorda tom. 2. histor. Valentiæ lib. 4. cap. 10. fol. 326.

SEX-

SEXTO DECIMO KALENDAS FEBRUARIJ.

XVII.

A. Romæ in monaſterio S. Andreæ memoria SS. monachorum Antonii, Méruli, & Joannis, de quibus S. Gregorius Papa fecit mentionem. *B.* In Anglia B. Gualteri Recluſi confeſſoris, viri obſervantiſſimi, qui táliter recludebátur, & hominum aſpectus abhorrebat, ut antonomaſtice Recluſus dicerétur, & ibi oratióne tempus conſumébat, & ſua in cælis ſolum erat converſatio. Pœnitentiis aſperrimis carnem domabat; & illum Angeli tanquam familiares quærentes conſolabantur; & tandem ſancte ad illórum conſortium tranſiit coronandus. *C.* Mediolani in cœnobio S. Marthæ felix tranſitus B. Archangelæ de Panigarola ibidem ſanctimonialis, ubi mirum eſt, quantum in virtútibus profecerit. Vix profeſſionem emiſit, ad ſacellum Crucifixi perrexit, & genuflexá dixit: Domine, tibi jam dudum meme tradideram, ſed hodie denuo tibi me tradidi. Tunc ſacroſancta Chriſti imagó reſpondit: Et ego me tibi trado A B. Virgíne fuit aliquando viſitâta. A Puero Jeſu fuit corona ſpinea ſupra caput donata, illi dicente, quod illam pati decéret; & ſic illi fuerunt communicati dolores paſſiónis Chriſti, adeo; ut aliquando é capite tot ſanguis manáret, ut velut tinctum eſſet adinſtar coronæ: aliquando id in pedibus, & in manibus id contingebat, & in latere, & in his partibus quinque fuit ſtigmatibus ſignata. Ab Angelo ſuo tutelari donata fuit cruce, ſibi adjiciente, in illa eſſe repræſentatas quatuor virtutes; in parte ſuperiori charitâtem, in brachio dextero obedientiam, in ſiniſtro patientiam, in pede humilitâtem: illique docuit intelligentiam oratiônis Dominicæ. Prophetia fuit inſignis. Leoni Decimo prædixit Papatum, Religionem Societ tis multo ante manifeſtavit futuram. Tandem innumeris méritis coruſcans, pronuntians illud ſponſæ: trahe me poſt te, hac die in pace quievit. *D.* In eodem monaſterio memoria B. Thadææ de Ferrara ibidem ſanctimonialis, & quondam Abbatiſſæ, quæ animam B. Archangelæ ab Angelis ſuaviſſimo concentu canentibus in cælum deferri conſpexit, & prius illam ad profeſſionem admiſerat. Summo in dulciſſimum nomen Jeſú arſit deſiderio, & B. Veronicæ de Binaſco chariſſima ſodalis fuit, & ejus interceſſione á morbo gravi convaluit. Multis tandem ditâta cæli chariſmatibus, in cælum migravit. *E.* Scalabi in Luſitania óbitus B. Martini confeſſoris, cujus vita angelica nituit puritâte, & in hujus teſtimónium ſic erat ipſis dæmonibus formidabilis, ut vix ante ipſum aliquis in Energumeno apparéret, ſtatim aufúgeret, quóties ſuper caput illius manus imponeret dicens: Deum, qui te genuit, dereliquiſti: & addebat, nihil in ſacris litteris fortius, & efficacius eſſe ad dæmonis conterendas vires, quam illa verba Pſalmi 67: exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus. Innumeris tamen méritis, & virtutibus exornátus, ſancte hac die in pace quiévit. *F.* Salmanticæ in Hiſpania óbitus Ven. Joannis Marqueſii, viri doctiſſimi, & docendo in Cáthedra, & in roſtris prædicando; ſic fuit Salmanticæ Lector Veſperarius, & Philippi Tertii prædicator Regius, & ſuæ Religionis contra de illa acciſiántes propugnator inconcuſſus, qui tandem, bona & pia ſenectute confectus, non ſine ſuorum mærôre, & jactúra, hac ipſa die, óbiit in pace. *G.* Tornaci óbitus Ven. Mathiæ Flamingy vitæ ſanctimónia célebris, ubi pie decedens tumulátus adeſt. *H.* Taurini in cœnobio S. Cároli depoſitio Ven. Bonaventuræ á S. Andrea Laici Diſcalceati, qui ad omnia Religionis officia promptiſſimi fuit animi; quotidie ad matutinum ſurgens, orationi longæ vacabat, & hoc cæleſti pábulo ſpiritum recreabat. Erga páuperes mirábilem charitâte ſe fecit. Adeo ſe ſui victorem fecit, ut nauſeam ſuperando naturalem, non dedignaretur plagas ægrotantium fœtidas oſculari.

Donec

donec ſenio, & virtútum manipulis cumulâtus, hac die é vivis exceſſit, relinquens ſui nominis claram opinionem. *I.* Mediolani in cænobio S. Marthæ memoria Ven. Benedictæ de Vimercato ibidem monialis, ubi floruit oratióne, humilitâte, abſtinentia & charitâte erga omnes; ſub cujus tempore, dum Abbatiſſæ munus exercêret, B. Archangelam ad hábitum ſuſcepit. Poſtquam autem cænobium ſuæ ſanctitâtis ódore á-dimpleret, tanquam Dei famula perfecta, ad cælos regnatura vocata eſt. *L.* In eodem mónaſterio memoria Ven. Chriſti ſponſæ Mónicæ, quæ fuit magnæ virtutis, & non minoris ſpiritus, fuit enim á cælo raris viſionibus ditâta, illa enim, dum B. Archangela profeſſionem emiſit in manibus B. Thadææ, vidit Jeſum Chriſtum ſibi B. Archangelam in Sponſam ſuſcipientem: ob hæc, & alia ex illo tempore Beatæ nomine nuncupatur. *M.* Eboræ in Luſitania, in cænobio Pueri Jeſú, óbitus Ven. Agnetis ab Aſſumptione Virginis, & Converſæ; ubi tanta vixit ſanctitâte; ut annos poſt aliquot cum aliis ſororibus Villaviçoſam ſit profecta ad cænobium S. Crucis inſtituendum, ubi virtutis raræ præbuit indicia; fuit enim mulier altiſſimæ contemplationis, in qua ſæpe in exſtaſim rapi viſa fuit; fuit etiam raræ humilitâtis, Charitâtis, & abſtinentiæ exemplar. Plures Angelorum experta eſt favores; in vita, & morte, in quorum ſodalitio hac die in cælum migravit. *N.* In cænobio Recollectarum Eybarenſi óbitus incomparabilis Sponſæ Chriſti Mariæ á Fide, de qua fertur, quod cum baptiſmum reciperet, & nomen, & cognomen Parochus illi imponere curaſſet, juſſa eſt, ut digito unam ex litris libri oppoſiti ſignaret, quam vellet: Infans ſepties litteram F. ſignavit, & ſic Maria a Fide vocata eſt. Poſt varios caſus hábitum in monaſterio Eybarenſi aſſumpſit, ubi egregiis cæpit clarére virtutibus; ob quæ á Domino plures eſt adepta favores; aliquando enim Chriſtum in cruce pendentem vidit, & dolorum ejus miſerta, vidit ipſum brachium dexterum é cruce elongantem, ipſam amplexari; quo favôre plus erga ſuum Sponſum amor ſuus excrevit. Patiendi cupidâ, á dæmone pluribus vicibus, & modis eſt vexâta. Aliquando in choro orans, ſenſit præacuto jaculo tranſverberari vi tali, ut vehementia ictus quaſi in parietem compulſa eſſet. Viſiónes cæleſtes ſæpe ſæpius promêruit, B. P. Auguſtini, & D. Joſephi. Tandem innumeris decorâta virtutibus, & meritis, & prophetico ſpiritu præclara, ad Sponſi cæleſtis nuptias celebrandas felici exitu hac die migravit. *O.* Villario in cænobio Ciſtertienſium monialium Translatio B. Julianæ Leodienſis Auguſtinianæ, quæ extra cænobium ſuum montis Cornelii defuncta, ibi fuit ſepulta, & poſtea inventum eſt ejus corpus, & translatum cum aliis BB. Ciſtertienſibus Arnulpho, Abundio, Godefrido, Bonifacio, Marchina, Maria, Helvino, Henrico, Guilelmo, tempore Almerici Abbatis.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM SEPTIMUM JANUARIJ.

A. S. Antonius, Merulus, & Joannes floruerunt in cænobio S. Andreæ Romæ, fundato á S. Gregorio Papa, quórum vitam, & exitum felicem ipſe B. Gregorius ſcripſit lib. 4. Dialog. cap. 47, & illam refert Bollandus hac die tom. 2. in Actis SS. Illos autem cum ſuis ſuæ Religioni irrogat Trithemius lib. 3. de viris illuſtribus. E contra vero, ut reor, melioribus, & verioribus niſi fundamentis Auguſtinianos aſſerunt fuiſſe NN. Ludovicus ab Angelis in Chronic. p. 2. lib. 1. cap. 2, Antonius á Purific. 2. p. Chron. & in Antidoto Auguſtin. c. 8, & 9. á fol. 100, Portillo in m. ſ. Leal Purific. 2. Exam. 12. §. 4, & 6. fol. 142. Villerin. in Solari tom. 1. lib. 2. cap. 2, Jorda tom. 1. hiſtor. Valent. lib. 1. à num. 1. fol. 60. Jacob. Font. in Viridario SS. hac die fol. 275, & Torelli in Sæculis Auguſt. tom. 2. fol. 562. ubi late probant cænobium S. Andreæ Romæ á D. Gregorio fundatum, Auguſtinianum potius, non Benedictinum, ſervaſſe inſtitutum. Et nos jam aliqualiter 10. hujus, dum de S. Agathóne, probavimus; & Deo dante probabimus 7. Martij, dum de S. Equitio, & 12. ejuſdem, dum de S. Gregorio Papa,

& 26. Maij, dum de S. Auguſtino. Interim videatur Baronius tom. 7. fol. 634, & tom. 6. ann. 494. num. 78. fol. 498. præter alia refert ſequentia.

Dolui, fateor, conſiderans veritâtis candorem non illuſtrari, ſed obſcurari ab his, qui nullum habentes delectum, quoſcumque reperérunt doctrina, vel ſanctitâte claros, vitæ monaſticæ alumnos, eoſdem ſub S. Benedicti regula conſtituunt profeſſores; cum tamen jam ante tempora S. Benedicti conſtet etiam in omnibus orientalis Eccleſiæ Provinciis viguiſſe diverſa genera Monachorum; ut quæ ſæpe ſuperius dicta ſunt, certiſſimam fidem faciunt. Plura taceo alibi explananda.

B. B. Gualterus Recluſus hac die refertur á NN. Portillo, in Anglia natus, ſæculari litteratura, & Theologica ſcientia peroptimé floruit inter Auguſtinianos, ubi ob ſolitariæ vitæ propoſitum, nomen promeruit Recluſi, ſic docendo, ſcribendo, ſancte vivendo circa ann. 1280. tempore Eduardi primi Regis, Ordinem, & Angliam illuſtravit. Inter manus noſtras extat illius imago depicta cum radiis beatificis, ubi aſſeritur, floruiſſe oratióne, abſtinentia, humilitâte. Agunt de illo NN. Cruſen; Herrer. in Alphab. tom. 1. fol. 279; Torelli Centur. 2. cap. 23. fol. 158; & in Sæcul. tom. 5. fol. 2. n. 4. Elſſ. in Encom. lit. G. Pamphil. Nativitas Monte 3. lit. G. n. 37. fol. 556, Portillo tom. 1. SS. fol. 168, Pitſæus lib. de Scriptor. Angliæ, & Richardus Lavinanus Carmelita, qui illius óperum fecit compendium. Obiit ergo. B. Gualterus ann. 1286, cujus meliora véterum ignavia ſepelivit ut multis ex noſtres me pudet accidiſſe.

C. B. Archangela de Panigarola Mediolani orta eſt: adhuc infantula cæli favores plures recépit; mónialis facta eſt in præclaro Mediolanenſi cænobio S. Marthæ anno 1483. die 27. Julii: anno tranſacto promiſit religionis tria vota. Mirum eſt, quantum in Religione profécerit. Magiſtram in tyrocinio habuit B. Thadæam de Ferrara, ſub qua jam Abbatiſſa profeſſa eſt. In Religione innúmeris favoribus á cælo acceptis ditâta eſt. Ter ſui cænobii Prioriſſæ munus exercuit laudabiliter. Tandem ſignis, & méritis coruſcans, & prophetiæ dono illuſtris, ſponſi amore ſui ardens, in cælum hac die anno 1525. migravit. De illa late agunt ex NN. Herrera tom. 1. fol. 19. Torelli in Centur. 4. cap. 62. fol. 451, & in Sæculis tom. 7. anno 1483. fol. 328. n. 4, & 5, & tom. 8. ann. 1525. fol. 95; ubi lato calamo B. Archangelæ vitam deſcripſit. Arpe in Diario SS. fol. 38; Jacob Jorda hac die fol. 278, Joſephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 61, Elſſius in Encom. lit. A. Ex exteris P. Mendo Societâtis in Calce tomi opinionum probabilium, P. Sachinus 2. p. hiſtor. Ordinis Societatis. Octavius Inviſiato, qui anno 1677. illius vitam prælo dedit, Cardinalis Frideric. Borrom. Joannes Petrus Creſcentius in Amphitheatro Romano 1. p. fol. 251, & in Præſidio Rom. lib. 2. fol. 39. column. 2, & alii, quos refert Torelli ubi ſupra.

D. B. Thadæa de Ferrara floruit in eodem cænobio cum B. Archangela, & cum B. Veronica de Binaſco. De illa agunt quotquot de his duabus agunt.

E. B. Martinus Sanctaranenſis rara ſanctitâte vixit in cænobio Scalabitano dæmonibus formidabilis, & ut talis ſancte óbiit hac die, in quo óbiit S. Antonius, qui ſatanæ fuit terror ingens, anno 1483. De illo agunt NN. D. Alexius de Menezes in Chronic. m. ſ. fol. 21, Anton. á Pnrificat. p. 2. Chronic. fol. 122. & 242, & in Chronolog. monaſtic. hac die fol. 26; Herrer. in Alphab. tom. 2. fol. 57, Torelli tom. 7. fol. 442. n. 14, & in Centur. 4. cap. 25. fol. 398; Portillo. hac die Joſephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 315. n. 8, Leal in m. ſ. fol. 80. in lib. lit. C. Ex exteris Agiol. Luſit. hac die fol. 168, Petrus Calvus Dominic. in Defenſione Juſtorum lib. 2. c. 12. fol. 66.

F. Ven. Joannes Marques. Conventus Matritenſis filius, eloquentiæ flumen, & fulmen, Regius Eccleſiaſtes, rerum fidei cenſor, veſpertinus apud Salmantic. ad miraculum doctus; Salmanticæ immaturo fato, magno litterarum damno, non ſine virtutum ſplendóre, raptus eſt die 17. Januar. ann. 1621. ætatis 56. de quo dici poterat. Abſtulit una dies ævi decus, ictaque luctu Conticuit Sacræ triſtis facundia Linguæ.

Agunt de illo Herrera tom. 1. Alphab. fol. 457: Cruſen. p. 3. c. 46, Nativit. Monte 3. n. 120. fol. 59.

G. Ven. Mathias Flamingi Tornaci óbiit ſanctitâte clarus hac die anno 1537. Agit de illo N. Elſſ. in Encom. lit. M.

H. Ven. Bonaventura á S. Andrea circa annum 1632. inter noſtros Diſcalceatos

tos Taurini professionem emisit die 5. Decembr: in religione in statu Laicali vixit rara sanctitâtis opinione. Cum autem ætatis esset 91, & 64. Religionis, raro cum exemplo Taurini in cænobio S. Caroli óbiit 17. Januar. ann. 1695. Agit de illo Fr. Joan. Bartholom. Lustro 20. fol. 1610. n. 30.

I. Ven. Benedicta de Vimercato floruit in Cænobio S. Marthæ Mediolanensi: dum esset Priorissa ejusdem monasterii, anno 1483. ad Religionem admisit B. Archangelam de Panigarola, & cum abstinentia, oratione, & charitâte erga infirmas emicuisset, ante professionem B. Archangelæ, ad cælos abiit. Agunt de illa Herrera in Alphab. tom. 1. fol. 98; Torelli tom. 8. anno 1483. fol. 328. n. 4; & & in Centur. 4. cap. 14. fol. 387, & de illa agunt omnes, qui de B. Archangela scripsere.

L. Ven. Monica ejusdem cænobii Monialis, ibidem vixit ut illibatus flos, suavem sanctitâtis odórem exhálans. De se præbuit raræ semper virtútis exemplum; pluribus cæli visionibus ditata fuit, & præsertim anno 1484. die, quo professionem emisit B. Archangela, nam vidit Christum eam sibi in Sponsam accepisse. Cum in terris hos meruisset favóres, quales nunc in cælis numerabit! Agunt de illa Herr. tom. 2. Alph. fol. 57. Torelli in Sæculis tom. 7. ann. 1483. n. 3. fol. 328, & in Centur. 4. cap. 17. fol. 390, & omnes, qui de B. Archangela vitam exarárunt.

M. Ven. Agnes ab Assumptione Eboræ in Lusitania nata, inopes, sed honestos, habuit parentes. In cænobio Pueri Jesu conversa fuit. Meruit ob suam piam conversationem sociâre Ven. Margaritam de Jesu, cum ad erectionem cænobii Villaviçosani profecta esset. Quæ cum ibi Ven. Agneti obtulisset professionem, & hábitum Monialium, hæc fortiter restitit, plus optans in loco húmili salvári, quam in alto periculum subire. Fuit comes, & sectatrix Ven. Margaritæ in pœnitentiis, & in exercitiis spiritualibus, & post mortem Ven. Margaritæ, illam pluries glorioſam aspexit. Obiit sancte Villaviçosæ hac die anno 1555. Agunt de illa NN. Ludovicus ab Angelis in Viridario Lusitano cap. 121. á fol. 369, Herrera tom. 1. Alphab. fol. 23, Torelli in Centur. 1. cap. 54. fol. 583, Elss. in Encom. lit. A. Anton. á Purific. in Chronol. monastica. fol. 169, Leal in m. s. hb. lit. C. fol. 131. Ex exteris Agiolog. Lusit. hac die fol. 170.

N. Ven. Maria á Fide Monialis in cænobio Eybarensi mirabili sanctitâte vixit, & óbiit 17. Januar. ann. 1635. ætatis 73, cujus óbitum præsignavit nova stella appárens á die Præsentationis B. Virginis usque ad diem 16. Januar. in Vespere, in quo óbiit Ven. Maria. De illa late agunt Portillo tom. 1. SS. hac die, fol. 156, Herrer. in Alphabeto tom. 2. fol. 756; Villerin. tom. 1. lib. 3. tract. 2. fol. 95, Josephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 224, & alii.

O. Translatio secunda B. Julianæ facta est anno 1599. die 17. Januarij; prima vero facta est 7. Aprilis, biduo elapso post ejus óbitum, anno 1258. De hac Translatione agunt Chrisostom. Henriq. in Menologio Cistertiens. 17. Januar. & Acta SS. die 5. April. tom. 1. folio 442. n. 20.

QUINTO DECIMO KALENDAS JANUARIJ

XVIII.

A. In Britania depositio S. Deicoli confessoris, qui Religioni Augustinianæ nomen dedit in cænobio Luxoviensi sub disciplina S. Columbani: cujus licentia in Eremum secedens, ibi rara sanctitâte vixit; & cum ibi sitim ob aquæ inopiam paterêtur; mox, alter ut Moyses, terram percussit, & fons saluberrimus ad baculi ictum manâvit. Post varias peregrinationes, cum innumeris virtútibus, & miráculis claruisset, óbiit sanctissime hac die. *B.* Aqui-

læ in cænobio S. Luciæ pretioſa mors B. Chriſtinæ de Aquila Virginis, quæ á téneris dans præclara futuræ ſanctitâtis indicia, á Chriſto ad regales nuptias invitâta, in eodem cænobio Monialis facta eſt, ubi fulſit pietâte in pauperes, humilitâte ad omnes, prophetiæ ſpiritu, cæleſtibus raptibus, & cælicolum apparitiónibus, devotione in B. Virginem, & pluribus miráculis. Donec diverſis afflicta morbis, & præcipue dentium, láterumque dolóribus, hac die migravit in Cælum. Mors illius á púeris Civitatis, & ſi loquellæ expertibus, cognita, & celebâta fuit: & poſt mortem innumeris claruit miráculis. *C.* Valentiæ in Hiſpania in cænobio Mónialium Præſentatiónis depoſitio Ven. Angelæ á Conceptione, ibidem Mónialis, quæ á téneris Deo fortiter famulári curávit; tunc enim illi B. Virgo appárens, raris locupletavit favoribus, illius animam cæleſtibus chariſmatibus plenam relinquens. In Religióne fuit obſervantiſſima, & omnibus ornâta virtútibus; in chori ingreſſu prima, ultima in egreſſu; in obedientia rara, in humilitâte mirábilis, in patientia talis, ut diceret, numquam ſe ſe viſuram opprobriis ſatiatam; in paupertâte tanta, ut ſolum ab aliis ſororibus derelicta indueret veſtimenta: in charitate erga omnes fuit ſingularis: ſilentio fuit ita clara, ut diceret, ſibi magnum eſſe tormentum etiam interrogantibus reſpondêre. Erga Chriſti paſſionem, B. Virginem, & S. P. Auguſtinum fuit devotiſſima cum ergo vitam inter pœnitentias, & jejunia incredilia tranſiſſet, cum in graviſſimum inciditet morbum, acceſſit ad eam Abbatiſſa, & dixit illi: Mater Angela: bene ſcit, cœnobium veſtra Reverentia indigêre, & ſic modo á nobis fato non decedat. Suſpenſa Abbatiſſæ verbis Angela dixit: ita erit; & ſtatim incolumi valetudine præditam ſe ſentiens, e lectulo, quo moritûra jacebat, ſurrexit, & adhuc ſana per quinquennium vixit tanta opinione, ut ab omnibus appellaretur ſancta. Quinquennio elapſo, ab eadem preſſa eſt ægritudine, & ſuſceptis rara devotióne Eccleſiæ Sacramentis, ad ſúperos evolavit hac die, & poſt mortem ita faciem induit pulcherrimam, ut, quæ ætatis nonaginta numerábat annos, ad plurimum ſe eſſe duodeviginti annorum oſtenderet. Magna cum pompa per omnes Valentiæ communitâtes illius celebratæ ſunt exequiæ. *D.* Matriti in cænobio Mónialium S. Eliſabethæ óbitus Ven. Andreæ á S. Mónicæ ibidem Mónialis, quæ á téneris pie educâta, in eodem cænobio vitæ ſe ſubdidit religioſæ; ubi rara animi ſimplicitate vixit taliter, ut nullam ex ſororibus nomine cognoſceret, & ſolum his illas verbis d ſignaret: hæc, vel illa. Maximo cum fervore mortificationes, abſtinentias, charitâtem erga Deum, & proximum ſervavit. Cum autem Deus illam nonnullis clarificâret ſignis, tot méritis claram, ad illibátum thalamum hac die vocavit. *E.* Genuæ in monaſterio S. Thomæ memoria Ven. Hélenæ de Nigris ibidem ſanctimonialis, quæ ádeo divinis laudibus proclivis erat, ut unica illi hæc eſſet conſolatio, huic ſeraphico perenniter vacâre exercitio: & dum aliis ob hoc indiſcreta videbatur, his reſpondebat, ſe quidem ægram agnoſcere, tamen labiis, & lingua cæleſtem Sponſum póterat collaudâre, quandoquidem ex ejus munere in his prorſus ſana eſſet. Cum ergo lethali morbo gravarétur, & confeſſarium péteret; cum hic celerius adeſſet, illam jam óbiiſſe illi nunciatum eſt. Acceſſit tamen confeſſarius, & eo ſtante, quæ tanquam mortua putabátur, ſurrexit, & cæpit loqui cum confeſſario, & tandem dixit, in Paradiſum proficiſci; & his dictis, inter confeſſarii, & ſororum manus animam felicem exhálavit.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM OCTAVUM JANUARII.

A. S. Deicolus Abbas S. Columbani diſcipulus in monaſterio Luxovienſi, egregiis virtutibus, & prodigus clarus die 18. Januar. circa annum 600. ſancte óbiit. Eum noſtræ Religioni ſpectâre aſſerunt NN. Petrus del Campo in Cathalogo SS. Ordinis Hiſpali impreſſo anno 1624. Mayavus in Patriarchatu Auguſtiniano, Torelli in Sæculis, Porrillo tomo 1. SS. fol. 180. hac die, Roman ibidem, Jacob. Font. in Viridar. SS. hac die fol. 295, Arpe tom. 1. SS. fol 43. Ex

exteris

exteris plures cum Bollando hac die in Actis SS. & veritas hujus manifesta est, quia cænobium Luxovienſe fundatum est anno 550, & translatum est ad Cassinenſes anno 662, ut referunt Torelli, & Gallia Christiana anno 590.

B. B. Christina de Aquila nata est anno 1480, á téneris divinarum rerum amore languebat: profanos cultus nimis ab horrebat, & si in formæ certamine palmam mererétur. Plures, & raras é Cælo, adhuc infantula, habuit visiones. Religionis avida, Augustinianam statuit amplecti ob visionem Christi, quem una, & altera vice tunica alba, & nigra indutum aspexit: his admonita hábitum Augustinianum in cænobio Mónialium S. Luciæ patriæ suæ susscépit, ubi mirabili sanctitâte vixit, & óbiit die 18. Januar. anno 1543, ætatis 63: post mortem pluribus claruit miráculis. Agunt de illa NN. Herrer. tom. 1. Alph. lit. C. fol. 143, Torelli in Centur. 4. cap. 45. fol. 486, Nævius, Simplicianus á S. Martino in Chron. Galliæ, rursus Torelli in Sæculis tom. 8. ann. 1543. fol. 267, ubi late illius vitam enarrat, Portillo, hac die, tom. 1. SS. fol. 180. ubi lato de illa cálamo conscripsit, Curtius in ejus vita, Arpe in Diario SS. hac die fol. 34. Jacob. Font in Viridario SS. hac die fol. 298, Elssius in Encom. lit. C. Josephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 79. Hi omnes magno prétio de B. Christina agunt, asserentes Aquilæ etiam post, decretum Urbani 8. magno cultu venerari. Solus de illo more solito erga nostratres dubitavit Bollandus, hac die; ideo de illa in prætermissis refert: ignoramus causam: forte, quia est Augustiniana; quod nomen illi, & sociis in pretio non est. Legatur Josephus á D. Antonio, ubi supra, apparebunt injustitiæ nobis factæ sine fundamento.

C. Ven. Angela á Conceptione Toleti nata est é nobilibus parentibus; hábitum Monialium induit in cænobio Requennæ; post aliquot annos cum Ven. Joanna Evangelista profecta est ad fundationem cænobii Valentini titulo Præsentationis, ubi vixit, & óbiit claris sanctitâtis indiciis die 18. Januar. anno 1681. Agunt de illa NN. Villerinus tom. 2. Solaris August. lib. 18. tract. 2. fol. 37, Jorda tom. 2. hist. Valent. lib. 4. c. 18. fol. 470.

D. Ven. Andreas á S. Mónica Monialis fuit in cænobio S. Elisabethæ Matritensi per 44. annos, per quos ibi vitam duxit, præbuit de se præclaræ sanctitâtis odórem, in cujus testimonium per illam Deus nonnulla prodigia pátravit. Tandem óbiit, & abiit in cælum hac die anno 1684, ut refert N. Alphonsus Villerinus tom. 1. Solaris August. lib. 2. tract. 6. §. 1. fol. 77.

E. Ven. Helena de Nigris Mónialis in Cænobio Genuensi S. Thomæ floruit sanctitâte, ut refert Fr. Antêrus Maria Discalceatus super Acta Apostol. c. 20. v. 9. fol. 388.

QUARTO DECIMO KALENDAS FEBRUARIJ.

XIX.

A. In Africa S. Fulgentii Episcopi Ruspensis doctrina, & sanctitâte præclarissimi, qui ab Arianis multa perpessus, confessor glorioſe occúbuit Kalendis Januarii, hac die tamen ejus festivitas in Ordine nostro celebrátur. *B.* In Franconia passio S. Ervvaldi mónachi, & martyris, discipuli S. Kiliani Episcopi, & martirys, qui pro Fidei defensione glorioſe occubit. *C.* In pago Dorcasino transitus S. Launomári confessoris, & fundatóris cænobii Corbionis sub eodem instituto, & regula, quæ Lirini, quibusdam additis, servabantur, ubi spiritu prophetiæ clarus denarios injuste per usuram acquisitos, & sibi óblatos ab aliis discrevit, & nóluit accipere; claudum sanavit, ignis impetum crucis signo oppoſito extinxit, & annosam, ingentemque quercum crucis virtûte in loco, quo voluit, monasterii, transposuit. Cúm ergó innumeris claréret miráculis, sanctitâte eximia fulgens,

hac die migrávit in Cælum. *D.* Ravennæ in monasterio Vivariénsi óbitus B. Aurelii Cassiodori, qui Theodorici, Italiæ principis, aulam pertæsus, mónachus factus, ibi eximia claruit doctrina, & plurima composuit, donec nonagenario maior, virtutibus clarus, ad cælestem ascendit patriam, doctorum Laureóla coronandus, de quo iterum decimo sexo Kalendas Aprilis. *E.* Neapoli in cænobio S. Mariæ Veritâtis transitus Ven. Basilii á Sanctissimo Sacramento Boemi Strezebechovienſis Discalceati, qui fuit vir ingenii mansuetissimi ita, ut comitâte sua vim, imperiumque in aliarum animos obtinéret. Humilis, observantissimusque fuit. Silentii, solitudinis, & orationis fuit amator. In Sueciam missus á Præsule Pragensi, ibi fidei documenta magno cum spiritu, & fructu disseminavit; erat enim in litteris sacris doctissimus; sed hujus ergo plures substulit labores. Cum esset autem Diffinitor, & Secretarius Generális, óbiit ibi magna apud omnes sanctitâtis opinióne; cui post mortem sculpta est imago elogio condigno. *F.* In cænobio Torbigensi prope Mediolanum depositio Ven. Amandi á S. Josepho Laici, qui inter Discalceatos vivens, omnibus erat charus ob optimam indolem, & raram sinceritatem: ob tantam affabilitatem ab omnibus erat amatus Amandus, & ingentem adeptus est famam ob prædicationes egregias, & in moralibus scientiam. Fuit rerum communitâtis zelosissimus, & de se raræ humilitâtis præbuit indicia. Missus fuit, ut observantiam in cænobium Tortonense noviter fundatum induceret. Cum cujusdam sacerdotis febre maligna oppressi confessionem audiret, ab ipsa correptus febre, lethaliter deficiens, lætabatur, quia ob fraternam obibat charitâtem, & sic rara pietâte decumbens, ad suæ charitâtis præmium capiendum migravit, sepultusque est ibidem ad latus Epistolæ in tumulo marmoreo. *G.* In cænobio S. Annæ in oppido S. Marthæi Valentiæ memoria Ven. Elisabethæ Michaelæ sanctimonialis, quæ in Religione in statu Laicali floruit humilitâte, patientia, & charitâte. In pœnitentia, jejuniis, & aliis mortificationibus fuit mirábilis. Humi cubans, vestibus utebatur pauperrimis, in vigiliis, & jejuniis, & oratione assiduitatem ostendebat. Ad mortem sacramentis munita unita, magna cum pace extremum pasla est deliquium. *H.* In oppido Morellæ, & in cænobio Sanctissimæ Trinitatis Valentiæ. Ven. Luciæ á S. Petro ibidem mónialis, quæ á Religionis ingressu in multis, & magnis claruit virtutibus, præcipue oratióne, & pœnitentia. Assidua erat in choro, ubi tamen servavit devotiónem, & modestiam, ut nec verbum quidem cum aliis proferre visa sit. Obiit tandem, & post mortem apparuit in eodem cænobio ante crucem rosarium récitans, & attonitæ de hoc sorores, de cælo acceperunt esse animam Ven. Luciæ in purgatorio stantis, & leves purgantis culpas; & si pro illa tria offerrentur sacrificia, statim é pœnis éruta in cælum volaret, quo facto, notum fuit in cœlum ascendisse. *I.* Salmanticæ in cænobio Conceptionis transitus Ven. Antoniæ de Jesu mónialis, quæ per arduum virtutis iter, quod, dum vixit, continuavit, viam ad cælum peregit, quo vocata est hac die, relinquens de se in terris non parvam opinionem. *L.* In cænobio S. Christi in oppido de la Calçada felix transitus Ven. Elisabethæ á Matre Dei Sanctimonialis, cujus vita prodigiis innumeris cláruit, quæ longissimum esset recensére; & méritis glorioſis exornâta, hac die, ad cœlestis Sponsi thalamum, ubi sibi erat locus præparatus, feliciter volavit.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM NONUM JANUARIJ.

A. S. Fulgentius Episcopus Ruspensis hac die in nostro Ordine celebrátur indultu Pii Quinti; dies tamen suí óbitus fuit Kalendis Januarii, ubi de illo necessaria retulimus.

B. S. Ervvaldus mónachus in Francónia discipulus fuit N. S. Kiliani Episcopi, & martyris de quo 8. Julii agendũ est, martyrio pro Christi fide coronatus est, ut testatur Bollandus in Actis SS. hac die in prætermissis, promittens de illo in vita S. Kiliani sermocinari.

C. S. Launomârus natûs est in Civitâte Carnutensi é parentibus Christianis. A' téneris

téneris armenta pascere refertur; sed, cognito illius ingenio, litteris operam dedit sub Cherimiro sacerdote, sub cujus ferula doctus evasit. Hinc clam é domo egressus, Eremum petiit, ubi, conjunctis sodalibus, cœnobium construxit sub regula Lirinensi, additis aliquibus, ubi degens rara sanctitâte, innúmeris prodigiis confirmata, in cœlum volavit hac die anno 650. Quod autem hîc Sanctus inter nostros sit numerandus, asserunt NN. Staibanus in Templo Eremitico fol. 264, Critana in Speculo historiæ fol. 43, Roman llb. 2. histor. S. P. Aug. c. 5, Torelli tom. 2. in Sæculis August. ann. 950. fol. 656, Portillo tom. 1. SS. fol. 199, Jacob. Font die 19. Januar. fol: 519. Ex exteris Baronius tom. 7. Annal. ann. 567. n. 22, Vincent. Velvavac. lib. 21. c. 83, & 84, Petrus de Natal. lib. 2. c. 104; Bolland. hac die, Yepes Centuria 1. ann. 567, ubi asserit suæ Religioni suo de more spectare, sed fallitur, quia in cœnobio S. Launomari, sicut in Lirinensi, non est ingressus Ord. Cassinensis, nisi anno 664: cum ergo hîc S. obierit anno 650, illius óbitus ingressum Cassinensium præcessit.

D. B. Aurelius Cassiodorus á nonnullis hac die refertur, attamen de illo agendum est die 17. Martii. Interim tamen dícere oportet, quod sine fundamento inter Cassinenses numerêtur, quia præcessit ævo S. Benedictum, & sic inter suos numerári non potest, ut nobiscum tenet Baronius, historiarum helluo, qui tom. 6. ann. 494. n. 77. fol. 498 ait: Perperam meæ sententiæ illi faciunt, qui ei, quos non genuit, alienos partus supponunt: qui, inquam, nimio ejus ordinis, subquo profitentur, amore, nonnullos famæ illustris viros, qui etiam ante sancti Benedicti tempora floruerunt, ejusdem fuisse regulæ professores imprudenter, & inconsulte nimis affirmant. Præstitit hoc inter alios Trithemius, authorque cæteris posterioribus fuit, idipsum faciendi. Quid, rogo, cum S. Benedicto S. Cæsarius, Arelatensis Episcopus, qui antequam nasceretur ille, erat Antistes, ut superius demonstratum est! Quid ad eum pertinet Faustus Regiensis Episcopus, qui eodem cum S. Cæsario vixit tempore! Quid insuper ad S. Benedictum Eugippus Abbas, qui antequam ipse S. Benedictus súmeret monasticum hábitum, jam S. Severini discipulus, & mónachus erat? Sed quid insuper Cassiodorum pro animi arbitrio sub ejusdem S. Benedicti regulis mónachum referunt? &c. Hæc, & alia Baronius, qui tamen de nostro tractans Ordine tom. 4. ann. 592. ait. Ex hac quidem Augustini plantatione accepti palmites, longe, lateque diffusi, tum in Africa, tum etiam in aliis plerisque Ecclesiis Occidentis fructu uberrimo locupletarunt Ecclesiam, &c.

E. Ven. Basilius á Sanctissimo Sacramento Boémus in Germania, hábitum Discalceatorum induit anno 1629. die 1. Junii, & professionem emisit 12. ejusdem ann. 1630, & in Religione vixit raro cum exemplo sanctitátis: óbiit Neapoli in cœnobio S. Mariæ Veritátis die 19. Januar. ann. 1662. Agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 15. fol. 448, n. 4. Ejus imago depicta reperîtur in aula Cœnobii Eborensis Discalceatorum hoc cum elógio. Ven. P. Basilius á Sanctissimo Sacramento Boémus, mansuetissimi vir ingenii, & qui comitâte sua vim, imperiumque in ánimos obtinéret: viri virtus, ac mores ad probitatis leges compositi reverentiam pariter, & amorem apud omnes homini conciliabant. Tandem pie óbiit Neapoli die 19. Januarii anno 1662.

F. Ven. Amandus á S. Josepho natus est in loco Gallorate prope Mediólanum anno 1629. die 12. April. ex parentibus Julio Cæsare Alciato, & Susanna, baptismum suscepit in Ecclesia maiori 14. Aprilis. Cum 15. annorum esset, hábitum Discalceatorum suscepit in cœnobio Torbigensi die 21. Decemb. anno 1645, & ob infirmitátem professionem distulit usque ad 7. Januar. anno 1647. Post annos missus est ad cœnobium Tórtonense noviter fundatum, ut ibi observantiam fovêret; erat enim observantissimus, & nimiæ charitâtis, obquam morbum lethalem contraxit, quo tandem lætus óbiit, & pie abiit hac die anno 1685, sepultusque est in eodem cœnobio ad latus Epistolæ in tumulo marmoreo. Agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 18. fol. 545. n. 167.

G. Ven. Elisabetha Michaela nata est in oppido Benicarlo Valentiæ ex Michaele Joanne, & Catharina Michaela; Laicalem induit hábitum in cœnobio Monialium S. Mathæi, & tribus se vótis obstrinxit die 19. Januar. ann. 1596: & in Religione raro vixit sanctitátis exemplo, & sancte

ſancte óbiit anno 1651. Agit de illa. N. Jorda tom. 2. Hiſtor. Valentiæ lib. 4. cap. 13. fol. 434. n. 13.

H. Ven. Lucia á S. Petro ad lucem prodiit juxta oppidum Morelli regni Valentiæ; parentes habuit D. Antonium Petrum, & D. Joannam Alva, hábitum ſuſcepit in cænobio Mónialium Sanctiſſimæ Trinitatis, & ibi tria vota Religiónis promiſit die 19. Jannarii anno 1619, & ſtatim de ſe dedit clara ſanctitâtis indicia, & hæc uſque ad óbitum continuans, ſancte é vivis exceſſit, menſe Aprili anno 1630; poſt mortem apparuit, dans ſigna in Purgatorio pro levibus culpis detinéri, & pro illa tribus ſacrificiis celebrátis in cælum abiit coronanda. Refert N. Jorda tom. 2. Hiſtor. Valentiæ lib. 4. cap. 14. fol. 447.

I. Ven. Antonia de Jeſú nata eſt Luſitaniæ é parentibus ſanguine cláris, & puris, ſed in Salmanticam profecti cum domo tota nobiles conjugati, ſcilicet Petrus Bernedo, & Maria á Sylua, ibi ſedem poſuere ſuam, & natam Monialibus cænobii Salmanticenſis titulo Conceptionis tradiderunt, ut inter ilias ſanctimonialis fieret; quod factum eſt, & profeſſionem emiſit Ven. Antonia, ubi talis vitæ exemplo vixit, ut digna reperirêtur ad erigendam fundatiónem cænobii Monialium in oppido de Vitigudinho: unde, effectu feliciter conſecuto, ad Salmanticenſe reverſa eſt cænobium, ubi felici fato, & evidenti prædeſtinatiónis ſigno ſupremum diem clauſit 19. Januar. anno 1660. Agit de illa N. Alphonſus Villerin. tom. 2. ſui Solaris lib. 17. tract. 3. fol. 8.

L. Ven. Eliſabetha á Matre Dei ortum habuit in oppido Naval-Cano Diæceſis Abulenſis: parentes hábuit Franciſcum Garcia de Zepéda, & Catharinam Ximenes, ex nobili genere prognatos; his autem defunctis, Eliſabethá quindecim annorum relicta, ſed ditiſſima, nuptiis abjectis quamplurimis, Sponſum cæleſtem ſolum in Religione appetiit, & illum quæſivit in cænobio Monialium de Arenas; & quamvis tantis divitiis abúndaret, inter converſas maluit numerári ob humilitatem, præbens tam grande futuris virtútibus fundamentum, ſequens documenta S.P.Aug. ſerm. 10. de Verb. Dom. De fundaméto prius cogita humilitátis. Taliter in ſemita ſe ſe exhibuit virtútis, ut mónitu Dei facta ſit Prioriſſa cænobii Serradilhæ noviter erecti, ubi undecim per annos id munus adimplevit. Claruit prophetiæ ſpiritu, paupertáte &c. Multos ad meliorem vitæ ſtatum reduxit. Graves incredibili patientia ſubſtulit infirmitâtes, & a dæmonibus plura perpeſſa eſt. Dominum aſpexit infirmum, & vulneratum in lecto jacentem, & illi dicentem. Aſpice, filia, quómodo ob hominum peccata ſum plagatus; eſto mihi infirmaria ut meis plagis medeâre. Mirábiles habuit viſiones: ſuis precibus plures é Purgatorio ánimas liberavit. Plura per illam Deus operátus eſt prodigia. Tandem, cum ſuæ mortis rara præcéderent ſigna, magna ſanctitatâte coruſcans, die 19. Januar. anno 1687. felici exitu ad Sponſum migrávit: é cujus corpore ádeo ſuavis odor manavit ad cunctos, ut adhuc in cubiculo, ubi obierat, perſevéret: & poſt tres annos illius corpus incorruptum, & odoriferum repertum eſt. Poſt mortem de illa aliqua narrantur prodigia. Agunt de illa NN. Villerin. tom. 2. Solaris Auguſt. lib. 29. tract. 2. fol. 337. Joſephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 252; & P. Alvarus de la Cueva Confeſſarius Ven. Eliſabethæ in ſermone in illius exequiis facto.

TERTIO DECIMO KALENDAS FEBRUARIJ.

XX.

A. Apud Cordubam martyrium ſanctorum duorum monachorum Servadii Cordubenſis, & Gumecindi, qui ſe ſe barbarico Maurorum Regi Abderagmo præſentantes, illius barbaram tyrannidem contra fideles arguêre; quibus incitatus barbarus, illorum ſtatim juſſit cápita amputari; quod martyrium ſancti martyres ſumma paſſi ſunt lætitia hac die, & illorum corpora á Chriſtianis in Eccleſia

cleſia S. Chriſtophori trans flumen Bethicum in Guadalquibir tumulata ſunt. *B.* In Hibernia óbitus S. Fechini Abbatis, & confeſſoris, cujus natalem ante triginta annos futurum manifeſtavit S. Columbanus. Dum in Lucem edendus erat Fechinus, domus ejus eſt magno ſplendôre circumfuſa, & ſic á téneris cæpit miráculis coruſcâre; nam cum terra aquis caréret, cadens in terram, & manibus illam attingens, fontem delicioſum elicuit, qui uſque modo fons S. Fechini appellâtur. E patria egrediens, duce Angelo, in locum venit, ubi ſtructo monaſterio trecentos fere ſocios adjunxit, quos ſcientias, & virtútes edocuit. A Cælo abundantiam panis, & aliorum comeſtibilium accépit, ut hoſpites paſceret. Ab eodem Angelo in alteram ductus fuit inſulam, ubi ædificato monaſterio, ſummo cum fructu barbaris Evangelium prædicâvit; quo dæmónes incitâti cænobium, & omnia ejus utenſilia in mare demerſere; ſed á Deo mirábiliter in littus omnia ſunt aſportata. Duos mónachos fame peremptos ad vitam revocavit. Solem, dum ad cænobium iter fáceret, ſtare fecit. Tandem innumeris clárus miráculis, hac die ad paradiſi gloriam vocâtus eſt. *C.* In Scotia memoria S. Eoglodii Hiberni, diſcipuli S. Columbani, cujus adjutor fuit in converſióne Pictorum; ejuſque in Scotia hac die feſtum célebrâtur. D. apud Lirinenſe monaſterium Translatio S. Honorati Arelatenſis Præſulis, qui poſt óbitum ſepultus eſt in cæmiterio Campi Eliſii, ſive Aliſcamps, unde delatus eſt ad prædictum monaſterium, & in itinere agroto præbuit ſoſpitâtem; & cum reliquo ipſius corpori alterá pars avulſa jungeretur, quæ Lirini ſervabátur, ſtatim aliis unita eſt partibus ſine diviſiónis ſigno. *E.* In cænobio Malhorquino de Succurſu memória Ven. Alipii Ventell. Laici, qui in Religióne floruit humilitâte, obedientia, abſtinentia, & charitâte erga pauperes, quos ſua portione recreabat. Carnem ſuam ciliciis, diſciplinis, oratióne, & brevi ſomno, tanquam ſui hoſtis, macerâbat. Præter hæc Deus illum purgare voluit laborioſa ægritudine, quam per quinquennium incredibili patientia tolerâvit; & inter has pœnas mortalitâtem exuens, ſumma cum animi pace ad ſuperos pié créditur evolaſſe. *F.* Valliſoleti in cænobio Incarnatiónis felix tranſitus Ven. Antoniæ á S. Joſepho, ibidem Mónialis, magnæ virtútis fœminæ, quæ poſtquam ad reformatiónem cænobii S. Rochi perrexiſſet, ad ſuum reverſa, ibi magna cum opinióne ſanctitátis ſupremum diem clauſit. *G.* Hac die memoria illíus célebris apparitionis S. P. N. Auguſtini factæ N. B. Jordano de Saxonia, qui, cum in ſpiritu eſſet in Eccleſia alterius órdinis cúm multis Fratribus, ubi erat ſepulchrum elevatum unius. S. Epiſcopi, non autem decenter ornatum, ecce vidit imaginem Epiſcopi elevari, & rejiciens indignanter Epiſcopus ſcorias juxta tumulum poſitas, pontificaliter indútus, proceſſit ad altare, & invitans ad ſe Fratres, cantare cæpit: Venite Filii, audite me, timórem Domini docebo vos: quo expleto ſedit, & Fratres ſedére fecit, & tunc dulciter eos, ut Pater filios, exhortatus eſt; & habens in manu vas mundum cum potu mundo, & dulci, bibens prius ipſe, poſtea per Ordinem, Fratribus propinâvit, dulciter cóncinens, illud Eccleſiaſt. 15: Aqua ſapientiæ potâvit eos. Poſtquam omnes hauſtum guſtavére, Fratres S. Epiſcopus benedixit, & ad ſepulcrum redíre cæpit, ſed cum videret Fratres de ſuo receſſu valde dolentes, ipſos ipſe conſólans paterne, dixit eis: nólite flere, filii: ecce enim vobiſcum ero uſque ad conſummationem ſæculi. Huic viſioni interfuit B. Jordanus, & credidit ex illa aliquod bonum Religióni noſtræ præſagiri, quod certe accidit, nam eodem die á Pontifice Joanne 22. anno undecimo ſui Pontificatus conceſſum eſt noſtris Fratribus; ut ædificato cænobio juxta Eccleſiam S. Petri in Cælo aureo, poſſent uníri corporii S. P. N. Auguſtini ibi tumulato, & ex tunc noſtri Fratres clamáre póterant: En ſepulchrum ejus apud nos eſt. *H.* In cænobio Angolenſi Minæ memoria illius célebris Fratris Petri á Gratia Luſitani Tavilenſis, qui, cum ibidem Prior eſſet, ad fidem convertit tres Reges, ſcilicét Affutenſem cum filiis, Philippo, Antonio, Ludovico, Petro, Sebaſtiano, Catharina, Suzanna, & Comenenſem cum filiis, ſcilicet, Alphonſo, Nunio, Sebaſtiano, Auguſtino, Eduardo, Antonio, & Abramuſenſem, cum magna barbarorum multitudine, qui omnes ſacro baptiſmate lavâti, hac die primitus in ſacrario expoſitam ſinaxim venerunt tres Reges, & magna multitudo adoráre, præſtantes ante ipſam ſceptra, & diademata. *I.* In cænobio de Ampurias in Cathalaunía depoſitio Ven. Franciſci Planes Fratris Laici, viri raræ ſimplicitâtis, obedientiæ, patientiæ, oratiónis continuæ, in qua ádeo in flammabatur, ut facies ejus ſplendida apparêret. Erga Deíparam fuit

devotiſſimus,

devotissimus, & secum semper imaginem ejus titulo Dolorum deportabat. Nimia claruit humilitâte. Somnum capiebat inter arcam paleis & vilibus fragmentis stratam. Tanta claruit modestia, ut multos suo exemplo ad meliorem vitam redúceret. Quo advixit, S. Nicolaum de Tolentimo imitári procurâvit. Tantis méritis cumulátus, hac die, sancto fine quievit, & maximo cum honóre sepultus est. *L.* Hac ipsa die óbitus Ven. Annæ de Jesu Mónialis Ursulinæ de Chaumont in Gallia, ipsius cœnobij fundatricis, &c. Vid. 1. Nov. lit. L. num. 10.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM JANUARIJ.

A. Sancti Servadius, & Gumecindus Mónachi Cordubenses fuerant, & sub Abderagmo Maurorum tyranno pro fide Christi, quam constanter prædicabant, decollati sunt hac die anno 852. De illis cum multis agit N. Jacob Font in Viridario Sanctorum n. Ord. fol. 328. Quod autem Augustiniani fuerint instituti, patet, quia tunc nondum Carmelitana Religio Hispanias ingressa erat, ut affirmat P. Lezana tom. 4. anno 1229; nec S. Benedicti ordó, quem usque ad annum 910. éadem Hispania ignoravit, & idipsum certum est de S. Basilii Religione: cum ergo nec his, nec aliis Religionibus pertinéant, dicendum est, nostræ duntaxat spectâre, ut pote quæ jam satis per Hispaniam dispersa erat, primó per S. Paulinum; ut ait Liberátus Gerundensis Benedictinus, Abbas Pamplonæ in Chronic. anno 403. sic: S. Paulinus, qui post fit Nolanus Episcopus, Mónachus Eremita, & discipulus. S. Augustini, ab eodem P. mittitur ex Africa ad Hispaniam, ut in ea introducat suum mónachatum; Barchinóne, Gerundæ, Tarracóne, Illerdæ, Bilbili, Cæsaraugustæ, Calagurri, Emeritæ, & in aliis Hispaniarum Urbibus monasteria Augustiniana erexit &c. Secundo per S. Donatum Africanum, ut asserit S. Ildephonsus in Cathalogo Virorum illustrium, dum de S. Donato, & S. Maximus Episcopus, qui anno Christi 574. ait: S. Donatus régulam Eremitarum S. Augustini locupletiorem, mitioremque in Hispaniam invexit, & in agro Servitano monasterium construxit &c. Tertio, quia Barónius tom. 4. Annalium ann. 391: ait: Ex hac Augustini plantatióne accepti palmites longe, lateque diffusi, tum in Africa, tum etiam in aliis plerisque Ecclesiis Occidentis fructu uberrimo locupletarunt Ecclesiam.

B. S. Fechinus Hiberniæ natus est in loco dicto Fouver: pater Kelcharvanus, mater Lafréa vocabantur; illius natalem ante triginta annos N. S. Columbanus fertur prædixisse. Ante ortum domus parentum, & tota civitas magnis cæpit abundare splendóribus. Vix puer ad lucem prodiit, traditus est Narineo Sacerdoti, ut illum in litteris erudíret. Cæpit statim clarêre miráculis, fontem aquæ saluberrimæ prodíre fecit: quosdam equos cujusdam Regis malevoli defunctos ad vitam revocavit: ob virtutes, & signa sacerdos sacrátus est, & mox ab Angelo ductus est in locum, ubi monasterium construxit, & fere trecentos ad sodalitium conjunxit. Mónitu angelico perrexit in quandam insulam, ut gentibus prædicâret, ubi omnes ad fidem conversos baptisavit. Tres mortuos ad vitam revocâvit; solem, dum iter fáceret, stare fecit. Tandem innumeris méritis, & signis gloriósus ad sanctorum volavit consortium die 20. Januar. ann. 564. De illo agit cum aliis N. Jacob. Font hac die fol. 523, ubi probat fuisse N. Ord. quia tunc Hiberniam solum salutarat Augustiniana Religio per S. Patritium introducta, & nondum illa Benedictinam agnóverat, quæ solum ibi invênit locum tempore S. Malachiæ, ut ait D. Bernardus.

C. S. Eoglodius Mónachus in Hibernia discipulus fuit S. Columbani, & in Scotia cólitur, ut refertur hac die in Martyrol. Anglicano, & in Actis SS. in prætermissis.

D. Apud Lirinum Translatio S. Honorati Episc. Arelat. qui óbiit 16. Januar. anuo 441, & é loco campi Elisii, unde sepultus jacebat, translatus est ad Ecclesiam Lirinensem hac die anno 1391, ubi repositum

situm est sacrum corpus in theca argentea ab Episcopo Joanne Andrea de Grimaldis. De hac Translatione agunt N. Jacob. Font in Viridario SS. fol. 330, Saussay. in Martyrolog. Gallico hac die, Bollandus in Actis SS; & alii.

E Ven. Alipius Ventell. Laicus ortus est in urbe Malhorquina, & in cœnobio de Succursu: professus est die 20. Januar. ann. 1563, & exinde cláris cæpit splendescere virtútibus, & inter eas ex vivis excessit anno 1628. Ignoratur támen dies óbitus. Agit de illo N. Jorda tom. 3. in histor. Malhorquina lib. 1. cap. 3. fol. 468. n. 8.

F. Ven. Antonia á S. Josepho floruit in cœnobio Vallisoletano Incarnatiónis in omni spécie virtútis, & pie óbiit die 20. Januar. anno 1688. De illa agit N. Viller. tom. 1. Solaris Augustin. lib. 17. tract. 4. à fol. 22.

G. Apparitio S. P. Augustin. N. B. Jordano de Saxonia áccidit die 20. Januar. an. 1327. secundum Chronicon N. Josephi Pamphyli. De illa agit idem N. B. Jordanus lib. 1. vitas Fratrum c. 8. N. Ludovicus ab Angelis in vita S. P. Augustini lib. 6. cap. 4. fol. 176. N. Franciscus Ribera in vita ejusdē S. P. Augustini lib. 5. cap. 18. fol. 447; & alii plures, cum Herrera in Responsióne pacifica §. 3. fol. 97. num. 135. Portillo tom. 1. Sanctorum Ordin. fol. 214.

H. De Triumpho Fidei in terris Angólæ agit N. Leal in lib. m. s. lit. C. fol. 52, ubi asserit accidisse hanc adorationem SS. Sacramenti die 20. Januar. anno 1576.

I. Ven. Franciscus Planes ortum habuit in oppido S. Vincentii de Rus, ex Francisco Planes, & Maria. Hábitum assumpsit in cœnobio de Ampurias in Cathalaunia, & professus est die 1. Novemb. anno 1676. in statu Laicali, & ibi Sanctimónia clárus óbiit 20 Januar. anno 1686. De illo late agit N. Jorda tom. 3. de histor. Cathalaun. lib. 3 c. 4. fol. 428. n. 7.

L. Ven. Anna de Jesu Ursulina. &c. vide 1. Nov. loco supra citato.

DUODECIMO KALENDAS FEBRUARIJ.

XXI.

A IN Germania passio gloriosa S. Meinardi Mónachi, & martyris, qui ab adolescentia monachalem vitam secútus, in solitudinem secessit, ubi, cum in assíduis precibus, jejuniis, aliisque sanctis exercitatiónibus viginti sex annos consumpsisset, a duobus latrónibus crudéliter occísus est; qui, dum ánimam exhalâret, suavíssimo odóre omnem celiulæ circuitum implvit; sed duo corvi cælitus missi occísores justitiæ puniendos tradiderunt. *B.* Salsiniæ prope Namurcum óbitus B. Agnetis Sorôris B. Julianæ Cornelienſis, quæ post multos labores cum ipsa superatos, hac die, in cœlum migrávit. *C.* Xativæ in Hispania óbitus Ven. Annæ Mariæ Garciæ, Mantellatæ professæ, in cujus vita plures splenduêre virtútes, præcipue pœnitentia, & abstinentia; erat enim in cibi sumptione parcissima; taliter, ut illam vivere miraculum crederêtur: fere totam per noctem oratiónem protrahebat. Cum Sanctissimi Sacramenti devotiône langueſceret, quotidie se hoc cibo cæleſti focillabat; ubi delicias experta est innumeras. Erga B. Virginem raram servavit devotionem, de qua sua erant omnia colloquia, cujus quotidie devotissime Rosarium, & officium parvum recitâbat. Humilitátem veram cóluit, patientiam in injuriis ferendis mirábilem custodivit; ciliciis, & disciplinis continuis corpus macerâvit; potum amaris miscebat. Tandem morbis purgâta gravissimis, ad cæleſtem, ut pie créditur, requiem hac die migrávit. *D.* Ibidem depositio Ven. Josephæ Pont ibidem etiam mantellatæ, quæ a téneris pœnitentiæ exercitia secúta est; super nudas tábulas cubabat, saxo pro cervicali utens, ciliciis, & disciplinis se se asperrimis macerâbat; intra calceos lapides ingerebat, ut ab illis ambulans molestarêtur. Ita humilitâte claruit, ut, dum alios véluti Sanctos venerarêtur, se solam majorem diceret peccatricem, & de nostris

Fratribus ſermocinâta, ſæpius hæc repetebat, omnes eſſe Sanctos, eo quia adhuc ſe cibantes, Dei auſcultant verba, & de Deo loquuntur. Quoties cæleſti altaris cibo paſcebâtur, pulcherrimo apparebat aſpectu. A B. Virgine revelante cognovit, quendam ex noſtris graviter ægrotantem, e morbo ſoſpitem extiturum; ut cóntigit. Tandem tot méritis exornâta, gravi morbo decumbens, hac die animam cum ſumma pietate exhalávit. *E.* In cænobio Beniganimenſi Conceptionis in regno Valentiæ felix tranſitus Ven. Sponſæ Chriſti Joſephæ Mariæ á S. Agnete Mónialis Laicæ; quæ á Domino ad Religionem voctâa, in illa cæpit omnium de ſe dare virtutum exempla, taliter, ut á prælatis é ſtatu Laicali ad miniſterium chori translata ſit. Hinc cæpit amplius á caducis mundi rebus abſtinêre; ſic ádeo in Deum abſorpta vivebat, ut ſolum clamoribus excitâta, velut á ſomno ſurgeret. In choro, &, ſi légere ignorâret, perfectius cum aliis recitâbat, & pſallebat. Illam ſibi Dominus deſponſavit, ímponens ad illius collum catenam ex auro puriſſimo contextam; dicens: do tibi, Joſepha, hanc catenam in ſignum Deſponſationis, quam tecum hodie célebro: intellige tamen, poſthac tibi decére, mihi fidelitátem ſervâre; nil ages, nil concupiſces, nil cogitabis, quod mihi aliqualiter diſpliceat. Hinc, quoties Divini Sponſi nomen audiebat, extra ſenſus rapi videbatur. Erat devotiſſima paſſionis, & cum nocte quadam dormîret, quædam imago, ecce homo, eam vocâvit, dicens: Agnes; hora jam eſt de ſomno ſurgere: eâmus ad chorum ad matutina recitanda. In obſervantia votorum fuit mirabilis, in humilitate, & pœnitentia ſingularis; charitâte erga pauperes nulli ſecunda: pro peccatoribus ad Deum perennes proponebat preces, & plures ad frugem convertit meliorem: erga animas purgatorii ſingularis fuit advocâta, & plures ſuis precibus é pœnis liberavit: in oratione extaſes patiebatur continuas: Sanctiſſimi Sacramenti, á quo plures ſuſcepit favores, B. Virginis, Angelorum, & plurium ſanctorum fuit devotiſſima. Tandem pluribus cæli viſionibus ditâta, & pluribus ſignis coruſcans, a ſuo Sponſo vocâta his vocibus: Eia, Agnes, ſurge, propera, veni amica mea, formoſa mea, veni, veni, jam te mea brachia manent: illa vocans ſorores, & dicens, valete, ſorores, jam pergo, me Sponſus manet, valete, inter S. Agnetem, undecim Virgines, & alios ſanctos; quorum dux B. Virgo facta eſt, animam felicem hac ipſa die S. Agnetis, exhalavit, & in toto cœnobio odor ſuaviſſimus expertus eſt. Per dies quatuor populo fuit expoſita; interim per aera melos Angelorum ſuaviſſimum reſonabat. Per tres dies illius exequiæ tribus ſunt ſermonibus celebrâtæ. Corpus ejus in arca plumbea cum quatuor clavibus reſeratum eſt. Poſt mortem nonnullis claruit, & claret prodigiis. *F.* In Provincia Peruntina óbitus Ven. Franciſci Velaſques Confeſſoris, qui ex Hiſpania in Indias profectus, ibi habitu aſſumpto, raræ virtútis cæpit exempla præbêre; erat enim præſentiæ exemplaris, & ſanctæ converſationis; indolis mirabilis, & humilitatis profundæ; exercébat enim, quæcumque in cœnobio erant deſpectiſſima officia: pœnitentiæ fuit aſperrimæ, & tantæ abſtinentiæ, ut, S. Nicolaum Tolentinatem ímitans, carnem, etam ægrotus, guſtare non ſit viſus: & noctes per omnes diſciplinas ádeo cruentas ſuimebat, ut terra ſanguine plena madeſceret. Oratione aſſidua utebatur, ubi plures extaſes, & revelatiónes expertus eſt. Erga Sanctiſſimam Dei Matrem fuit devotiſſimus. Tredecim per annos gentilibus evangelium prædicavit, & multos ad Chriſti fidem ſuis conciónibus reduxit. Denique laboribus confectus, & innumeris méritis cumulâtus, a Virgine Dei Matre conſolatus, animam hac die efflavit coronandam. *G.* Romæ in cœnobio S. Nicolai depoſitio Ven. Coſmæ á S. Damiano Fratris Laici, qui in Religione erga B. Virginem maximam devotionem patefecit. Clarus fuit conſcientiæ candore, animi humilitate, & patientia, qua graviſſimas ſibi impactas ſuſtulit injurias. Gaudebat divinis Officiis intereſſe. Tandem Lethali correptus ægritudine, plures, & terribiles habuit tentationes, ſed clamabat: non; non, non: nam tunc ei ſatanas in forma meretrîcis, ut illum tentâret, apparuit, ſed ille, ut vidit, & hoſtem fallacem cognovit, clamâvit: vade, vade, feci Deo votum caſtitatis; prius moriar, quam turpi ſuccumbam tentationi: ſed omnes Dei famulus Virginis patrocinio confregit tentationes, & finito prælio manſit lætiſſimus, & in ſpiritu delatus eſt ad palatium pulcherrimum, ubi juvenem ſatis decorum aſpexit, majeſtate ſedentem, & tunc álius illi juvenis hæc prótulit verba: Frater, pugna, pugna læte, & conſtanter; quia poſt quatuor horas finietur certámen, & in pace quieſces; & ſic poſt quatuor horas plácide ſpiritum ſuo tradidit Creatori.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM PRIMUM JANUARIJ.

A. S. Meinardus natus est Sulgoniæ in Germania an. 805. é comite Bertoldo: in Eremum secessit, ubi erat Angelicis visionibus recreâtus. Hinc fertur in Hispaniam venisse, & fundasse monasterium Penafirmanum non longe ab Olysipone, quod usque ádeo in Ordine perseverat. Hinc egressus ad solitam eremum, inde á duobus pessimis viris invásus, dum sacrum persolveret, pugnis, & ligno contûsus est ad mortem hac die anno 850. A Benedicto IX. in Sanctorum Cánonem fuit relatus anno 1038. De illo agunt Baronius, Trithem. lib. 3. c. 209, Bóllandus, & plures alli. Quod autem nostri Ordini pertineat, asserunt NN. Marques in chron. c. 17. §. 1. Anton. á Purific. p. 1. Chron. lib. 3. tit. 6; Torelli in Cent. 1. cap. 90. fol. 116, & in Sæculis tom. 3. anno 868 fol. 300, Portillo tom. 1, Jacob Font hac die fol. 332, N. Leal in Chronic. Purific. 6. Exam. 6. fol. 603; n. 5. ubi plura adducit. Idem asserit Agiolog. Lusitan. tom. 1. die 4. Februar. fol. 340, & in cõmentar. fol. 345 cũ Eutrando: unde aliquandiu steti dubius, an. iidem essent Meinardus, & Anciradus, cum vidérem, Meinardum coli 21 Januar. & Anciradum 4. Februarii, attamen videns illos in omnibus aliis cõcordes, scilicet in pátria, in vita eremitica, & in loco martyrii, créderem, non dúplicem, sed eumdem esse; rem aliis dissolvendam relinquo.

B. B. Agnes Soror, & socia fuit B. Juliánæ, de qua 5 Aprilis, in cœnobio nostro Montis Leodii, & sanctitâte clara hac die óbiit. De illa agit Chrisostomus Henriques in Menolog. Cisterc hac die illam inter suas númerans, sed falso, ut probant Acta SS. die 5 Aprilis, dum de B. Juliâna, & nos eodem die ostendêmus.

C. Ven. Anna Maria Garcîa in Xativa inter Mantellatas Ordinis professionem emisit in mánibus P. Mag. Nícolai Valls 21 Decemb. an. 1668, &, quoadvixit, de se dedit rarum sanctitâtis exemplum: tandem multis infirmitatibus patienter toleratis purgâta, relinquens famam virtûtis heroicæ, exilium feliciter consummâvit hac die anno 1675. Agunt de illa N. N. Jorda tom. 2 hist. Valentiæ lib. 3. cap. 44. fol. 225. Josephus á D. Antonio in suo Iman fol. 93. num. 81.

D. Ven. Josepha Pont in eadem Civitâte orta est é parentibus nobilibus; cum aliquando sermonem audisset de contemptu mundi, quem prædicárat N. Ven. P. Augustinus Antonius, in domum reversa, crines ábscidit, & statuit perenniter Deo servîre; & sic hábitum inter Mantellatas recêpit anno 1665, & exinde in pluribus egregiam se fecit virtutibus, cum quibus permansit usque ad mortem, quæ accidit die 21. Januar. anno 1679: & post mortem apparuit gloriosa nostræ Ven. Elisabethæ Vendrell in Malhorquina insula sanctimóniali. Agunt de illa NN. Jorda tom. 2. hist. Valentiæ lib. 3. cap. 44. fol. 226. num. 8; Josephus á D. Antonio ubi supr. fol. 94. n. 85.

E. Ven. Josepha Maria S. Agnete nata est in oppido Beniganim, non longe à Civitâte Valentiæ; baptismum suscépit die 9. Februar. ann. 1625; &, si inops, optabat vitam religiosam sequi, quam intercessione B. Virginis, & S. Josephi adepta est die 26. Junii anno 1644. ætatis suæ 19; hac enim die inter Móniales láicas monasterij Beniganim fuscepta est. Non facile est dictu, quantum in virtûtis sêmita profécerit; & quantis illam Deus charismatibus ditáverit, illam sibi Sponsâm, donis datis, subarrhavit, & innúmeris visionibus, & signis decorâvit. Inter quæ amêre potius, quam morte decumbens, ad supernas delicias hac die anno 1696. ætat. 71. vocâta est. Lato cálamo ejus vitam exarâvit N. Frater Jacob Jorda tom. 2. hist. Valent. á fol. 569. usque ad 611. Etiam de illa agit N. Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 229.

F. Ven. Franciscus Velasques ortum habuit in oppido Donimbla in Castélla véteri ex nobili progénie: in Indiam profectus, Limæ noster factus est anno 1558. ætat. 19. In Provinciam Conchucorum missus est Prior anno 1567, & iterum 1569. ubi dæmonacæ idolatriæ horrib le bellum indixit, quo plures ad fidem reduxit. Magnis virtutibus cláruit, devotiône ingenti

erga Dei Matrem, mirabili manſuetúdine, profunda humilitâte, inaudita pœnitentia, jejuniis continuis, perenni carnium abſtinentia, oratióne ferventi, charitâte erga páuperes, hoſpites, & ægrótos. Poſt varia Ordinis officia, ſumma cum prudentia abſoluta, Limam reverſus, ibi continuis morbis attenuâtus, & purificâtus, hac die circa annum 1599, ánimam Deo reddidit ſanctiſſimam. Agunt de illo NN. Calançha in Chron. Limenſi á fol. 609. Herrera tom. 1. Lit. F. fol. 232; Torelli in Centur. 6. cap. 6. fol. 646: Portillo hac die tom. 1. fol. 217. Elſſ. in Encom.

G. Ven. Coſmas á S. Damiano Romæ natus eſt ex Joanne Eliars, & Eliſabetha Zuta. Cum ætatis eſſet 21, habitum inter Diſcalceatos Laicos ſuſcepit anno 1621 die 29 Sept, & anno 1622 die 13 Nov. profeſſionem emiſit Romæ in cœnobio S. Nicolai. Floruit devotióne erga Dei Matrem, nec aliis caruit, ſed claruit virtutibus, donec conſummató piæ vitæ agône, é vivis exceſſit hac die an. 1623. Agit de illo N. Joannes Bartholomæus Luſtro 7. fol. 200. num. 18.

UNDECIMO KALENDAS FEBRUARIJ.

XXII.

A. In Deſerto Senenſi Vallis Aſperæ memória B. Blaſii die Opima confeſſoris; qui in Eremum ſecedens, ibi cœnobium fundavit ſub inſtituto Auguſtiniano, ubi plures conjungens ſodales, quos in virtútis ſémita erudivit, coruſcans virtútibus, & ſignis, in cælum glorióſus migrávit. *B.* In Provincia Peruntina óbitus B. Franciſci del Corral confeſſoris, ubi virtútibus, & prædicatiónis gratia excelluit. Máluit in Ordine ſubeſſe, quam præeſſe. Floruit caſtitáte, & ſi de illo ſuſpicio ſiniſtra fuiſſet, quam tamen penitus abolévit, teſtatus in hora mortis, ex prælati præcepto, eouſque virginitátem ſervaſſe, & ſic hac, & aliis virtutibus exornâtus, ad præmium illarum conſequendum evolavit. *C.* In urbe Malhorquina Dominæ de Succurſu memoria Ven. P. Petri de Alomar, cui fuerat animus ſincerus, magnæ integritatis, & abſque dolo. Claruit oratiône, & pœnitentia. Verbum Dei magno fervôre diſſeminans, magnos in populo fecit proventus; &, inter virtutum exercitia occupatus, in eodem cœnobio Sancto fine quievit. *D.* In Domo Lauretana Mónialium Deniæ memoria Ven. Chriſti Sponſæ Ludovicæ á Salvatore ibidem ſanctimónialis, quæ á téneris Religionis ardens deſiderio, ibidem per tria vota Deo ſacráta, & ſtatim humilitatis, charitatis, obedientiæ, pœnitentiæ, & oratiônis, in qua plures á Deo accépit favôres, præbuit clara teſtimonia. Erga Chriſti paſſionem fuit devotiſſima, unde méruit, ut ſibi á Chriſto ſupra húmeros Crux ſua eſſet impoſita; & taliter eam Crux oppreſſit, ut uſque ad terram Crucis bájulam proſterneret. Altero die contemplans dolores Chriſti ob coronam ſpineam reſultantes, ſenſit ad frontem é Chriſti corona ſpineam vo aſſe, quæ ſibi partem ſuperiorem ſiniſtri oculi penetrâvit, ut accidit N. B. Ritæ, undel hor ribiles perpeſſa eſt dolores. His, & aliis á Deo receptis favoribus clarificáta, ad Sponſum, qui illam in fronte ſignárat, glorificanda migravit. *E.* In eodem cœnobio felix tranſitus Ven. Mariæ á S. Ignatio Mónialis Converſæ, in qua ſedem poſuit humilitas profunda, obedientia prompta, charitas perfecta, penitentia rara, abſtinentia ſingularis. Erga Conceptionem B. Virginis puriſſimam claruit devotiône, ſemper de puriſſima pura loquebátur. Quam devotiónem ſibi ádeo gratam habuit B. Virgo, ut illi aliquando apparuerit glorióſa, póllicens illi in ſuprema hora eſſe adfutura. Puerum Jeſum incubiculo habebat, quem ſibi aliquando loquentem, & culpas in ea leves arguentem audivit, cujus verbis tot lacrymas Maria profûdit, ut quaſi deficeret moritûra; ſed illius lacrymas Puer Divinus compeſcuit, vix in eam oculos lætus, & placatus direxit. Tandem tot. cæli favôribus ditáta, hora ſuprema adventante, á B. Virgine viſitáta,

in ejus

in ejus aſpectu humanos reliquit conſpectus.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM SECUNDUM JANUARII.

A. B. Blaſius de Opima, ut creditur, ægiptius fuit, & diſcipulus S. Antonii: in Italiam venit, & à Zenobio ſenatore Romano, viro probo, accepit agrum, ubi fundavit cœnobium inter montes Senárum ſub invocatione S. Antonii Vallis Aſperæ circa an. 370, & ibi degebat, cum S. P. Auguſtinus é Roma digrediens in Africam, Tuſciam viſitâvit, anno 388, & illi cœnobio, & Fratribus modum dedit inſtituti: unde vivens B. Blaſius ſub inſtituto S. P. Auguſtini in omni virtutum génere, ibi ſanctiſſime óbiit circa annum 389: ejus reliquiæ ſervantur in Eccleſia S. Antonii Valleſprenſis cum multis aliis, præcipue S. Antonii, magnoque populorum concurſu venerantur.

Circa fundationem hujus cœnobii ſciendum eſt, in porticu ejus ad dexteram eſſe hoc Epigramma plurima vetuſtate ſatis corroſum, & eſt, hoc modo.

Addebat Chriſti bis ſeptem luſtra trecentis
Annis mendaces Roma perôſa Deos.
Sceptra Valentinianus habebat, cæſariaque,
Damaſus in Petri ſede locâtus erat.
Cum ſanctum hoc Blaſius deſertæ cultor eremi
Dive, tibi, Antoni, ſponte dicâvit opus.
Sub tali anno dura Principe lætus utroque
Per quartum Nonas Maius agebat iter.
Sed pius antiſtes Donatus parte ſacravit,
Ut puro hic ſanctus.....

Et intra Eccleſiam hoc lemma eſt: Has ſacras ædes D. Antonio dicatas, Blaſius Eremita conſtruxit, ſanctuſque Donatus conſecrâvit: D. Damaſo ſum. Pont. & Valentiniano Imperatore: anno 370. Hoc cœnobium, quod olim erat Provinciæ Senenſis, nunc à Congregatióne Ilicetana poſſidetur anno 1198. ſub protectione Apoſtolica ſuſceptum eſt ab Innocentio III, ut conſtat ex illius Bulla, quæ incipit: Solet annuere Sedes Apoſtolica &c. Dat. Laterani 12. Kalend. Junij anno 1198, ut teſtantur NN. B. Jordanus de Saxonia lib. 1. vitas Fratr. c. 14. fol. 30, & Ambroſ. Coriolanus in Chronic. fol. 9. qui duo illam vidêre, & ſervâtur in Archivio cœnobii Ilicetani, ut teſtantur NN. Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 67. de monaſter. viror. & Ambroſ. Landucci in Sylva Ilicet. dum de B. Blaſio fol. 79. Quod autem S. P. Auguſtinus in his Senarum conventibus aliquandiu permanſerit, patet ex Bulla Martini V. de Translatione corporis S. Mónicæ, ex Franciſco Rappio Senenſi in Lima Spirituali fol. 32, Jugurta Tommaſio in hiſtor. Senenſi fol. 5; & ex Lemmate cœnobii Ilicetani ſupra portam appoſito ſic: Hic ubi primum Ilicetanum Domicilium uſque ſub anno 388. erectum fuerat, S. P. Auguſtinus aliquandiu permanſit. Et intra Templum ſupra imaginem S. P. Auguſt. depictam eſt: M. P. Auguſt. hanc Ilic. Eremum viſit, ſanctiſque firmavit inſtitutis: ann. fere 388. Aliud ſimile in áditu viridarii: videatur Herrer. & Sylva Ilicetana ubi ſupra. & ibi late agitur de B. Blaſio. De N. B. Blaſio agunt etiam NN. Torelli in Sæculis tom. 1. anno 389. num. 143. fol. 274, Jacob. Font in Viridario SS. hac die fol. 337. Ex exteris Cardinalis Capiſuchi in vita N. B. Joannis Chiſii, & Tabulæ Vallaſprenſis cœnobii confectæ, & conſcriptæ per Julium Judicem ordinarium, unum ex Valentiniani Imperatôris miniſtris; quæ tabulæ accurate aſſervantur in capſa ſcripturarum prædicti monaſterii, & ſunt viſu mirábiles, cum tantam redóleant antiquitâtem. Exemplar veró in forma authentica eſt in libro Privileg. Collegii Ilicet. fol. 152, de quo inſtru-

inſtrumento diffuſe agit Tommaſius in hiſt. Senenſi ubi ſupra.

B. B. Franciſcus del Corral ortus eſt in oppîdo Xerés de la Frontera, in Hiſpalenſi cænobio noſter factus eſt. In Peruntinam profectus eſt Provinciam ann. 1559: ubi poſt varios Religionis honores, floruit caſtitâte; quam invidia nonnullorum ſatis momordit, & fuit occaſio patruelis ſui filius illegitimus, quem linguæ maledicæ B. Franciſco filium irrogârunt. Cum hoc agnoſceret M. Fr. Rodericus de Loaiſa Prior Cuſquenſis, præcepit B. Joanni Lethaliter ægrotanti, ut públicè coram omnibus, in Dómino gloriâtus, rem faterêtur. Ille coactus, omnia narravit, teſtatus, ſe ſe virginitâtis florem, divina ope, uſque ad præſens conſervaſſe. Obiit ſanctè, hac die anno 1576. De illo agunt N. Calançha lib. 2. cap. 43. a fol. 536. Herrer. tom. 1. Alph. fol. 231; Bonaventura de Salinas, Torelli in Centur. 5. cap. 43. fol. 568; & in Sæculis tom. 8. anno 1576. fol. 625. num. 10; Elſſ. in Encom. Portillo hac die, tom. 1. SS. Ord. fol. 227.

C. Ven. Petrus de Alomar Malhorquinus natus eſt in oppido Maro dicto, & profeſſioni ſe tradidit in cænobio de Succurſu die 22. Januar. anno 1591: fuit inculpatæ vitæ, & prædicator apoſtolicus. Obiit ſanctè in eodem cænobio circa annum 1640. Agit de illo N. Jorda tom. 3. hiſtor. Malhorq. lib. 1. fol. 469. n. 9.

D. Ven. Ludovica a Salvatore Deniæ nata eſt é nobilibus parentibus, in cænobio Deniæ ſub invocatione Lauretána Mónialis facta eſt, ubi in omni virtutum génere coruſcâvit. Fuit paſſionis Chriſti devotiſſima; ſuper ejus húmeros idem Dominus ſuam impoſuit crucem, quo pondere gravidâta in terram prolapſa, & fortiter vulnerata eſt. Altera vice ejus frontem Dominus ſpinea e ſua corona proſiliente inſtar B. Ritæ vulnerâvit. Obiit tandem ſanctè anno 1642. Agit de illa N. Jorda tom. 2. lib. 5. c. 7. fol. 519. n. 7.

E. Ven. Maria a S. Ignatio in eodem cænobio profeſſionem emiſit. Fuit devotiſſima Conceptiónis B. Virginis, ob quod illi B. Virgo aliquando apparuit, promittens illi in extrema hora adfutura, ut adfuit, & animam illius creditur in cælum aſſociaſſe. Obiit feliciter anno 1646. Jorda ubi ſupra fol. 521. n. 9. agit de illa.

Non omittendum puto prodigium, quod hac die anno 1587. contigit; nam cum Ven. Marcellus Nebriſſenſis noſtri Ordinis vir doctrina, probitâte, & integritâte inſignis Romam ad capitulum Generale pergeret, per Civitatem Regalem tranſiit, quam, & octoginta loca circumſecus locuſtis oppreſſam cognovit; ita ut incolæ deſperati ea loca pénitus deſerere tentarent, quia per ſeptennem nihil collégerant. Hæc noſcens Marcellus incolas ad mónuit, ut votum fácerent M. P. Auguſtino, ac ejus feſtum ſolemniter celebrárent. Hoc facto proceſſionem inſtituit cum populo, & in loco elevato, ſacris indutus veſtibus, hanc oratiónem prótulit. In nomine D. N. Jeſu Chriſti benedicti Amen. Ex parte SS. ac individuæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, S. P. Auguſtini, S. Zenonis, S. Geminiani, S. Catharinæ Senenſis, & omnium ſanctorum præcipio vobis quibuſcumque dæmonibus, ſive ſpiritibus immundis exiſtentibus in iſta civitate, vel oppido, quod ubicumque hoc meum mandatum ad vos, ſeu potius D. N. Jeſu Chriſti, perveniat, exterminêtis, ſeu exterminari faciatis hæc ova locuſtarum, bruchorum, erucarum, ſcarabæorum, formicarum, vermium, atque murium, & quorumcumque aliorum animalium corrodentium frúctus terræ á terminis illis, ita ut, non reviviſcant, ſed aſportari faciatis per vos; & miniſtros veſtros ad loca ſylveſtria, & inculta; ita ut, ſi revixerint, nocêre non poſſint herbis, fructibus, vineis, leguminibus, & quibuſcumque aliis rebus humanis uſibus deputatis.

His dictis contigit prodigium; illa enim peſtis locuſtarum pénitus evanuit. Referunt NN. Herrer. tom. 2. Alph. lit. M. fol. 97, Elſſ. in Encom. de Marcello, Ribera in vita S. P. Aug. lib. 5. cap. 51. fol. 520, & conſtat ex Regiſtro Generali N. Gregorii Elparenſis Generalis, & poſtea S. R. E. Cardinalis.

DECI-

DECIMO KALENDAS FEBRUARIJ.

XXIII.

A. Toleti in Hiſpani óbitus S. Ildephonſi ejuſdem urbis Archipræſulis eximii, qui prius Mónachatum Auguſtinianum exercuit ſub Agalienſi cænobio, & ob ſingularem vitæ ſanctimóniam, & ſuſceptam defenſionem adverſus hæreticos, B. Virginis puriſſimæ integritatem impugnantes, ab eadem candidiſſima donatus eſt veſte, ac demum ſanctitâte célebris, hac ipſa die in cælum vocatus eſt. *B.* In Provincia Valeriæ tranſitus S. Martyrii Mónachi, & confeſſoris, qui virtutum ſemitam perfecte concludens, in cælum tranſiit coronandus; cujus meminit N. S. Gregorius Papa. *C.* In cænobio Melrenſi, juxta fluvium Tefidæ S. Boiſilli Abbatis in Scotia, qui ſæculo renuntians, ibi habitu aſſumpto, magnos in virtute fecit progreſſus: fuit devotiſſimus Sanctiſſimæ Trinitatis, & Nominis JESU, taliter, ut illíus perennis vox hæc eſſet: Quam bonus eſt JESUS. Prophetiæ dono enituit, & cordium ſecreta penetrâvit. Tandem méritis, & virtutibus plenus, revelata ſuæ mortis die, repetitis crebro his vocibus: Domine JESU, accipe ſpiritum meum, hac die ſancte óbiit in Domino. *D.* Ungariæ memoria B. Vitti de Baradino, vulgo de Pannonia, Provinciæ Ungariæ prolis feliciſſimæ, qui é regia ortus progenie, magis elégit in domo Dei, quam intabernaculis habitâre peccatorum: unde noſter factus, vixit in Religióne rara humilitâte, & ſui contemptu: claruit zelo rerum eccleſiaſticorum, & fidei; per quem plura Deus prodigia operâtus eſt. Donec ſui exilii meta completa, ad cæleſtem patriam, unde melius regnum poſſidet, translâtus eſt. Cum autem jam tumulâtus eſſet, in illius túmulo defunctus alter conderetur, vix hujus cadaver veſtes B. Vitti tétigit, ſubito ad vitam rediit ſoſpitâte mirabunda. *E.* Gandávi in Belgio óbitus Ven. Joannis Cools viri in doctrina celeberrimi, ob quam alter vocatus eſt Cicero, & hæreticorum inconcuſſus debellator. Fuit verbi Dei præco ſingularis: diverſis linguis, Latina, Theutonica, Hiſpanica, Gallica, ultra trigeſies ſexies, adventus, & quadrageſimæ conciones habuit. Denique poſt plura opera Religioni proficua, virtutum claris ſignis exornâtus, pio SS. Crucifixi imaginis complexu, hac die óbiit in oſculo Dómini, dicens: Moriar, ne moriar. *F.* Ulyſſipone in Cænobio Gratiarum óbitus Ven. Joannis á S. Mónica, diſcipuli Ven. P. Ludovici de Montoia, ſub cujus diſciplina valde in virtûtis trámite profecit, &, cum per plures annos in Religione raro cum exemplo vixiſſet, hac ipſa die cum magna opiniône óbiit in terris, & ábiit ad cælos. *G.* In cænobio SS. Trinitâtis oppidi Morellæ tranſitus Ven. Joſephæ Puigdepaſques ibi Mónialis, quæ in Religione eximium virtûtis præbuit odórem; ſpecialem concepit devotionem erga D. Joſephum, cui quotannis feſtum maxima cum pompa celebrabat, & redditus poſt mortem reliquit, ut perpetuo celebrarétur. Floruit rara humilitâte, nobilitatem, qua nata eſt, parvi fáciens, & paupertate, & ſi ditiſſima eſſet, omnes enim redditus, quos in numero non parvo habebat, vel in cultu Divino, vel in eleemoſynis conſumebat. Conſumpſit in fábrica novi templi innumeros ducátus, & abſolvit manignificentius templum, quod hodie Aragonica continet, & cognoſcit Provincia. Reliquit redditus annuales ad celebrationem Miſſarum Renovatiônis, quæ ſunt plures in anno. Plura ornamenta magni pretii ad cultum Divinum præbuit. Inter tot divitias erga ſe ipſam erat pauperrima, herbis veſcebatur, veſtibus pauperrimis induebâtur, taliter, ut ad ejus exemplum omnes reformarentur Móniales. In puritate taliter illibâta fuit, ut, ſicut nata eſt, virgo morerétur; & ad cuſtodiendam virginitatem ſe ſe aſſiduis jejuniis, ciliciis, diſciplinis, vigiliis, & aliis mortificationibus macerâbat. In oratione fere diem, & noctem conſumebat, flens culpas amaritudine animæ, & dolóres, quos pro ipſa Chriſtus in paſſione tolerâvit.

Plura

Plura incredibili ſuſtinuit patientia. Obſervantiæ erat Zeloſiſſimæ, inutilia Mónialium abhorrébat collóquia. Solitudinem, & devotionem diligebat. Nimis ardebat cum piis, & devotis ſermocinári, dicens, hos duntaxat ſui cordis eſſe prædatores. Erga D. P. Auguſtinum erat devotiſſima. Quotidie rara teneritudine communicâbat. Unde animæ ſuæ cibus erat oratio, communio, & penitentia. Tandem tot méritis plena, & annis conſumpta, magna cum ſanctitâtis opinióne hac die viam univerſæ carnis ingréſſa eſt; & poſt mortem ejus Ven. P. Auguſtinus Antonius, de quo 1. die Junii agendum eſt, de illius gloria habuiſſe narratur revelatiónem.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM TERTIUM JANUARIJ.

A. S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus, prius fuerat mónachus in monaſterio S. Juliani, dicto Agalienſi, ubi mirábili ſanctitâte vixit: ob quam Toletanus Præſul ſacrátus eſt: in quo munere erga puritâtem Virginis defenſor fuit acerrimus contra Helvidii blaſphemi ſequaces: contra quos præacuto calamo conſcripſit; ſed prótinus á B. Virgine præmium ſingulâre ſuſcepit in die S. Leocadiæ, quo die illi in Eccleſia ſtanti virgo Leocadia é ſepulcro, quo jacébat, locuta dixit. O Ildephonſe, per te meæ Dominæ vivit glória. Et alibi illi appárens B. Virgo, pretioſiſſima illum cáſula donâvit. Tandem ſanctiſſimis moribus exornatus, óbiit in pace die 23. Januar. anno 667. ætat. fere ſexaginta annorum.

Hinc dubium ſatis controverſum exóritur, cujus Ordinis fuerit S. Ildephonſus? Arnoldus Wion, Hugo Menardus, Trithemius, & Yepes affirmant Benedictinum fuiſſe; aſſentiremur, ſi probaſſent: illis ſua non favent fundaméta, quæ ſunt, quia fuit Abbas, & quia Marcus Maximus vocat Abbates Agalienſes Benedictinos, quia S. Ildephonſus cucullum, quod eſt proprium Benedictinis, induit. Hæc ſunt præcipua Benedictorum fundamenta, ſed talis eſt reſolútio, qualia ſunt fundamenta. Noſtra appareant, ut dicta diſpáreant.

Imprimis dicam, plures ex NN. aſſérere, S. Ildephonſum Auguſtinianum profeſſum fuiſſe inſtitutum: & ſunt, Ven. Alphonſus de Oroſco inter Beatos propediem numerandus, in hiſt. SS. N. Ordin. Ludovicus ab Angelis in Chron. m. ſ. lib. 8. c. 20, Jorda tom. 3. hiſt. Cathalauniæ lib. 1. c. 6. in Vita S. Quirici á fol. 255, & fol. 292. n. 313 Jacob Font in Viridario SS. hac die fol. 340, ubi omnes late probant, S. Ildephonſum noſtratibus pertinére; & illorum fundamenta cogor aperíre. Primum eſt, quia in vetuſto breviario Toletano dicebatur Ildephonſum ſub regula S. P. Auguſtini vixiſſe. Secundum quia B. Benedicti regula Hiſpanias non ſalutavit, niſi ab anno 910, & poſt, ut conſtat ex duobus privilegiis Regum Hiſpaniæ adductis á N. Jorda tom. 3. hiſtor. Aragon. lib. 1. fol. 75, ex quibus conſtat, Caſſinenſes in Hiſpanias veniſſe per Cluniacenſes, quod áccidit anno dicto: ergo ante in Hiſpania Benedicti regula ignorabâtur, uti Tamay ait in notis Luitprandi, loquens de S. Ildephonſo præſertim, cum exigua Benedictini Ordinis notitia tempore S. Ildephonſi in Hiſpania fuerit. Tertium, quia tempore in illo jam Auguſtini familia ſatis diſperſa erat per Hiſpanias, ut ait Liberatus Benedictinus Abbas Pamplonæ, qui in Chron. ad ann. 418 ait: Florent admirabili ſanctitâte per id tempus in Hiſpania Mónachi S. Auguſtini anno 418.

Ad primum Caſſinenſium fundamentum de Abbate, dicimus, vim habere, ſi probâre poſſent, hoc nomen ex S. Benigno originem habuiſſe, quod nec probant, nec probábunt; ante enim ipſum plures fuerant hoc titulo inſigniti. Si opus eſſet, plures aſſignarentur. Ad ſecundum de authoritâte Marci Maximi dicimus eſſe mendoſam, & ab aliquo nóviter adjectam, ut nobiſcum ſentit Menardus Benedictinus, qui tom. 2. in proœmio fol. 63. ait: Sed ne diſſimulem, quid hoc Chronicon, ut inter legendam animadverti, multa cóntinet abſurda, & S. Maximo prorſus indigna; Eſt enim multis erroribus maculátum á quodam nebulône, qui paſſim huic Chro-

nico

nico multa inepta adjecit pro ſuo libito. Et idem ait Tamay die 26. Februar. & 16. Aprilis loquens de fundatione Oviedi: ergo ex illa authoritâte nil colligitur. Ad tertium de cucullo, dicitur ex illo nihil colligi, quia etiam in Auguſtiniana Religiône hábitus cucullum, vel cuculla appellatur, ut conſtat ex NN. conſtit. p. 2. cap. 5. n. 5. fol. 77, ubi dicitur: Cuculla, ſeu cappa nigri tantum erit colóris, &c.

Ex his ergo bene infertur cœnobium Agalienſe Auguſtinianũ ſervaſſe Mónachiſmũ, forſitan, deductum ex Mónaſterio Sislæ, quod an. 424 Toleti fundatum eſt, ut ait Flavius Dexter in Chron. ſic: anno ab urbe condita 1176, id eſt, anno Chriſti 424 Toleti ſit Mónaſterium S. Auguſtini. Et in márgine légitur: hoc eſt Mónaſterium Sislæ ex Chronico S. Auguſtini, & ita áſſerunt Gaſpar Eſculan. p. 2. hiſt. Valent. lib. 9. c. 20, Marques in Chron. c. 11, Roderícus Carus in notis ad Flavium fol. 150, Torelli tom. 1. an. 423, Herrer. in hiſtor. Salmant. fol. 183.

B. S. Martyrius Mónachus fuit in Provincia Valériæ, tempore S. Gregorij Papæ, in qua Auguſtiniana régula ſervabatur, ut dictum manet 10 hujus, cúm de S. Agathóne, & probandum eſt, dum de S. Equitio 7, & S. Gregorio 12 Martij.

C. S. Boiſillus Mónachus, & Abbas fuit in Scotia, ubi ad Mónachiſmum accépit S. Cutbertum; de quo 20 Martij. Ejuſdem ratiônis erat, ac S. Columbani, & ſic Auguſtinianus; unde vivens S. Boiſillus ſanctiſſime, hac die anno 664. in Cælum migrávit. De illo plures agunt, & ex NN. Torelli tom. 2. Sæculor. anno 604. n. 26. fol. 562, Jacob Font hacdie fol. 350. apud quem plures.

D. B. Vittus de Baradino, ſive de Pannónia, in Ungaria ortus eſt ex régia progénie, Provinciæ Ungariæ proles fuit feliciſſima, flóruit circa anno 1297. N. Portillo de illo hac die mentionem facit. Agunt etiam de illo NN. B. Henricus de Urimária in Tract. de Oríg. Religionis in tertio loco inter ſanctos Ordinis. Andreas Gelſominius in Theſauro devotiônis c. 14 fol. 155, Phamphil fol. 34, Coriolanus in Chron. n. 5. Roman Centur. 11. fol. 77; Oroſco in Chron; Herr. tom. 2. Alph. lit. U. fol. 492, Elſſ, Torelli Centur. 2. cap. 35. fol. 169. & in Sæcul. tom. 5. fol. 190. Portillo tom. 1. fol. 227. Cruſen, in Mónaſt. Auguſt. & alii plures. Apud me eſt illius imâgo radiis coruſcans.

E. Ven. Joannes Coolſ. natus eſt Lovanii anno 1548. die 24. Nov. noſter factus eſt anno 1564. Mildelburgi in Zelandia; é ſtudiis eximius exiit prædicâtor, & doctor, & optime méritus in ſua Provincia, quam doctrina, & multiplicato regimine, & virtútibus decorâvit. Templum Gandavenſe auxit, & erexit. Cum ergo inter hómines vitam dúceret angélicam, ut eſſet in cœlis Angelorum comes, vocatus eſt hac die anno 1612. atatis 63: cujus tumulo célebre lemma gravatum eſt, adductum á N. Herrer. tom. 1. fol. 457, ubi de illo agit. De illo etiam agunt NN. Curtius in Elog. Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 105, Elſſius in Encom. Portil. 26. Januar, tom. 1. SS. Ordin. fol. 234.

F. Ven. Joannes á S. Mónica ortus in Urbe Brigantina; parentes hábuit Andréam Vas, & Eleonoram Leite, in eâdem Urbe hábitantes in Parochia S. Joannis; in cœnobio Olyſſiponenſi Gratiarum profeſſus eſt die 16. Auguſti anno 1552. in mánibus Ven. Ludovici de Montoia, tunc Vicarii Generalis; & vivens in Ordine Ven. Joannes, pie, ut creditur, ſancte, ut teſtátur, óbiit. Agitur de illo in lib. 1. profeſſionum hujus cœnobii fol. 96; unde narrata reperientur, ut ipſe forte réperi.

G. Ven. Joſepha Puigdepaſques orta eſt in oppido regni Valentini é parentibus nobilibus, & ditiſſimis: monialis facta eſt in cœnobio Sanctiſſimæ Trinitâtis oppidi Morelli: vitam duxit claris virtutibus illuſtrem, & innúmeros in cultu divino, & paupéribus redditus conſumpſit. Claruit devotiône S. Joſephi, S. P. Auguſtini, & aliorum ſanctorum: óbiit rara cum ſanctitâtis opinióne hac die anno 1691, maximo cum ſororum deſidério. Agit de illa N. Jorda tom. 2. fol. 451 n. 18.

NONO KALENDAS FEBRUARIJ.

XXIV.

A. Prope Toletum in loco dicto Obdon passio S. Babilæ Episcopi Pamplonensis, & Mártyris, qui ex Eremita ejusdem diœcesis sacratus est; mox cum aliis duobus sociis Toletum pergens, in dicto loco á Mauris tentus, martyrio cum sociis coronâtus est. *B.* In Gallia Belgica óbitus S. Bertranni, qui Mónachismum amplectens in Mónasterio Luxovienſi sub S. Eustachio, inde egrediens cum SS. Mumulino, & Bertinno, in Galliam perrexit animo fidem prædicandi, ubi cum sóciis valde profecit. Nota S Au omári sanctitâte, illum petiit, & in ejus sodalitatem admissus, præclarum de se præbuit virtutum exemplum, sic, ut ibidem, scilicet in cænóbio S. Quintini, Abbas electus esset, ubi degens sanctissime, plenus virtútibus, per ilias felicem in cælis hac die promeruit ingressum. *C.* In Provincia Peruntina Ven Christophori de Villarroel, seu á S. Josepho, qui ibidem flóruit mundi contemptu, pœnitentia, oratióne, & humilitâte. Ita paupertatis amâtor fuit, ut lecto ad somnum supra nudam humum uteretur Cum flumen Mulum trajiceret, in illum prolapsus, á quis suffossus occúbuit hac die; & quæsitus non est inventus; donec post quinque menses á quodam in flúmine est repertus incorruptus cum disciplina, cilicio, & rosario sanis. *D.* Valentiæ in cœnobio Præsentationis óbitus Ven. Joannæ Evangelistæ ejusdem cœnobii fundatrícis, cujus observantia fuit singularis, obedientia prompta, assistentia in choro assidua, patientia talis, ut, cum aliquando eam vellet álapis quidam offendere, humi prostrata, dixerit: en ambæ maxillæ, ut álapis conterantur In omnibus perfecte clárúit virtutibus. Lethali morbo correpta, & diu agonians, vix in choro intonuit: Deus in adjutorium meum intende, animam summa pace exhalâvit hac die. in cujus exequii celebrandis sermo de illíus virtútibus, magno concursu stante, peractus est. *E.* In oppido Morelli, in cœnobio Sanctissimæ Trinitâtis memória Ven. Hyacinthæ Grau ibidem sanctimonialis, quæ flóruit modestia, silentio, solitudine, oratióne, pœnitentia, humilitâte, & cæteris virtútibus. In oratióne plures á Deo favóres accépit. Cum ergo esset observantissima, & apud omnes de se singuláre exemplum præbéret, sancte óbiit.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM QUARTUM JANUARII.

A. S. Babilas Mónachus, factus est Episcopus Pamplonæ, & cum aliquando Toletum tenderet, cum aliquibus Mónachis, in loco dicto Obdon Eremitorium fundávit, ubi cum sóciis sanctissimam vitam agens, pueros erudiebat, & præcipue Maurorum alumnos, ut fidei ediscerent rudimenta; quod male ferentes barbari, ira fervidi, Bábilam, & duos Mónachos sócios, & triginta adolescentes martyrio coronárunt hac die anno 719. De illis agunt ex NN. Torelli tom. 3. an. 719 n° 16, Roman. in m. s. Jacob. Font hac die in Viridar. SS. fol. 356; & alii, quos ibi allégat.

B. S. Bertrannus ortus est in civitate Constantiensi in Gallia Belgica; mundi fallacias fugiens, in Mónasterio Luxovienſi Mónachismum amplexus est; inde egrédiens cum aliis, Mónasterium S. Quintini fundâvit, ubi abbas factus, & sancte degens, hac die anno 680 ad súperos volavit. Agunt de illo Portillo in m. s. Jacob. Font ubi supr. fol. 353, Roman. in Chron, & patet

tet esse nostri Ordinis, quia Mónachus fuit in Luxovienſi Mónaſterio, quod fuerat á N. S. Columbano fundatum.

C. Ven. Chriſtophorus de Villarroel noſter factus eſt an. 1610, & anno ſequenti tria promîſit Deo vota die 11 Junii; floruit in Provincia Peruntina, & hac die, anno 1634 trájiciens flumen Mulum, aquis ſubmerſus eſt, & poſt quinque menſes corpus ejus incorruptum repertum eſt. Agit de illo N. Portillo hac die tom. 1. SS. N. Ordinis fol. 228.

D. Ven. Joanna Evangeliſta Vallisoleti orta eſt, Palentiæ hábitum Mónialium recêpit. Cum eſſet maximæ obſervantiæ, ad fundationem cænobii Requenſis exiit, & ínibi compósita obſervantia, exiit, ut cænóbium Incarnationes Valentiæ régeret, ubi cum rara ſanctitâte vixiſſet, pie óbiit die 24 Januar. anno 1657; & in ejus exequiis elegantiſſime orâvit N. M. Fr. Franciſcus Clement. Agunt de illa NN. Villerin. tom. 2. Solaris Auguſt. fol. 38. lib. 18. tract. 2, Jorda tom. 2. hiſtor. Valentiæ lib. 4 c. 18 fol. 470. n. 1.

E. Ven. Hyacintha Grav. orta eſt in oppido Morelli regni Valentiæ ex Arſi Grav. & Maſiana Punter parentibus, & á téneris educâta in cænobio Sanctiſſimæ Trinitâtis, ibídem tria Deo promîſit vota die 30 Septemb. an. 1636 in mánibus Ven. P. Auguſtini Paſchális; ubi ſancte vixit, & óbiit menſe Januar. an. 1666. Agit de illa N. Jorda tom. 2. lib. 4. hiſt. Valentiæ cap. 14. n. 17. fol. 451.

OCTAVO KALENDAS FEBRUARIJ.

XXV.

A. Auguſtodûni Æduorum depoſitio S. Rachônis Epiſcopi, & Confeſſóris, qui, cum Auguſtinianum amplexus eſſet mónachiſmum in cænóbio Luxovienſi, poſtea poſt óbitum S. Siagrii Epiſcopi, magno totius Cleri, & pópuli applauſu, in ejus locum ſuffectus eſt; cujus veſtigiis inhærens, magno cum óvium proventu, ad cæleſtium confeſſorum ſodalitâtem volâvit. *B.* Amándulæ In Italia felix tránſitus B. Antonii de Amándula Confeſſóris eximii, qui brevi tempore omnibus ſe ſe virtútibns in Religióne exornávit: flóruit caſtitâte, obedientia, humilitâte, patientia, qua plura ſuſtinuit, tanquam ſi ſibi benefacta forent. Jeſum, & ejus caſtiſſimam Matrem ſic dilexit, ut, quóties illorũ nómina vel proferret, vel proferré audiiſſet, cor ejus quaſi pénitus liquefieret. Fere totam per noctem orâbat ante imáginem B. Virginis Chriſtum mortuum inter brachia tenentis, ubi Chriſti paſſiónem ſumma cum devotiône meditabátur, ſe ſe crudeliter mácerans diſciplinis, & mæſtiſſima eructans ſuſpíria. Singuláris in abſtinentia fuit, nec carnibus veſcebátur, nec vinum potábat. Illum ridentem nemo unquam, ſed flentem pótius, aſpexit, maxime cum Chriſti paſſiônem contemplabátur: pro lectulo ſibi vitium acervum conjunxit, & cervical ſibi miniſtrábat ſaxum, & aliquando lignum uſque ad præſens conſervatum: aſperis veſtibus utebátur, & cilicíis ad nudam carnem ſe ſe macerâbat. Continuas dæmónis pértulit inſidias, quas, nomina JESU, & MARIÆ invócans, ſuperâvit. Inter has virtûtes, & incredibiles pœnitentias, uſque ad nonaginta quinque annos ſanctiſſime vixit, & tunc ſenio confectus, & pluribus coruſcans miráculis, inter quæ numerantur tres per ejus interceſſiónem ad vitam revocati, ad cæleſtem pátriam tranſlátus eſt; & quotannis hac die in eodem cænobio ejus feſtum celebrátur cum ſolemni proceſſiône, plúrima plebe concurrente. *C.* In eódem cænobio memôria B. Jacobi de Amándula confeſſôris, qui ibídem eximia flóruit ſanctitâte. *D.* Patávii óbitus Ven. Joannis Caponáti, viri doctrina, & pietâte clariſſimi, fuit enim verbi divini præco diſertiſſimus, & ab hæréticis plura perpeſſus eſſe dicitur, cumque erga ſuos ob benefacta eſſet optimé méritus, ſummo ſuorum deſidério deceſſit hac die, & célebri elógio ejus ſepulchrum decorâtur. *E.* Valentiæ in cænobio S. P. Auguſti-

ni tránsitus Ven. P. Marci Antonii Mascáros, viri doctíssimi, & piíssimi, cujus industriæ plurimum debet Religio ; insuper fuit magnæ religiônis vir, & cum Prior, & Provincialis esset, nihil, nisi Religiónis observantiam prócurâbat ; dónec relicto inter sus os raro vitæ exemplo, pie hac die decéssit. *F.* Romæ depositio Ven. Joannis Baptistæ á S. Elisabetha Láici Discalceati, qui, cum summa pietâte oppressis peste inservîret, egrégie consummato Religionis curriculo, é vivis feliciter sublátus est. *G.* Neapoli in cænobio S. Mariæ Veritâtis transitus Ven. Angelici á S. Erasmo Confessoris, qui in Religione omni flóruit virtûte, præcipue simplicitâte, & humilitâte ; cujus tanta erat virtus, ut sátanas in energúmeno látitans asséreret, se ex energúmeno non egressurum, nisi á P. Angélico foret exorcisâtus ; quod cóntigit ; exinde tamen é dœmone plúrima perpessus est. Tandem gravi morbo correptus, mortis suæ tempus, & horam prænuntians, post triginta, & quinque annos perfectæ Religiónis, hac die in pace quiévit ; & post mortem de illo nonnulla prodígia narrantur. *H.* In Provincia Peruntina, in cænobio Incarnatiônis, depositio Ven Sponsæ Christi Paulæ Aguilérae ibi sanctimonialis, quæ adhuc in domo paterna virtûtis rigidæ sémitam est amplexa, solo enim pane, & aqua omnes Adventus, & Quadragesimæ dies transigébat. In Religiône vivens, pœnitentiarû magistra facta est. Orâbat extensis in figúram crucis mánibus ; stationes, quas in cænobio instituérat, gravi cruce onusta observâbat. Supremam horam adventâre præsentiens, non passa est vestibus spoliári ; ab húmeris tamen ábstulit crucem in modum péctinis lanificórum stímulis in carne impressam, á génibus híspidæ lóricæ partes, á lumbis símilis modi caténam, à suris cilicia duo ex rigidis animalium crínibus. Tandem sacramentis munîta, ad Sponsi cæléstis thálamum ánimam efflávit. In cænóbio Salmantíno Conceptionis óbitus Ven. Mariannæ de JESU, ibi sanctimónialis, quæ in Religiône de se præbuit raræ virtûtis testimónia ; erat enim ássidua in choro, in modestia mirábilis in obedientia singularis. Cum vitæ suæ curriculum fæliciter consummasset, é vivis hac die decessit.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM QUINTUM JANUARIJ.

A. S. Rachon in monastério Luxoviensi á N. S. Columbano fundato mónachismum est amplexus : inde égrediens, in cænobio Augustodunensi vixit, & S. Siagrio succéssit in regímine cænobii, quo rite expleto, sancte óbiit, ut testatur Andréas Saussai in Martyrologio Gallico hac die.

B. B. Antonius de Amándula flóruit in cænobio Amándulæ rara sanctitâte, circa an. 1419. de quo plura mirácula narrantur. Obiit sancte, ut ait Zachónus in compendio sanctórum 21 Januar. an. 1452 ; sed vérius óbiit 25 Januar. anno 1430, & anno 1452 inventum est corpus ejus incorruptum, túnica tamen in cinéres conversa. A pópulo solemniter cum processione cólitur, & á sæculis retróactis illi Missæ celebrantur. De illo agunt plures ex nostris ; Herrera tom. 1. Alph. fol. 11 ; Torelli in Centur. 3. cap. 57. fol. 295 ; & in Sæculis tom. 6. fol. 792. Pamphil ; Gelsominius, B. Alphons. de Orosco ; Elsius in Encomiast ; Arpe in Diario SS. hac die fol. 47 ; & in Pantheo elógio 63. fol. 200, ubi de illo acuto cálamo conscripsit, Portillo hac die tom. 1. fol. 231. Josephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 126 ; & omnes nostri. Ex extéris Imeraldus de Amándula, B. Antonii Coævus, ejus vitam idiómate latino conscripsit, quam postea anno 1550 Joannes Pecucius in idióma Italicum convertit. His suppositis, miror, quómodo B. Antonius in libris R. P. Bollandi Locum non habuit cum alis minoris pónderis habuerint ? Certe, vel fuit oblivio, illi enim déerat omnium comprehensio, vel adfuit mala affectio in nostrates, indigna religioso.

C. B. Jacobus de Amándula flóruit in eodem cænobio Amándulensi circa annum 1420 magna sanctitâte, & certe cum B. Antonio de Amándula vixit in eodem cænobio. Agit de illo N. Elsius in Encomiastico. Lit. I. fol. 304.

D. Ven. Joannes Caponátus Patavînus floruit

flóruit pietâte, facundia, prudentia, & comitâte, obquæ intimam familiaritâtem cum N. Cardinali Hieronymo Seripando cõtraxit. Fuit etiam sæpe expetîtus á Cardinalibus Madrutio, Sabello, & Salviato. Cum illi Religio plura injunxisset regiminis officia, & esset de omnibus óptime méritus, post transactos multis labóribus 88 annos, óbiit pie die 25 Januar. an. 1606; & in ejus memoriâ amicus Francisçus Salvianus jussit statuam, & elógium in sui laudem fabricâri. Agit de illo N. Herrer. tom. 1. Alphab. fol. 488.

E. Ven. Marcus Antonius Mascáros, ortus est in Castellone de la Plana, & habitu assumpto in cœnobio Valentino, ibi flóruit scientia; Doctor enim clarus fuit, & pietâte, & Religiône; obquæ plura in Religiône exercuit officia, Prioris, & Provincialis anno 1629 die 9 Februarii electi; in quo témpore plura pro reparatiône conventus perêgit. Inter Religiônis, & observantiæ virtutes, & alias, óbiit pie in cœnobio Valentino die 25. Januar. ann. 1638. Agit de illo N. Jorda tom. 1. histor. Valentiæ lib. 1. cap. 21. fol. 174. n. 97, & tom. 2. lib. 3. c. 14. fol. 61. n. 19.

F. Ven. Joannes Baptista á S. Elisabetha ortus est in Castello Sanniti de Pissina anno 1600; & hábitum Discalceatorum assumpsit Romæ anno 1634. die 13. Novembr. Inter pietâtis exercitia erga peste laborantes óbiit pie Romæ in cœnobio JESU MARIÆ die 24. Januar. anno 1657. ætat. 67. Agit de illo Joannes Bartholomæus Lustro 13. fol. 399. n. 129.

G. Ven. Angelicus á S. Erasmo Neapoli ortus est anno 1622, & cum esset 17. annorum, professus est inter Discalceatos die 2. Junij ann. 1639. in cœnobio S. Nicolai Neapoli. Magno cum virtûtis flóruit exemplo: óbiit summa cum pietâte die 25. Januar. anno 1673; & post mortem nonnullis clâruit prodîgiis. Agit de illo Joannes Bartholomæus Lustro 17. fol. 470. n. 33.

H. Ven. Paula Aguilêra flóruit in Peruntina Provincia in cœnobio Incarnatiônis magna sanctitâte: fuit soror Ven. Annæ de Vera, de qua agendum est die 1. Maij. De illa agit late N. Joachim. Brulius in histor. Peruana lib. 7. c. 15. n. 16, ubi ait óbiisse, die 25 Januar. ann. 1613; agit etiam de illa N. Cyprianus de Herrêra Peruntinus in prologo ad vitam S. Toribii, cujus liber servatur in nostra Bibliotheca Eborensi, ubi áfferit de illa plura, dicens tamen, illam óbiisse 29. Junii.

I. Ven. Mariánna de Jesu flóruit in cœnobio Salmantino Conceptiônis, ubi inter Móniales magnam sanctitâtis proméruit opiniónem, qua óbiit die 25. Januarii anno 1660. Agit de illa N. Villerin. tom. 2. sui Solaris lib. 17. tract. 3. fol.

SEPTIMO KALENDAS FEBRUARIJ.

XXVI.

A. Apud Peloponesum, in oppido dicto Spoleto, passio gloriósa B. Nicolai de Tolentino, Hispani, viri religiosíssimi, qui, cum in Cæsarianis esset castris, dum bellum agerêtur in Peloponeso ad propugnationem Moronii, & Coronæ, ipse Christi imaginem déferens, ánimos militum in hostes inflammans, á Turcis cáptus, & prius verbéribus, & aliis cruciátibus afflictus, póstea singulis corporis sui partibus membrátim exsectis, spíritum reddidit Creatóri suo triumphantem. *B.* In Provincia Saxóniæ, in monastério S. Edilburgæ óbitus S. Theoritgidæ Virginis, quæ in cælum aspéxit ascendere ánimam éjusdem S. Edilburgæ ibídem mónialis, & postea religióse vivens, óbiit sanctis opéribus exornâta. *C.* Parisiis, in monastério Kalensi, pretiosa mors S. Bothildis Reginæ Francorum, quæ, cum nupta esset Clodovæo Regi, & ex illo gígneret Clotarium, Childericum, & Theodoricum, post viri óbitum, monastério Kalensi fundato, ibi reliquum suæ vitæ tempus sanctíssime transégit. *D.* In cœnobio Messinensi S. Restitutæ depositio Ven. Andreæ á S. Josepho

Joſepho Laici, qui ibi inter Diſcalceatos raro vixit exemplo; ejus enim vita, vel erat orâre, vel libros ſpirituales légere. In pœnitentiis fuit rigidus, in charitâte erga pauperes ſingulâris, in modeſtia, & humilitâte conſpicuus. Cum autem ſenio confectus eſſet, hac die piiſſime ſupremum diem clauſit. *D.* Goæ in cœnobio S. Mónicæ tránſitus Ven. Meciæ de Jeſu ibídem mónialis, ubi vitæ puritâte, patientia in labóribus, & in firmitâtibus cláruit: fuit etiam erga altáris ſacramentum devotiſſima: donec bréviter conſummâta, óbiit dulciter in Dómino, & poſt mortem appáruit gloriósa. *F.* Hiſpaniæ in cœnobio Gihon Recollectarum pretióſa mors incomparabilis Viráginis Maríæ á S. Thoma, fundatrícis Recollectarum in oppidis Lantus, & Gihon: cujus vita tôta fuit converſátio in cælis; continue enim illam ſancti, & Angeli viſitábant, & Chriſtus, & B. Virgo favóribus recreabant: tandem, cum eſſet magis cæli, quam terræ íncola; ad ſúperos hac die ſanctiſſime volavit. *G.* Alchódii in cœnobio S. Sepúlchri tránſitus Ven. Angelæ á S. Joanne Baptiſta, quæ adhuc puella in domo parentum cæpit exercére virtûtem pœnitentiæ; & in Religióne omnes adamuſſim obſervâvit virtútes. In ſilentii obſervantia fuit mirábilis, aliquando enim Adventus, & quadrageſimas íntegras ſine prolatióne verborum tranſibat, & cum reſpondére cogebátur, ſe ſe nutibus explicâbat: in abſtinentia quaſi totam vitam duxit, addens plura panis, & aquæ jejunia, & brevem cibum, quo reficiebat vires, plerumque rebus amaris commiſcebat. Se ſe ciliciis aſperrimis, & diſciplinis cruentis macerâbat. Per ſeptémdecim annos non ſe ad dormiendum exuit indumentis, ſed in ſolo ſedens breves ſomnos capiébat, & aliquando in choro orans per integras noctes tranſibat, in modum crucis proſtráta. In obſervantia mirum de ſe præbuit exemplum. Sic in Dei amore flagrâbat, ut ſæpius ægritudinem contráheret, audiens Deum ab aliquo graviter eſſe offenſum. In animi, & corporis puritâte fuit mirabilis. Tantæ virtútis ínvidus ſátanas illam orantem crudeli álapa percuſſit, & in terram proſtrávit: altera vice illam per ſcalam dejécit, & cicatrícem íntulit crudelem. Dónec dolóribus oppreſſa, ad ultimam horam perveniens, répetens cum ſumma teneritúdine: patiar pro te, Deus meus, qui pro me tanta paſſus es: inter pios ſui cordis affectus, hac die ánimam exhalâvit.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM SEXTUM JANUARIJ.

A. B. Nicolaus de Tolentino Hiſpanus, cœnobii Salmanticenſis fuit gloriósus alumnus, ubi promiſit Deo, & Religióni tria vota die 26. Januar. anno 1526. Cum eſſet in expugnatióne Peloponeſi, á Mauris captus, crudeliter trucidâtus eſt anno 1538. De illo agunt NN. Herrer. in Alph. tom. 2. fol. 175, Torelli in Centur. 4. cap. 77. fol. 473, & in Sæculis tom. 8. fol. 214. ann. 43 Cruſen. in Monaſtic. Auguſt. fol. 197, Maygretius in Surculis Sacris cap. 17, Pamphil. in Chron. fol. 114; Simplicianus á S. Martino in Vitis SS. Ordinis fol. 678, Portillo hac die tomo 1. fol. 235. Joſephus à D. Antonio tom. 1. SS. fol. 516. num. 10.

B. S. Theoritgida virgo flóruit in Anglia ſub diſciplina S. Edilburgæ, cujus ánimam in cælum vidit aſcendere: flóruit circa ann. 700. De illa agunt Acta SS. Bollandi hac die. Quod autem útraque noſtri fuerit Ordinis, dicendum eſt, dum de S. Editdurga die 7. Julii.

C. S. Bothildis, ſeu potius Chrotildis Galliam ſanctitâte illuſtrâvit. Eam fuiſſe N. Ordinis áſſerunt Tábulæ Ordinis. De illa tractant Martyrolog. Rom. Gallicum, & Bollandus hac die.

D. Ven. Andreas á S. Joſepho ortus eſt in oppido S. Marci Diœceſis Meſſinenſis, anno 1600. Inter Excalceatos admiſſus, tria Deo vota promíſit ſub ſtatu Laicáli anno 1632. die 20. Aprilis in cœnobiæ Meſſinenſi, ubi in oratióne, & ſacrorum lectióne vitam tolerâvit: unde dídicit pœnitentiæ, & charitâtis erga omnes ſémitam ſequi; donec, cum eſſet octoginta duorum annórum, hac die anno 1682. in cœnobio Meſſinenſi S. Reſtitútæ ſupremum diem clauſit. Agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Luſtro 18. fol. 512. n. 85.

E. Ven. Mecia de Jesu natalem habuit in India Orientali in civitate Baçaim, parentes habuit Alvarum Pinto de Siqueira, & Catharinam Fagundes, qui nobilitâte, & divitiis coruscabant. Post patris óbitum, connubiis pluribus contemptis, Ven. Mecia, & si valde ægrotans, hábitum suscépit anno *1610* die 10 Novembri in cœnobio S. Mónicæ Goensi, illam admittente N. Ven. Alexio de Meneses Archiepiscopo tûc Goensi, & cœnobii fundatóre, & anno transacto professionem emisit in mánibus ejusdem Archiepiscopi die 11. Nov. an. 1610. Inter multas infirmitâtes, quas summa patientia tolerâvit, vixit in Ordine. Floruit devotióne erga Sanctíssimum Sacramentum. Claruit pluribus virtutibus; & visionem cœlestem hábuit, unde sibi sui óbitus dies fuit manifestus: óbiit tandem pie die 26 Januar. an. 1611, & post mortem visa est inter alias soróres gloriósa. Agit de illa Fr. Augustinus á S. Maria Discalceatus in histor. Goensi lib. 4 cap. 17. fol. 729. an. 415.

F. Ven. Maria á S. Thoma mónialis fuit raræ sanctitâtis; cum solum novem ætatis annos attigisset, inter móniales Augustinianas admissa est in cœnobio Recollectarũ Vallisoletano, ubi plures á cœlo experta est favóres. Post aliquot annos professionis ab hoc cœnobio assumpta est ad fundatiónem cœnobii de Lanhes, & postea ad fundatiónem Gihon, ubi post aliquot annos rara sanctitâte transactos, plena virtutum méritis, & cœlestibus prodigiis, ad Sponsum cœlestem, quem únice dilexit, felici transitu evolâvit die 26 Januar. anno 1668. corpus ejus pópulo per quatuor dies expositum, suavem exhalábat odórem. Agunt de Ven. Maria lato calamo NN. Villerin. tom. 2. Solaris Augustin. lib. 24. Tract. 3, á fol. 141. usque ad *192*, Josephus á D. Antonio tom. 1. Floris SS. á fol. 265 usque ad 305.

G. Ven. Angela á S. Joanne Baptista ortum habuit in oppido Alchodii, ex parentibus Georgio Maôre. & Josepha Mallot: cum viginti ætatis implesset annos, hábitum Augustinianum inter móniales cœnobii S. Sepulchri Alchodii suscépit, & ibi Deo per tria vota ligata est 8. Martii anno 1616, ubi rara sanctitâte vixit, & óbiit die 26 Januar. an. 1680. De illa plura narrant NN. Villerin. tom. 3. Solaris Augustin. lib. 26. tract. 2. fol. 146. Jorda tom. 2. histor. Valentiæ lib. 5 cap. 5. n. 7. fol. 507.

SEXTO KALENDAS FEBRUARIJ.

XXVII.

A In Scotia transitus S. Palladii Episcopi, & Cardinalis, qui é Græcia, unde est ortus, in Africam devéniens, ibi Augustinianum amplexus est institútum, & inde ab eodem S. P. Augustino Romam missus, á S. Cœlestino Pontifice creátus est Diáconus Cardinalis S. R. Ecclesiæ, & ab ipso missus est in Angliam, ut Agricolæ hæretici discipuli errores extingueret; sed cum in Scotiam appélleret, ab ipso Pontifice creatus est ejusdem insulæ Episcopus, ubi mirabili sanctitâte vixit: & plures ad Christi fidem reduxit; donec innumeris méritis, & miraculis clarus, ad consortium beatorum translâtus est. *B.* In Anglia depositio S. Gildæ Albani confessoris, qui fama S. Patritii commôtus, in Hiberniam ad eundem pervênit, sub cujus disciplina breviter glorioso fecit progressus: postea in Angliam devéniens, & eremum hábitans, fama sanctitâtis multos sibi commilitónes adjunxit, quos amôre, & charitâte erudiebat, exemplo magis, quam verbo. Sanctitâtem ejus Deus prophetiæ dono illustrávit; ducentos enim ante annos Hispaniam totam à Mauris esse præoccupandam prædixit. Tandem senio confectus, & virtútibus illustris, hac die é vivis ad súperos translâtus est, & post mortem innúmeris claruit miraculis. *C.* Catalauniæ in cœnobio Fargatensi óbitus S. Emerii confessoris, & Eremitæ, qui cum pluribus miraculis coruscâret, ibídem in pace quievit, & illi quotannis officium cele-

celebrâtur, nec illum Deus ceſſat miráculis celebráre. *D.* In territorio Lingonico Civitâtis Urgolenſis, Caſtro Tarnodoro natale S. Joannis Abbatis, qui cum prius Lerinenſe inſtitutum obſervaſſet, primus monaſterii Robonecenſis hábitator, & multorum monachorum pater, tandem longo confectus ſenio, virtútibus, & miráculis clárus, oratiône enim baſiliſcum interémit, & puteum, in quo ille latitabat, monachórum uſibus planum reliquit, hac die in cælum migrávit. *E.* Hiipali in cœnobio S. P. Auguſtini Venerabil. Joannis Sedeno confeſſoris, Provinciæ Bethicæ alumni glorióſi, glorioſis enim clâruit virtútibus, donec prædicto ſuæ mortis die, hoc, ex vitæ hujus miſeriis ereptus, in æternam tranſiit fælicitátem. *F.* Méxici in cœnobio Tlayacapan memoria Ven. Petri Suares confeſſoris, viri eximiis clari virtútibus; flóruit enim mirábili ſilentio, & ſolitúdine, in cella enim fere ſemper recluſus jacebat, & inde ſolum ad actiônes exîbat communitâtis. In pœnitentia fuit mirábilis, ſemper enim aſpera veſte, & ciliciis uſus eſt, & pro cibo ſolum herbas, & terræ fructus veſcebâtur, & in Adventu, quadrageſimis, & vigiliis D. Noſtræ pane duntaxat, & aqua ſe refocillabat: ſuper nudam, & duram tábulam cubabat, & illi cúlcitra lignum erat aſperum: fere ſemper oratiôni vacábat, in qua, & in Miſſæ ſacrificio plúrimas effundebat lacrymas. Tanta enim erat illi opinio ſanctitátis, ut creátus eſſet Epiſcopus Xaliſci, ſeu Guadalaxaræ, quod munus ſolum ab obedientia coâctus acceptavit, ſed ante conſecrationem gravi, & lethali morbo eſt oppreſſus, & ante obitum dixit: Gratias do Deo infinitas, quia non ſolum caſtitâtem ſervavi, ſed etiam valde ſum venerátus; & ſuſceptis ſumma cum pietâte Sacramentis, Creatori ſuo ánimam hac die tradidit coronandam. *G.* Barbaſtri in Aragonia depoſitio Ven. Franciſci Lopeſii Epiſcopi, & confeſſoris, qui in Cyracuſano cœnobio mónachus attonſus, & ſcientia clarus, virtútum omnium cláruit ſplendore: fuit in obſervantia rigidus; erga infirmos mirábilis charitâte, quos ſolabatur verbis, & recreâbat deliciis. Cum eſſet lector primarius Academiæ Oſcenſis, à Carolo 2. factus eſt Epiſcopus Boſſenſis in Sardinia, & in tuam Eccleſiam profectus, omnia reformâre cœpit. Ex hinc ad eccleſiam Barbaſtri translatus, rara erga pauperes charitâte fulſit, infirmos alacriter, & abundanter recreabat: jejunia & ſenex omnia, etiam Ordinis ſervábat. Adhuc Epiſcopus ſibi lectum conponebat, de quo ab uno argútus, reſpondit: nunquid Epiſcopi neſciunt componere lectum! Humilitâte claruit, & hanc in veſtibus oſtendebat pauperrimis. Suam Diœceſim continue viſitábat, ovium ſuarum ſaluti cónſulens, omnia ſumma juſtitia, & æquitâte diſponebat. Cultui Divino addictiſſimus erat, & miro affectu ſanctiſſimum venerabâtur: caſtitâtem perenniter coluit. Tandem innúmeris cumulâtus méritis, & claris ſanctitâtis indiciis, hac ipſa die in cælum migrâvit, & poſt mortem multis cláruit prodigiis. Corpus ejus ſepultum eſt in Cathedrali Barbaſtri; cor tamen ejus in Eccleſia noſtri Ordinis prope Barbaſtrum reconditû eſt. *H.* Ferrariæ in territorio Mediolanenſi Ven. Petri Mariæ Excalceati, qui in Religiône cláruit devotiône, obſervantia, obedientia, ſolitúdine, oratiône, & ſpiritualium librorum lectiône: de ſe omnibus dabat exemplum ſingulâre. Cum in cœnobio Ferrariæ Priórem ágeret, raram fécit habéri obſervantiam, & devotiônem S. Joſephi mirabíliter adauxit; flóruit charitâte erga omnes, & præcipue infirmos. Tandem ſenio oppreſſus, finem vitæ ſancte impoſuit hac die in Cœnobio Ferrarienſi. *I.* Segorbi in monaſterio S. Martini tranſitus Ven. Catharinæ á S. Didaco ibídem mónialis, cui adhuc ſæculari ſatanas apparuit, illamque minitâtus eſt; illa tamen, ut ſatanæ minas vitaret, in eodem cœnobio hábitum converſæ recépit; & de ſe dedit omnium virtûtum indicia, flóruit nimia charitâte erga omnes, in abſtinentia fuit ſinguláris, in humilitâte mirábilis, ſilentio rara, oratiône continua, tandem gravi ægritudine toleráta, ſpiritum hac die piiſſime exhalávit.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM SEPTIMUM JANUARIJ.

A. S. Palladius Græcus, ut tenent plures cum Baronio, vel Britanus, ut tenet Poſſevinus, vixit ſub diſciplina S. P. Auguſtini, ut iſtemet refert in Epiſtola 94. his verbis: Venerábilis filius noſtro littore navigarat beneficium poſcendo, magis dedit, & non ſolum eum benignitâti tuæ, verum etiam meipſum ejus orationibus commendarem. In Italiam profectus, á Cæleſtino 1. creâtus eſt Diaconus Cardinalis, & poſt ab eodem creâtus eſt Epiſcopus Scotiæ, ubi rara ſanctitâte flórens, poſtquam plures ad fidem lucrifecerat, ad ſúperos volávit, ut nonnulli áſſerunt, die 27. Januarii, ut alii réferunt, die 6. Julii, anno 431. ſeu 432. De illo agunt Baronius, Ferrarius, Martyrologium Anglicanum, & Acta SS. Bollandi. Ex noſtris vero Torelli in Centur. 1. cap. 18. fol. 56; & in Sæcul. tom. 1. anno 429. fol. 572, ubi ait, S. Palladium prius fuiſſe diſcipulum Joannis Patriarchæ Hieroſolymitani, & poſtea in Africam profectum, ſub S. P. Auguſtini diſciplina vixiſſe: cum vero exinde in Siciliam, & Romam deinde pérgeret, á Cæleſtino factus eſt Cardinalis, unde in Angliam tendens, & Scotiam petens, Pelagii errores debellavit, & tandem, poſt converſiônem multorum, in cælũ ábiit: etiam Critana in Epitome Hiſtoriæ, Arpe tom. 1. SS. die 27. Januarij fol. 50, Franciſcus Ribera in vita S. P. Auguſt. p. 2. lib. 4. cap. 12. fol. 355. n. 429, Campos lib. 3. cap. 47; Nativitas Monte 2. Coron. 2. §. 7. fol. 307; & alii, & Acta SS. die 6. Julij.

B. S. Gildas Albanus in Anglia natus eſt anno 454: factus adoleſcens, motus ſanctitâte S. Patritii, ad illum profectus eſt, ſub cujus diſciplina profécit valde in ſanctitâte, & ſcientia, taliter, ut inter omnes ſapiens appellarêtur. Poſt annos in Angliam perrexit, & in eremo cænobium fundâvit, ubi plures ſibi ſocios capulávit, quibus rarum in ſanctimónia præbebat exemplum. Cum ergo prophetia clarus exiſteret, méritis, & annis cumulátus, ad ſúperos volâvit hac die anno 543; & poſt mortem innúmeris cláruit miraculis. Agunt de illo NN. Torelli in Sæculis tom. 2. an. 543 fol. 216, Jayme Font in Viridario SS. die 26 Januar. fol. 369, Elſſius in Encom. qui de illo ait plura. Vide 29 hujus.

C. S. Emerius Gallus fuit, cujus conceptio, & ortus nuntiâtus eſt parenti, unde mater aſpexit de ſe vitem prodíre adeo extenſam, ut omnem terram tégeret, ſubtus quam erat columba é cælo delapſa: etiam vidit, & audivit, B. Virginem ſibi arridentem, & dicentem; ne timeas; rogavi Filium meum, ut tibi fructum benedictionis dediſſet. Crevit ergo puer, & brevi in virtúte raros egit progreſſus. Ne miles fieret, in montána Catalauniæ aufugiens, ibi Eremitico indutus eſt habitu, & in omni cæpit virtúte coruſcâre. In bellum ductus á Carolo Magno, cum militibus déferent eſculenta, ſuis précibus à cælo panem copioſum eſt adeptus, quo famem ſatiâvit exercitus, & plures fame mortuos ad vitam revocâvit: leônem ferociſſimum multos occidentem interfecit. Hinc perréxit in oppidum Banols, ubi ædificato cænobio vitam cæleſtem duxit, ob quæ à dæmone plura eſt perpeſſus, ſed, ab Angelis adjutus, illum ſuperavit. Multa patravit miracula; donec tot virtútibus, & ſignis coruſcans, hac die ad ſúperos volâvit anno 810, ſepultuſque eſt in ſuo cænòbio, ubi multis claret prodigiis. De illo præter extraneos agunt NN. Jorda tom. 3 Hiſtor. Catalauniæ lib. 1. cap. 34 fol. 343, ubi late probat illum noſtratibus pertinére, & Jayme Font. in ſuo Viridario hac die fol. 372.

D. S. Joannes Abbas in Lerinenſi cænobio flóruit, & poſtea Abbas Robonecenſis ſancte óbiit 27. Januar. circa ann. 545. ante Benedictinos Corpus ejus ter translatũ fuit: 1. circa ann. 600. 22. Sept. 22. Martii circa ann. 800. 3. 28. Aug. circa ann. 900. De illo agit Boland. in Actis SS. tom. 2. Januar. fol. 857. videatur num. 7, & 8.

E. Ven. Joannes Sedenno fuit Provinciæ Bethicæ felix alumnus, donec in cænobio Hiſpalenſi inter magnæ ſanctitâtis indicia, é vivis exceſſit hac die anno 1599 Agunt de illo Herrer. in Alphab. tom. 1.

fol. 413, Elss. in Encom. lit. I.

F. Ven. Petrus Suares de Escobar Metellini ex extremis Dorii, é parentibus satis claris ortus est: cum puer esset adhuc, & animam exhalaret, quia frustro ferreo suffocâtus erat, é periculo Virginis ope evasit. Mexici hábitu nostro est indutus; claruit heroicis virtútibus: post plures in Ordine dignitâtes, elactus est Episcopus Xalisci an. 1590. á Philippo 2, sed ante consecratiônem occubuit hac die 1591 in oppido Flayacapan. Agunt de illo NN. Herrer. tom. 2 fol. 251, Elssius in Encom. lit. P; Portillo hac die in M. S. Calançha in histor. Mexici, & Torell. Centur. 3. cap. 89 fol. 617, Nativitas Monte 3. Coron. unica lit. P. fol. 637.

G. Ven. Franciscus Lopes de Urraca ortus est in oppido de Almunia, patris nomen erat Martinus Lopes, & matris Anna Gomes: desiderio religiônis accensus, hábitu Augustiniano indutus est in cænobio Cyracusano, ubi professionis tempus implévit die 6. Octobris anno 1626. In Religiône cláruit scientiis, & virtútibus, quas referâre longum esset, ob quas anno 1670. creátus est Episcopus Bossensis in Sardinia, & consecrátus est in cænobio Cyracusano in Dominica in Albis 24. Aprilis an. 1672. á D. Fr. Francisco de Gâboa Archiepisc. Cyracusano, adstâtibus Episcopis D. Fr. Bartholomæo de Foncalda Episcopo Oscẽsi & D. Fr. Andrea Aznar Episcopo Jacæ, nostri Ordinis omnibus. In Episcopatu mirábilem se ostendit in regimine, fuit enim vere pater pauperum, & pastor ovium. Anno 1982. in Hispaniam rediit factus Episcopus Barbastri, ubi mirábili sanctitâte vixit, & óbiit hac die 27. Januar. anno 1695. Ejus vitam lato cálamo conscripsit N. Jayme Jorda tom. 3. in histor Aragon. lib. 2. cap. 10. á fol. 138. usque ad 175.

H Ven. Petrus Maria ortus est Ferrariæ anno 1613, filius fuit Agazini á Secretis Ducis Mediolanensis; hábitum Excalceatôrum induit mense Junio an. 1631, & anno sequenti professionem émisit, & inde in omnibus se clárum fecit virtûtibus, præcipue charitâte erga omnes, & devotiône erga D. Josephum: donec, cum jam 73. annorum esset, gravi morbo correptus, óbiit sancte in cænobio Ferrariensi hac die, anno 1686. Agit de illo Joannes Bartholomæus Lustro 18. n. 510. fol. 579.

I. Ven. Catharîna á S. Didaco ortum hábuit in oppido Sarrion Diœcesis Tervelensis Regni Aragoniæ, ex parentibus Petro Casas, & Magdalena Lopes; hábitum monialium suscepit in cænobio Segorbiensi S. Martini, in statu conversæ, ubi vivens mirábilis sanctitâte, cum 72. annos ætatis, & 44 religiônis hábéret, summa cum pietâte óbiit hac die anno 1658. De illa late agunt NN. Villerin. in Solari Augustiniano lib. 41. tract. 2. fol. 245, Jorda tom. 2. histor. Valentiæ lib. 5. fol. 694. n. 19.

QUINTO KALENDAS FEBRUARIJ.

XXVIII.

A. In monastério Lirinensi óbitus S. Joannis Confessoris, qui, cum summæ opinione dégeret sanctitâtis, hac die ad súperos felici fato decessit. *B.* In eodem die festivitas B. Veronicæ de Binasco Virginis, quæ, cum in cænobio Mediolanensi S. Marthæ Idibus Januarii óbiisset, indultu Clementis Decimi, hac die in nostro Ordine celebrátur. *C.* Prope Bruxellas martyrium Beatórum Gerardi Ridder, & Henrici Zeguero Flandrorum, qui pro fidei confessione, & defensiône á Gueſis hæreticis, pugnis, fustibus, & calcibus oppressi sunt, ut fidei essent desertores; sed constantes in fide, per pectora ense transfodiuntur, & glorioſum sic martyrium consummarunt hac die, & eorum corpora sana, & incorrupta postea reperta, in Ecclesia Derisborchensi honorifice condita sunt. *D.* Pisis in Ecclesia S. Nicolai mors pretiósa B. Fini Confessoris, qui de se præbens rarum

sanctitâtis

sanctitâtis exemplum, ergastulum hujus sæculi pro æterna glória feliciter commutávit. *E.* In cænobio Ilicetano óbitus Ven. Tiberii Piccolominei Senensis Confessoris, viri incorruptis móribus, & cláris virtûtibus exornáti; qui, cum mirábili humilitâte coruscáret, qua duce, nisi obedientia constrictus, sacris voluit initiari, hac die clárus méritis, é vivis decessit. *F.* Mexici beata dormitio Ven. Francisci de Medina Confessoris, qui in religióne magni religiósi nomen acquisivit; fuit enim observantissimus, in chóro assíduus, pœnitentia rigidus, cilicio perpetuo usus est; donec annis, & méritis plénus, cognito mortis die, é vivis sublâtus est hac die. *G.* In Hispania memória Ven. Stephani de Salazar Confessoris, viri doctrina clári, linguas enim Hebraicam, Græcam, & Latinam insigniter loquebâtur; cum autem in religióne summa cum pietâte vixisset, desiderio maioris observantiæ ad Carthusianos pertransiit, ubi summa cum laude vivens, hac die pie decessisse refertur. *H.* Valentiæ in Hispania depositio Ven. Vincentiæ Ferrer mantellatæ, quæ sub disciplina Ven. Josephi Ramos, fuit perfectiónis speculum, & omnium virtútum splendóribus exornata; cum ergo plúres per annos mantellatarum Priorissam ágeret, hac die pie decessit.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM OCTAVUM JANUARIJ.

A. S. Joannes Mónachus Lirinensis in eodem cænobio flóruit circa ann. 530, de quo pridie, & in hac die cólitur. Agunt de illo plures, ex nostris Elssius in Encomiastico lit. I. Videátur Herrer. tom. 2. Alph. lit. L. de monast. Virorum, & Acta SS. hac die. Vide hic 15. April.

B. B. Verónica de Binasco óbiit sancte idibus Januarii, in quibus de illa mentio facta est; hac veró die in nostro Ordine celebrátur indultu Clementis X.

C. BB. Gerardus Ridder, & Henricus Zeguero apud Bruxellas comprehensi ab hæreticis, & varie torti, tandem gládio percussi, hac die, & anno 1587. glorioſum fidei orthodoxæ testimónium addidêre. De illis agunt NN. Maygret. in Martyrog. Cruſen p. 3. c. 43, Herrer. lit. G. fol. 290, Josephus á D. Antonio in Flore SS. fol. 305; Arpe tom. 1. SS. fol. 100. Elss. in Encom. Augustin. lit. G. Portillo tom. 1. SS. fol. 253.

D. B. Finus Buris Pisanus flóruit sanctitâte circa annum 1262, de quo ob incuriam antiquórum cætera ignorantur. De illo tamen agunt NN. Marquez, Cruſenius, Herrera in Alphab. tom. 1. fol. 224, Torelli Centuria 2. cap. 16. fol. 152. Elssius in Encomiastico lit. F.

E. Ven. Tiberius Piccolomineus é nobili prosapia natus, Ilicêti hábitum Augustinianum susscépit per manus P. Fr. Silvestri Collensis Vicarii Generális Congregatiônis Ilicêtanæ die 30. Junii anno 1535, & post duodeviginti menses professiônem émisit die 2. Januarii anno 1536. in mánibus Priô. Fr. Gregorii. Hic est ille, qui Ilicetanam Congregatiônem, patriam Senensem, & Ordinem condecorávit nobilitâte, probitâte, & post 47. annos, quibus sancte in Congregatióne vixit, in Cælum, ut méritis tantis præmia perciperet, felici fato hac die, & anno 1582. volávit. De illo mentiônem faciunt NN. Herrera tom. 2. lit. T. fol. 460. Elssius in Encom. lit. T; Ambrósius Landucci in Sylva Ilicetana fol 153. Elogio 9. inter venerábiles, Torelli tom. 8. anno 1535. fol. 198. n. 15.

F. Ven. Franciscus de Medina Mexici flóruit: de illo jam mentiônem fécimus die 2. Januarij; hac enim die de illo agit N. Portillo in m. scriptis.

G. Ven. Stephanus de Salazar Granatensis, in Salmanticensi domo die 28. Januarii professus est ann. 1548: in Mexicum inter primos profectus est, & ibi Evangelii fuit glorióſus minister. In Hispaniam rediens, ad Carthusianum ordinem postea transiit, & hábitum recépit in monastério Portæ Cæli; & Carthusiæ Xeresianæ, & idem ejusdem ordinis domibus duabus præfuit; dónec plúribus opéribus, & méritis clárus, pie óbiit die 28. Januar. anno 1596, ut áit Thadæus Petreius in Bibliotheca Carthusiana fol. 262, & NN. Herrer. in Alphab. tom. 2 fol. 402, Elss. in Encom. lit. I, Torelli in Sæculis tom. 8. fol. 507. anno 1568. n. 34, & fol. 531.

anuò 1569. n. 30. Videatur Hiſtoria Salmanticenſis Herreræ, ubi late de illo ágitur, & Portillo tom. 1. SS. Ord. fol. 241.

H. Ven. Vincentia Ferrer; & Bencito, Valentiæ orta eſt; poſt annos inter Ordinis Mantellatas locum hábuit in cænobio de Succurſu, ubi profeſſiônem émiſit, & ſtatim cæpit per viam virtútum incédere, per continuam oratiônem, plura jejunia, aſperas diſciplinas, córporis maceratiônem, frequentes communiônes, & alia charitâtis ópera: & ſic erat omnium virtútum exemplar mirábile; dónec annis, & méritis plena, perceptis ſumma cum pietâte ſacramentis, ánimam exhalâvit die 28. Januarij anno 1590, & ſepulta eſt in cænobio Valentino de Succurſu ſubtus aram Virginis de Pietâte; & anno 1674. translatæ ſunt ejus exuviæ in arca nucis, & ſuper illam célebre eſt impóſitum elogium. De illa agunt NN. Herrer. in Alphab. tom. 2. fol. 535; Jayme Jorda tom. 2. Chronicæ Valentiæ lib. 3. cap. 5. fol. 16, & Joſephus á D. Antonio in Iman Spirituali fol. 79, n. 55.

QUARTO KALENDAS FEBRUARIJ.

XXIX.

A. Cyracuſis in Hiſpania tránſitus S. Tayônis Epiſcopi, & Confeſſóris, qui á téneris mundo valedicens, hábitum Eremiticum ſuſcépit in cænobio Maſſenſi apud Cyraculas, ubi tunc Religio maxima cum obſervantia florebat; & cum ſcientia, & ſanctitâte flóruiſſet, poſt óbitum S. Braulii, invitus, Cyracuſanus Epiſcopus eligitur; ubi erga pauperes fuit liberaliſſimus, erga orphanos patronus; bonos cordiáliter recipiebat, malos arguebat. Miſſus fuit á Concilio Toletano Romam, ut libros Moralium D. Gregorii péreret á Martino primo, ſed cum non reperientur, S. Tayor noctu orans in Eccleſia S. Petri, divinitus nóvit, unde Moralia prædicta eſſent; & tandem accéptis libris, in Hiſpaniam rédiit lætabundus; ubi poſtquam variis interfuiſſet conciliis, múnitus Sacramentis, hac die ſancte ad ſúperos volâvit. *B.* In minori Britannia, in territorio Venetenſi memória S. Gildæ, ſeu Gildarii Abbatis, & Confeſſoris, qui é regio Britannorum ſanguine ortus, B. Hilduto Eremitæ S. Germani Epiſcopi Pariſienſis diſcipulo tráditus, virtútibus, & prophétia clárus, hac die ſancto fine quievit. *C.* Mexici apud Indos depoſitio Ven. Leſmis á S. Jacobo Confeſſoris, qui ibidem noſter factus in cænobio S. P. Auguſtini, vitam inter aſperas duxit pœnitentias, & oratiônem continuam; dónec ad metam vitæ pervéniens, pie é vivis decéſſit. *D.* In Provincia Peruana memória Ven. Franciſci Martines, qui á Deo illuſtrâtus; vitam cæpit perágere inter jejúnia, pœnitentias, & cilicia, crúces, & aſpera flagélla, & continuam oratiônem, obquæ á dæmone gráviter tentâtus in caſtitâte, ad Eccleſiam pérgens, é túmulo abſtulit defuncti corpus, & in cubiculum detulit, & illud amplexus, cum illo cubâbat, obquod proméruit in tali vitio numquam amplius tentári. In converſiônem gentilium ſecedens, multos ad veram redúxit fidem, deſtruens idóla, & demones avertens. Ordinis abhorrebat dignitâtes, táliter, ut, cum Provinciâlis electus eſſet, múnus recuſáverit, dicens, maiorem ratiônem Prælátos eſſe Deo datúros pro una regiminis hora, quam pro duóbus annis ſubditos; & ſic in Philippinas profectus, in itinere ſpiritum Deo dedit glorióſe. *E.* Matriti óbitus Ven. Andreæ ab Incarnatiône, qui inter Diſcalceâtos aſſumptus, ſtatim ſtudiis, & virtûtibus cæpit coruſcâre. Obſervantiæ fuit zeloſiſſimus, obedientia clárus, caſtitâte Angelus, paupertâte eximius, non enim alias ſupellectiles hábuit, etiam cum Provinciális eſſet, niſi unum hábitum, Breviarium, Roſarium, & diſciplinas: & jejuniis fuit aſſiduus; pro lectulo ſibi duas tábulas compoſuit. Erga pauperes fuit valde miſericors. Tandem annis, méritis

tis plenus, hac die felici fato decessit. *F.* In Monte Ortone depositio Ven. Hilarii Patavini, qui in Religióne litteris, & plus virtútibus flóruit; per viginti, & duos annos vixit incredibili pœnitentia, pane, & aqua duntaxat ad mensuram contentus. Solitudinis amicus, é cœnobio, sine gravi necessitâte, non egrediebâtur. Vi ferri, sanguinis, & famis puritâtem servâvit. Sæpe noctes insomnes oratióne transibat. Erga pauperes erat clementissimus, quos, ut póterat, recreábat. Flóruit humilitâte, & paupertâte in gradu excellenti. Deum sæpe rogabat, ut sibi patiendi motiva plúra, & maiora concederet. Obiit tandem hac die in Monte Ortone, eádem, qua vixit, pietâte. *G.* Irlandiæ in monasterio Galviensi Recollectarum óbitus Ven. Christinæ á S. Dominico ibidem mónialis, quæ in religióne vixit clara sanctitâtis opinióne; erat enim B. Virginis devôta, cujus officium quotidie recitâbat, & animarum purgatorii; quarum officium etiam quotidie persolvebat. Ante quinquennium prædixit illud cœnobium, in quo erat, depopulandum esse ab hæreticis, ut de facto cóntigit. Tandem méritis cumulata, hac die pie decessit. *H.* In Civitâte Motrilensi regni Granatensis óbitus Ven. Sebastianæ á S. Maria, & á Cruce, ibidem primæ priorissæ, & fundatrîcis ejusdem cœnobii, sub régula S. P. N. Augustini, & invocatióne Nazarenorum, fœminæ magnarum virtútum, & prudentiæ in regimine, ob quæ magno in pretio apud optimates hábita est; dónec sanctis operibus exornata, hac die piissime decessit, & triduo populo exposita, suavem hnmorem exhalávit.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM NONUM JANUARII.

A S. Tayo ortus est Cyrácusis é parentibus nobilibus; frater fuit Honorati Archipræsulis Hispalensis, viri litteris, & sanctitâte celeberrimi. S. Tayo hábitum Mónachalem assumpsit in cœnobio SS. Massarum Cyrácusis fundato a N. S. Paulino Episcopo Nolano, ubi mirábili fama litterarum, & sanctitâtis degens, post óbitum S. Braulii, qui óbiit die 26 Martii anno 646, in ejus locum suffectus est, ex tunc cœpit boni pastoris partes adimplére; erga pauperes erat valde misericors, orphanos tuebatur, viduas fovebat, bonos amplectebatur, perversos arguebat, & omnes cœli semitam docebat. Regnabat Hispaniæ Chindesvintus Gothorum Rex, qui concilium triginta Episcoporum coegit, ubi, præter alia decreta, decretum est Tayonen Romam pétere, ut Moralia D. Gregorii adduceret in Hispaniam. Perrexit Tayo, & Martinum Pontificem petiit, & suum votum aperuit, & cum Morália non essent reperta, divinitus illi manifestantur, cum in Ecclesia D. Petri orasset; vidit enim mirábilem processionem sanctorum, inter quos ibat S. Gregorius, qui Tayoni revelavit, unde sua posset invénire Morália, addens: Beatum Augustinum virum excellentissimum, de quo quæris, altior á nobis continet locus: & hujus rei in memoriam in Vaticana Ecclesia prope aram S. Petri legitur hoc lemma: Tagioni Cæsar-Augustano Episcopo ad sepulchrum D. Petri pernoctanti, divina demum visione, Morálium libri B. Gregorii Papæ revelantur. Repertis ergo Morálibus in Hispaniam perrexit, ubi, postquam concilio octavo Toletano interfuisset anno 655, sancte in Domino quievit die 29 Januarii anno 659, regnante Recésvindo; & corpus ejus tumulátum est in templo Virginis do Pilar, cum celebri elogio. Agunt de illo ex exteris plures; ex NN. Jorda tom. 3. Histor. Aragoniæ lib. 1. c. 7. fol. 21; & Jayme Font hac die fol. 391, Ribera in vita S. P. Aug. lib. 5 cap. 2 fol. 417, & Ludovicus de Angelis in vita S. P. lib. 6. cap. 6. fol. mihi 183. ex Baronio.

B. S. Gildas, seu Gildarius, é regio Anglorum sanguine ortus est; Eremita Augustinianus factus est in minori Britannia sub S. Hilduto discípulo S. Germani, Episcopi Parisiensis, seu potius S. Patritii; & vivens claris virtutibus, & spiritu prophetiæ insignis, hac die sancte óbiit anno 543; de illo agunt Saussai in martyrol Gallico, & Bollandus in Actis SS. hac die; ubi num. 45 § 5. ait de S. Hilduto. Hic *S.* fuit Eremita, & floruit anno 516, quo anno adhuc regula Benedictina, nec etiam anno 660 Britanniam est ingressa. *C.* Ven.

C. Ven. Leſmes á S. Jacobo in cænóbio Mexicano *S.* P. Aug. illíus hábitum ſuſcepit, & raris floruit virtútibus, & óbiit anno *1575*. De illo agit N. Portillo die *29* Januarii tom. 1 SS. N. Ordinis.

D. V. Franciſcus Martines de Biedma Granátæ ortus eſt, fuit magnæ perfectionis vir: in ſchola Mexicana primarius Theologiæ profeſſor, & cænóbii Limenſis Præſul fuit. Cum eſſet in Perútina Provincia, honóres pertæſus, in Mexicum navigavit, & inde in Philippinas profectus eſt, ubi in itínere diem ſupremum vidit; ignoratur tamen óbitus modus. Grixalva enim aſſerit, illum cum ſociis naufragio periiſſe. Calançha tamen cap. 21 lib. 3. fol. 643. ait, navem, in qua ibat, vento impulſam in rupem cujuſdam inſulæ impegiſſe, & nonnullis ſociis inter undas ſummérſis, nonnullos ad terram incólumes perveniſſe, & inter eos fuiſſe Ven. Franciſcum. Cum ergo barbaris illis ille fidem prædicaret, Lanceis confoſſus, paſſus eſt martyrium. Obiit, vel naufragio, vel quod mage certum eſt, martyrio, ut conſtat ex archivis, & Peruntinæ Provinciæ Relationibus ex anno 1575. De illo agunt præter Grixalvam, & Calançham NN. Herrera tom. 1. fol. 229, & Portillo hac die, fol. 245. Elſſ. in Encom. Auguſt. lit. F, Torelli Cent. 5 fol. 577. cap. 49; Joſephus á D. Antonio in tom. 1. Floris SS. fol. 316. n. 11.

E. Ven. Andreas ab Incarnatione Matriti inter Diſcalceatos vixit, & óbiit magna ſanctitâtis opinione anno 1648, ut refert Fr. Ludovicus de Jeſu in Hiſtor. Diſcalceatorum Hiſpaniæ fol. 374.

F. Ven. Hilarius Patavinus, Patavii enim natus eſt, & profeſſionem in Monte Ortone emiſit, exquo tempore litteris dans operam, plus tamen virtútibus ſe tradidit; per duos, & viginti annos vitam pane, & aqua ad menſuram duntaxat toleravit, & ſic caſtitâtem perpetuam ſervavit. Noctes fere omnes orando conſumebat: humilitâte, & paupertâte cláruit, & dum extremum diem clauderet, dixit, magno gaudio intérire, quia ſine ullo óbolo vitam terminabat. Obiit relicta ſuæ ſanctitâtis magna opiniône hac die anno 1704. Agit de illo N. Arpe tom. 2. ſanctorum die 6 Julii fol. 13. aſſerens tamen illum óbiiſſe die 29. Januar.

G. Ven. Chriſtina á S. Dominico, mónialis fuit in cænobio S. Mónicæ fundato in Civitâte Galviæ Irlandiæ anno *1645*, ubi vivens claris ſanctitâtis indiciis, & ſpiritu prophetiæ illuſtris, óbiit hac die 29 Januarii anno *1683*. Agit de illa N. Villerin. tom. 2 Solaris Auguſt. lib. 9. fol. 46.

H. V. Sebaſtiana á S. Maria óbiit die 29 Januarii an. *1636*. ejus vita luculentius prælo paratur. De illa agit Relatio Joannis de Ariſtia impreſſa Matriti hoc anno, num. 9. fol. 36.

TERTIO KALENDAS FEBRUARIJ.

XXX.

A Barchinône prope oppidum Veger memória S. Ambroſii Confeſſoris, diſcipuli S. Paulini Epiſcopi Nolani, qui mirabili ſanctitâte vixit, & illam Deus dicitur miráculis comprobaſſe. *B.* Apud Maldobium in Hannonia tránſitus S. Aldegundis Virginis, & fundatricis monaſterii Maldobienſis, ac ejuſdem primæ Abbatiſſæ, ubi plúres ſorores ſub inſtituto adjungens, innocentiam vitæ ſervans, & pluries ab Angelis viſitâta, ſanctiſſime hac die decúbuit. *C.* In Saxia pretiôſa mors B. Viri Auguſtini Fivizani Confeſſoris, qui prius mundum contemnere, quam nóviſſe cálluit, fuit in Religióne obſervantiſſimus, & raræ humilitâtis, eximiæ charitâtis, & magnæ pœnitentiæ; ſemper enim cilicio ad carnem radicis uſus eſt, ad ſomnum lécto non eſt uſus, in cibo raram parſimóniam obſervabat. Fuit totíus Ordinis Vicarius Apoſtolicus, & Confeſſor, & ſacriſta Gregorii decimi tertii á quo plúres Epiſcopátus óblatos recuſávit, & illum Clemens Octavus creavit commendatarium

rium S. Spiritus in Saxia, quod munus magno cum sui splendôre administravit, unde sancte óbiit, & jussu ipsius Pontificis illi impósitum est célebre Elogium. *D.* Apud Japoniam in Oriente martyrium Ven. P. Ferdinandi, qui in Philippinis nostros Fratres Provincialis rexit, & cum fidei zelo in Japoniam pérgeret, in odium fidei cum aliis Christianis crudéliter cæsus, addidit veritâti fidei triumphum gloriôsum. *E.* Lixbonæ tránsitus Ven. P. Roderici á Cruce, qui, cum in litteris maxime coruscâret, in Lixbonensi Academia Doctor inaugurátus est. Fuit á Consiliis D. Emmanuelis Portugalliæ Monarchæ; & cum etiam méritis; & virtútibus splendesceret, hac die Lixbonæ pie decessit. F. Barchinone in cænobio de Palamos depositio Ven. Basilii Cordero Lusitani, qui juvenis in Catalauniam pérgens, & mundi vanitâtem considerans, statuit illi terga dare, & in Religióne vivere, & sic Augustinianus factus est in prædicto cænobio, ubi in omni virtútum génere cláruit; ita modestus fuit in verbis, & opéribus, ut numquam verbum, aut opus protulerit, aut fecerit impudicum. In obedientia fuit promptissimus, in cujus testimónium aliqua narrantur prodigia; nam cum aliquando ova in manibus deferret extra Scapularium, cum á Priôre argueretur, cur manus extra deferebat, ille dimittens ova, ut manus intus abscónderet, sensit ova & si in humum prolapsa, tamen integra, & illæsa mansisse. In observantia votorum fuit mirábilis, in abstinentia insignis, in oratióne assiduus, in pœnitentia asperrimus, in charitâte erga pauperes singuláris, ob quam illi Deus panes ad cœnobium multiplicavit. Sanctissimi Sacramenti fuit devotissimus, & cordialiter B. Virginem diligebat. Iturus in Ecclesiam Montserratensem, navem conscendens, & á nautis póstulans, ut in terram dejiceretur, illis nolentibus, ipse in mare prosiliens, super illius aquas, in nihilo madefactus, incéssit. Rediens Barchinónam in mari cum omnibus pertulit naufragium hac die, cujus corpus ab aquis in terram projectum, sepultum est in cœnobio Palamos, & plúribus annis a morte integrum, & in corruptum repertum est. *G.* Lixbonæ in cœnobio Gratiarum memória Ven. Joannis de Pinna Portalegrensis, qui fuit D. Theodosii secundi Brigantiæ Ducis confessarius, quod munus amóre solitudinis, & quietis sponte dimisit, & inter virtútis singuláris exercitia, Lixbonæ hac die pie decessit. *H.* In eodem cœnobio tránsitus Ven. P. Hieronymi de Moura, de quo plúra notatu digna referuntur; & adhuc post illíus óbitum, qui fuit hac die, magna inter senes sanctitâtis ejus opinio persevérat.

COMMENTARIA

AD DIEM TRIGESSIMUM JANUARII.

A. S. Ambrosius discipulus fuit S. Paulini Episcopi Nolani, qui sub ejus disciplina plúribus virtútibus, & miráculis coruscâvit, & óbiit sancte anno 599. Agunt de illo NN. Delcampo in Histor. Generáli lib. 2. cap. 39, Torelli in Sæculis tom. 1. ann. 599, Jacob Font die 30. Januar. fol. 394.

B. S. Aldegundis Virgo in monasterio Maldobii in Hannonia flóruit sub instituto Augustiniano circa annum 673, & illam nostris pertinêre áfferunt Tabulæ Ordinis, & N. Leal in m. s. De illa agunt Martirol. Rom. Saussai in Martyrologio Gallico, & Bollandus in Actis Sanctorum. Fuit Soror S. Vildetrudis, de qua 9. Aprilis agendum erit.

C. B. Vir Augustinus Fivizanus de Molaria fuit Magister, & Regens Romanus; anno 1562, & anno 1572. fuit á confessionibus Gregorij 13, & anno 1574. Sacrario Apostolico præficitur. Anno 1581. fuit totíus Ordinis Vicarius Generális, & anno 1592. fuit Clementis Octavi Confessarius, præceptorque Hospitalis S. Spiritus in Saxia. Fuit homo inculpatæ vitæ; de quo fertur, plúres recusasse præsulâtus. Obiit tandem summa cum pietâte Romæ hac die anno 1595, & in Hospitáli S. Spiritus Saxiæ tumulâtus est. De quo refertur á N. Mariano Mancino, quod si diutius vixisset, certe á Clemente Octavo inter Purpuratos collocandus esset. Agunt de illo NN. Herrera in Alphab. tom. 1. fol. 46. Elssius in Encom. lit. A. Natívitas Monte 2. Corona 9. §. 1. fol. 448. n. 14,

num. 14, & alii, Portillo tom. 1. fol. 255. & Ughell. in Italia Sacra.

D. Ven. Ferdinãdus martir fuit apud Japones, de quo agit N. Purificatio in Chronologia monastica die 30. Januarii fol. 27: sic: Apud Japones in Oriente passio venerábilis Christi militis Ferdinandi, Philippinensium Eremitárum S. Augustini Prióris Provincialis, qui cum aliis Christianís pro fide crudeliter tortus, gloriósam de tyranno victoriam reportavit. Idem áfferit N. Arpe in Diario sanctorum die 30. Januarii fol. 56. ex eodem Purificatiône. Attamen pace tantórum virórum suspicor hunc esse Ven. Ferdinandum á S. Josepho, seu Ayala Hispanum, qui é Philippinis in Japoniam pérgens, ibídem martyrio coronátus est die 1. Junii anno 1617, in quo die de illo agendum est.

E. Ven. Rodericus á Cruce Lixbonæ natus est, frater fuit P. Fr. Joannis á Magdanela, viri etiam in hac provincia egregii; quorum mater dicta Catharina Gonçalves sepulta est in cænobio Lixbonensi Gratiarum juxta pilam Lustrális aquæ in parte dextra ad ingressum cũ hoc Lemmate. *Esta sepultura he de Catharina Gonçalves, e seus herdeiros, mãy do Mestre Joaõ, e do Mestre Rodrigo, frades desta Religiaõ de S. Agostinho: falleceo a 10. de Janeiro de* 1508. Ven. Rodericus in Academía Lixbonensi litteris vacavit; & Doctoris Laurcam est adeptus, ubi postea litteras humanas prius, & post Theologiam interpretâtus est. Fuit á Conciliis D. Emmanuelis Regis: in hac Provincia fuit Provincialis Lixbonæ electus ann. 1498: óbiit tandem pie hac die anno 1510. De illo agunt NN. Roman. in Centuriis, ubi illum vocat virum insignem in omni virtútum genere: D. Fr. Alexius, de Menezes in libro Venerabilium hujus Provinciæ fol. 21, Gratianus, Pamphilus, Antonius á Purificatiône de Viris Illustribus lib. 2. c. 9. fol. 64; & in 2. p. Chronicæ fol. 122, Herrer. tom. 2. Alphab. fol. 334; Elssius in Encom. Torelli tom. 7. anno 150. fol. 517. num. 8. Josephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 317. n. 12; Leal in m. s. fol. 38. Ex exteris Georgius Cardoso in Agiolog. Lusitano hac die fol. 292; Valerius Andreas Taxander in Cathalogo Hispaniæ fol. 101, ait, quod fuit in omni doctrinarum genere eruditus, summaque Religiône præditus, & Dominicus Gravina in Voce Turturis lib. 2. cap. 12. fol. 319. ait de illo: Fulsit in Lusitaniæ regno Fr. Rodericus á Cruce Ulysipponensis, vir grandis pœnitentiæ, & humilitâtis: ergo, plurimi, & inveneratiône est hábitus á Regibus Joanne, & Emmanuele.

F. Ven. Basilius Cordeiro Lusitanus ortus est in oppido Malanca Diœcesis Visensis. Juvenis in Catalauniam perrexit, ubi cognita mundi inconstantia, statuit Religiônem ingredi, quod adimplevit in cœnobio de Palamos titulo D. N. de Gratia, ubi professiônem emisit sub statu Laicali die 29. Octob. ann. 1600, ubi usque ad finem vitæ mirábili sanctitâte vixit; naufragio tamen periit hac die anno 1618. De illo plura narrat N. Jayme Jorda tom. 3. histor. Cathalauniæ lib. 3. capit. 5. fol. 431. á numero 5. usque ad nonum.

G. Ven. Joannes de Pinna natus est in Civitâte Portalegrensi; á confessionibus fuit D. Theodosii secundi Ducis Brigantini; cum tamen quiétis valde esset avidus, & palatii tumultus abhorréret, volens extremos vitæ dies in sanctis exercitiis consummere, munus confessárii abjêcit, & in cœnobio Lixbonensi reclúsus, cognoscens, quod obsérvantia præcéptorum Dei est medium, in quo corrigit adolescentior viam suam; inter pietâtis, & virtútis clára indicia, hac die anno 1640. supremum die clausit. Agunt de illo NN. Purificat. de viris illustribus cap. 9. fol. 66. vers, Leal in m. s. fol. 45.

H. Ven. Hieronymus de Moura flóruit in cœnobio Lixbonensi Gratiarum raro exemplo, erat enim assíduus in chóro, in modéstia fuit singulâris, & magna apud omnes erat in veneratiône, & adhuc de illo pérmanet memória. Obiit tandem pie die 30. Januarii anno 1691. non mediocri sanctitâtis opiniône.

PRI-

PRIDIE KALENDAS FEBRUARIJ.

XXXI.

A. In Hibernia in Civitâte Fearna felix tranſitus S. Aydani Epiſcopi Fernenſis, & Confeſſoris, cujus vita præcláris miráculis extitit gloriôſa. *B.* Galliæ in Civitâte Trecenſi. S. Bobini Epiſcopi, & confeſſoris, qui, cum prius vixiſſet in monaſterio Cellenſi ſub diſciplina S. Frodoberti, unde de ſe dedit ſanctitâtis præclára indicia, electus eſt Epiſcopus Trecenſis, & cum boni paſtoris munus adimplêret, plenus méritis, ad præmia cæleſtia migrávit, ſepultuſque eſt in Cathedrali Trecenſi. *C.* In Scotia memôria B. Euſebii mônachi, & martyris, qui ex Scotia oriundus, in monaſterio S. Galli vitam religiôſam eſt amplexus, ſed ſolitariæ vitæ deſiderio inflammátus, in montem S. Victoris ſecédens, ibi uſque ad quinquageſimum annum ſanctiſſime vixit, & ſpiritu prophetiæ multa prædixit. Cum autem incolarum ſcélera verbis argúeret, eorum quidam illius caput falce præcîdit. Verum ipſe præfectum cáput manibus ſublâtum in cellam ſuam in montem deportâvit, ubi nunc ejus relquiæ aſſervantur, & religioſo piôrum hominum concurſu viſitantur. *D.* Apud Mexicum in cænobio de la Puebla de los Angeles tránſitus Ven Joannis á S. Romano, qui ex Hiſpania profectus eſt cum Ven. Franciſco á Cruce in Indias ad gentium converſiônem, ubi ſe oſtendit ſervum Dei fidelem, & plúres verbo, & exemplo ad fidem convertit; erat enim magni ſpiritus, & notæ ſanctitâtis, & communiter ut ſanctus reputâtus, ſe enim rara pœnitentia mácerâbat, in cultu ſui pauperrimus: rexit provinciam Méxicanam ſanctiſſime, & illam plúribus auxit cœnobiis, dónec cómmorans in prædicto cœnobio, & vivens cláro vitæ ſplendôre, hac die, felici fato, in cælum créditur tranſvolaſſe. *E.* Conimbricæ in collegio Ordinis óbitus Ven. Auguſtini á Gratia Caſtellani, fratris Laici, qui nimia humilitâte flórens, inter ſilentium integros dies, & noctes fere contemplatiône ducebat, & toto fere anno jejunium ſervábat, & cilicio perpetuo utebâtur, quod nec in morte depóſuit; cujus cor poſt viginti annos repertum eſt integrum, & incorruptum. *F.* Hiſpaniæ in cœnobio Alchodii memôria Ven. P. Nicolai de Puig, qui in Religiône dedit raræ ſanctitâtis indicia: in aſſiſtentia chóri erat promptiſſimus, in oratiône aſſiduus, in ſolitúdine mirabilis, otio perpetuum indixit bellum, in pœnitentiis erat ſtupor, in humilitâte profundus, in obſervantia trium votórum ſinguláris; erat erga omnes excelſæ ſanctitâtis ſpéculum. His virtûtibus adjecit ſingulárem litteratûram, ob quæ in Religiône plúres exercuit dignitâtes. Cum ergo Alchódii quidam malévolus Gallus Sacrarium unîus paróchiæ violaſſet, ille divinitus cognóvit, quis tale ſacrarium violáverat, & unde Sacramentum eſſet, & ſic ad domum infamis latrónis pérgens hac die, aſpexit domum cælum factum, &, facta ſolemni proceſſiône, delatum eſt ſacramentum in Eccleſiam parochialem, & inde proceſſio continuavit uſque ad cœnobium D. N. de Gratia, quia illi ducebâtur prodigium inventiônis SS Sacramenti, & in domo ſacrilegi latronis conſtructum eſt cœnobium titulo S. Sepulcri pro noſtris Moniálibus, ubi quotannis fit inventiônis SS. Sacramenti feſtivitas hac die. Tandem Ven. Nicolaus poſt rara virtûtum indicia, plenus annis, & méritis, in eodem cœnobio ſumma cum opiniône deceſſit, & ad ejus exequias celebrandas fuit magnus concurſus. *G.* Hiſpaniæ in cœnobio Orihuelæ depoſitio Ven. P. Jacobi Sanches viri devotiſſimi qui in omni ſuæ vitæ tempore flóruit raro virtutúm exemplo, & poſt plúres in Religiône dignitâtes, prudentiſſime abſolutas, óbiit pie hac die. *H.* Romæ tránſitus Ven. Laurentii ab Angelo Cuſtóde, jnvenis raræ ſimplicitâtis, & innocentiæ, táliter, ut confeſſarii in ipſo materiam abſolutiônis non invenirent. Obiit hac die cum magna ſanctitâtis opiniône.

COMMENTARIA

AD DIEM TRIGESSIMUM PRIMUM JANUARIJ.

A. S. Aydanus ortus est in Conacia, quæ est Hiberniæ regio, é parentibus nobilibus, & ditibus, quorum erant nómina Serna, & Ethne; qui filium precibus é cælo adeptum pie educarunt, & á téneris capit clárêre miráculis: postea vixit in Britannia sub disciplina *S.* Davidis Abbatis, & Episcopi, ubi raris prodigiis, & virtútibus cláruit. Inde profectus est in Hiberniam, ubi multis cláruit prodigiis; bis enim mare trajecit sine læsione, una vice pedes, altera equitans. Ob tanta signa creâtus est á populo Archiepiscopus Fernensis. Jejunavit quadraginta dies, & noctes sine ullo cibo, & potu. A Deo accepit, ut quotidie usque in diem judicii ánimã unam ex inferno, scilicet, é purgatorio eriperet. In die 9. Junii, quando N. *S.* columba é vivis excessit illum, in spiritu comitátus est usque in cælum. Tandem tantis méritis, & miráculis gloriósus, óbiit in Civitáte Fearna 31. Januar. anno 590. De illo agunt NN. B Joannis Capgravius, Jacob Font in suo Vergel SS. hac die fol. 396. qui probant illum nostro Ordini pertinére, quia S. Davidis Abbatis, de quo 1. Martii, fuerat discipulus. Insuper quia tunc temporis nulla altera Religio, præter Augustinianam á S. Patritio plantatam, in Hibernia, & Britannia florébat.

B. S. Bobinus in Aquitania in lucem prodiit; post aliquot annos patria et cognatis desertis, in Urbem Trecensem profectus, ibi in monastério Cellensi vitam monachalẽ professus est, et cum in virtútum studio & stadio, perfecte curreret, Episcopus Trecensis creátus est; quod munus sanctissime guber. navit usque ad mortem, quæ accidit die 31. Januarii anno 790, et corpus ejus in Cathedrali Trecensi tumulátum est. De illo præter álios agunt Joannes Bollandus in Actis SS, et N. Jacob Font ubi supra fol. 406, et probat inter nostrates esse numerandum, quia fuerat discipulus S. Frodoberti Abbatis, de quo jam Kalendis Januarii, qui fuerat mónachus nostri cænobii Luxovienſis.

C. B. Eusebius Martir in Scotia natus est é génere nobili, & satis locupleti: despiciens autem omnia, relictis parentibus, & patria, ad Helveltios usque peregrinatus est, & petens cænobium Augustinianum á N. S. Gallo fundatum, ibi hábitum suscepit magna cum lui animi lætitia; ubi præclara suæ sanctitâtis præbuit testimonia. Ipse autem maiôris solitudinis cúpidus, venia obtenta, in montem S. Victoris séceſſit, ubi vitam angelicam plures traduxit per annos, & cláruit prophético spíritu. Aliquando é suo cubiculo égrediens, & cum incolarum vicinorum culpas gráviter increpâret, quidam á sátana cóncitus, in illum frendens, acuta falce illius caput abscidit die 31 Januar. an. 884: ille tamen caput abscissum in manibus apprehendens, détulit in suum cubiculum, unde tumulâtus est, & adhuc ejus magno cultu reliquiæ venerantur. Agit de illo idem Font ubi s. fol. 409, ubi probat fuisse nostri Ordinis, quia fuerat discipulus S. Galli, quem fere omnes nostri Ordinis afferunt fuisse, ut dicendum erit die 16 Octob. Intérim videátur N. Marques in Origine Eremitarum, c. 15. §. 4. fol. 282. Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 274; Torelli in Centur. 1. cap. 78, ubi ait, quod olim in nostro Ordine celebrabantur officia SS. Columbani, & Galli ad líbitum, ut constat ex officiis antiquis Ordinis, quæ Romæ asservantur, & extra Florentiam circa annum 1330 habebat Ordo cænobium titulo S. Galli.

D. Ven. Joannes á S. Romano ortus est in urbe Burgensi & in cænobio Ordinis ejusdem civitâtis hábitum suscêpit, & professus est die 13 Junii anno 1519. In Indias profectus est in conversiônem gentium anno 1533 cum Ven. Francisco á Cruce, ubi magnos proventus fecit, taliter, ut apud omnes sancti titulum promeruerit. Mexici provinciam sanctissime rexit, & auxit cænobiis, & ditavit pretiosis supellectilibus. Tandẽ pie óbiit die 31 Januarii anno 1581. Agunt de illo NN. Grixalva in Chronica Mexici, ætate 3. cap. 34 fol. 167; Portillo in tom. 1. Sanctorum Ordinis hac die folio 257.

E. Ven Augustinus á Gratia & si Castellanus, filius fuit provinciæ Lusitaniæ, ubi flóruit raro perfectionis exẽplo; erat enim singularis humilitâte, silentio, & oratiône, & jejuniis, quæ fere per totum protrahebat annum. Perpetuo usus est cilicio. Obiit sancte

cte in Collegio Conimbricenſi hac die 31 Januar. anno 1600; & poſt 20 annos in ſepulchro cor ejus illæſum repertum eſt. De illo agunt NN. D. Fr. Alexius de Menezes in ſuo libro Venerabilium hujus Provinciæ fol. 138, Antonius á Purificat. in Chronolog. Monaſtica fol. 161. Leal in m. ſ. fol. 129, & Agiolog. Luſitan. die 31 Januar. fol. 304. & 308. His additur Fr. Joſephus á D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol 317. n. 13. & Pertus Calvus in Lacrymis Juſtorũ fol. 69.

F. Ven. Nicolaus Puig ortum hábuit in oppido Alchodii é parentibus nobilibus, & piis; Eremiticum amplexus eſt inſtitutum in cænóbio ſuæ pátriæ, ubi poſt profeſſionem dedit de ſe raræ ſanctitâtis indicia, & in Litteris exiit égregie doctus: obquæ in Ordine plúra exercuit múnera. Anno 1568 die 29 Januarii quidam Gallus nomine Joannes Creſol ſpoliâvit ſacrarium paróchiæ Alchodii, & poſt cænam fere omnes formas devorávit: attamen N. Ven. Nicolaus die 31 Januar. divinitus inſpiratus, agnôvit Sanctiſſimum in domo ſacrilegi Joannis eſſe, et illuc perveniens, aſpexit domum magna luce circumfuſam, et accítis Clero, et pópulo, delátum eſt Sacramentum ad Parochiam hac die célebri proceſſiône. Ven. Nicolaus ſanctis operibus ſuperplenus; ſancte ſupremum diem clauſit anno 1590. Agit de illo N. Jayme Jorda tom. 2 in Chronic. Valentiæ lib. 3. cap. 27. fol. 121.

G. Ven. Jacobus Sanches natus eſt in oppido Orihuelæ, parentes hábuit Franciſcum Sanches, et Eliſabetham Pujaſonam, habitu Auguſtiniano indûtus eſt in cænóbio ſuæ pátriæ, ibi profeſſionem emiſit 10 Decemb. ann. 1581. In Religiône vixit raris indiciis litteratúræ, et virtútis, in utrôque enim fuit ſingularis. Tandem receptis cum ſumma humilitâte, et devotiône Sacramentis, óbiit pie die 31 Januar. anno 1630. Agunt de illo NN. Herrera tom. 2. Alphab. fol. 536. Jacobus Jorda tom. 2. hiſt. Valentiæ c. 55. fol. 150 n. 5.

H. Ven. Laurentius ab Angelo Cuſtôde, patria Eſculânus, profeſſiône Diſcalceátus; dum Romæ in cænóbio S. Nicolai Philoſophiæ ſtudêret, magis tamen regulári perfectióni ſtudébat; erat enim in obedientia mirábilis, in innocentia, & ſimplicitâte candidus, ita ut ex confeſſariôrum teſtimoniis, vix, quod in ipſo abſolverêtur, reperirêtur: abſtinentiæ, & auſteritâtis fuit amantiſſimus; modo, quo potérat, guſtus ciborum auferre curâbat. Tandem gravi morbo correptus, cum grátias Fratribus ſuis, & medicis égiſſet, omnibus múnitus Sacramentis, ætatis ſuæ 23, religiônis 3, piiſſimé óbiit die 31 Januarii anno 1662, omnibus præ tanti ſpiritus, ac devotiônis fervôre collacrymantibus. Dum animam efflabat, ſemper Crucifixi imaginem præ manibus habêbat, & ad B. Virginis, SS. Angelorum Cuſtodum, ac S. P. Auguſtini, & B. M. Mónicæ nómina, quæ á ſacerdote ei in memoriam revocabantur, ſingulárem oculorum, oris, ac vultus nútibus lætitiam oſtendêbat. Animam Suam Deo commendans, dæmonis éxecrans inſidias, diem clauſit tali opiniône, ut plúres non modo pro eo orandum non eſſe dúxerint, ſed, ut ipſe pro aliis exorâret, dum expirârét.

FINIS
Menſis Januarii.

FEBRUARIUS.

KALENDIS FEBRUARIJ.

I.

A. HIBERNIÆ Circa Clochàriam in cænóbio Dubhan depoſitio S. Kinniæ Virginis, quæ ex régio ſanguine nata, a S. Patritio commôta, velum mónachæ ab ipſo accépit; & ſub Ethémbria Abbatiſſâ vitam duxit ſanctiſſimam, in obſervantia regulári atis édocta, quem vivendi modum uſque ad óbitum, quem prima Februárii ſubiit, obſervâvit. *B.* Ibidem felix tránſitus S. Birgittæ Hibernenſis Virginis, quæ ſæculi núptias conſtanter recúſans, monachálem elegit ſtatum in monaſterio á S. Patritio inſtitúto; & cum velum acciperet, Machilla Epiſcopus aſpexit columnam igneam deſcendere ſupra caput Birgittæ. Exinde cæpit Birgitta in omni virtútum génere claréſcere, & illam Deus innúmeris illuſtrâvit miráculis; dónec hac die ad ſupernorum concivium ſodalitium vocâta eſt. *C.* Ibídem in cænóbio S. Birgittæ S. Derludáchæ Virginis, diſcipulæ ejuſdem, raræ ſanctitâtis fœminæ, quæ aliquando gravi, & impura tentatiône vexâta, illam vicit, includens in calceamentis carbones ignítos, nec amplius de hoc ullam eſt tentatiônem experta; imo cæpit vitam tradúcere angelícam. Cum autem S. Birgitta ſuæ mortis diem S. Darludáchæ revelaſſet, illa plúres cæpit lácrymas profúndere, petens, ut ſe ipſam ſecum moriendo deferret: S. vero Birgitta reſpondit: nequaquam modo mecum obîbis, ſed anno próxime futúro, hac ipſa die, obîbis; ut duarum feſtivitas eódem die celebrêtur; & ſic áccidit; & méritis, & virtútibus plena, anno ſequenti in cælum migrâvit. *D.* Apud Caſtrum Flórentinum óbitus S. Verdiánæ Virginis, quæ hábitu Eremítico indûta, & in cellula reclûſa, poſt varias peregrinatiónes, mirabili ſanctitâte vixit, & innúmeris cláruit miráculis. Tandem óbitus ſui horam, & diem prænoſcens, génibus flexis, erecto corpore, cancellátis bráchiis, ad ſúperos volâvit; in cujus glorióſo fine campánæ inviſibiliter ex ſe ſe ſonuerunt. *E.* In cænobio Matricalenſi memória B. Catharinæ de Oſma Virginis, & ibídem monialis, quæ célebrem ſe fecit magna religiônis obſervantia, & amôre paupertâtis, & humanarum rerum contemptu. *F.* Romæ in cænobio S. Nicolai tránſitus Ven. Alexii á S. Thoma, Laici Diſcalceáti, viri raræ virtûtis, de qua præbuit clára indicia, ſed præcipue humilitâtis, modeſtiæ, ſilentii, & contemptùs rerum caducárum. Cum autem patientiſſime aliquot perferret morbos, in eódem cænóbio piè hac ipſa diè deceſſit.

COM.

COMMENTARIA

AD DIEM PRIMUM FEBRUARII.

A. S. Kinnia Virgo Hiberniæ in Urbe Clochávia orta est ex Euchádio Rege Origelliæ. Hæc prædicatiône S. Patritii velum mónachæ recêpit in cænóbio Ultóniæ, ubi sanctissime degens sub institútis S. Patritii, feliciter vitam consummâvit hac die anno 481. Agunt de illa Acta SS. Bollandi, & N. Jacobus Font in Viridario SS. hac die fol. 410, & probat esse nostri Ordinis, quia S. Patritii hábitum suscépit; ob hoc Jocelínus in Vita S. Patritii cap. 167. ait. Ipse sanctus in regressu suo aliquantisper in Britannia morâtus, monastéria multa fundâvit, atque á paganis destructa reparâvit. Monachorum sacris conventibus secundum formam religiônis, quam eis præfixerat, annuentibus, ea replevit. Et cap. 174. Omnes ergo mares, mónachos, fæminas, sanctimoniales efficiens, numerosa monasteria ædificâvit, décimamque portionem terrarum, ac pécudum eorum sustentatiôni assignâvit: & infra: Nulla Eremus, nullus pene ángulus in insula tam remôtus, qui perfectis mónachis, ac monialibus non replerêtur. Unde ait Joannes Toneus Marnavitius in Sacra Columba fol. 45: Nulli dubium esse póterit Hibernos mónachos, nisi á S. Patritio, profluxisse, quem Patritium á Martino rudimenta monastica longe ante Benedicti tempore hausisse, Probus in ejusdem vita testis habetur. De hoc latius 17. Martii, dum de S. Patritio, agendum est.

B. S. Birgitta Hibernensis etiam hábitum monialium á S. Patritio recêpit; de qua virtútes egregiæ, & præclara prodigia numerantur; dónec, solúto córporis vinculo, ad æternam réquiem volâvit hac die anno 521. tempore Justini senioris. De illa agunt omnia martyrologia, & plures AA; ex NN. Torelli tom. 2. an. 118, n. 15, & 16. Antonius á Purific. in Chronol. Monastic. die 1. Februar. fol. 18; Critana in Epitom. Hist. Arpe die 1. Februar. fol. 60, Josephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 515. Jayme Jorda in Viridario SS. hac die fol. 412; & alii plures, cum Portillo tom. 1. fol. 261.

C. S. Darludâcha Virgo Scotiæ nata est, & vixit sub disciplina S. Birgittæ, vitam degens Angélicam; & post mortem S. Birgittæ per annum rexit monasterium magna observantia, & raro exemplo, & anno expleto, Sacramentis, & sanctis opéribus armâta, eodem die, primo Februarii, felici fato defuncta est anno 524. Agunt de S. Darludacha Henricus Fitzimon in Cathalogo Sanctorum Hiberniæ, Hugo Wardeo in Vita S. Birgittæ, Breviarium Fricingense, Thomas Dempstero in Historia Scotiæ, Bollandus in Actis SS; & N. Jayme Font in Viridario Sanctorum Ord. hac dié fol. 419. ubi probat nostris pertinêre.

D. S. Verdiâna Virgo nata est in Castello Florentíno in Hetrúria, & pie á parentibus educâta, à téneris dedit evidentis sanctitâtis indicia. Cum annorum esset duodecim, Anachorétas, veteranos in mortificatiónibus superâbat: corpus cilicio domabat; nil egit, nil prótulit, quod Deum offenderet. In quadam fame, illam terram opprimente, S. Verdiana, quo pótuit modo, famélicos recreâvit. In Compostellam profecta est, & in pátriam reversa, júbilo inennarrabili à suis est recepta; sed brevi in Romam pérgens, ibi summa cum pietâte loca sacra visitâvit. In pátriam rédiens, ibi à párocho hábitu indûta est eremitico, & in cubículo reclûsa, tanta parsimonia vitam tolerâvit, ut stupor esset: humi somnum capiêbat, cilicio carnem domâbat, continuæ erat dédita oratiôni: officium récitans divinum, rapiebâtur extra sensus; ótio bellum indixit; pâuperes diligêbat, & fovêbat. Triginta quatuor annos vixit, quin ab ullo hóminum visa foret. In omni quadragesima, ab Ascensióne usque ad Pentecósten, in octava Assumptionis B. Mariæ; & in Adventu rarissime loquebâtur. A dæmónibus fuit crudéliter oppressa: à duobus serpentibus fuit diriter afflicta. Innúmeris clâruit miráculis; aquam convertit in vinum, de quo plures bibentes sanáti sunt. Cæcam ramo olivæ visu donávit. Mortis suæ diei præscia, receptis piè sacramentis, Psalmos decantans, & incipiens Psalmum Miserére mei Deus; animam efflávit hac die anno 1242. Vix óbiit, tres campanæ Ecclesiæ S. Hippoliti martyris per se sónitum

dedêre

dedêre, sanctitâtem S. Verdianæ testantes. Pópulus ad illam cqncurrens, corpus illíus erectum, & compósitvm réperit, & gratum spirans odórem: & maxima cum pompa sepultum plúribus cláruit miráculis. De illa agunt plures AA. citati a Bollando in Actis SS. hac die; ex NN. Torelli tom. 4. anno 1242. fol. 362, & Jayme Font ubi supra fol. 421.

Circa institútum, quod S. Verdiâna est professa, plúres contendunt Religiónes. Prosuo jure contendunt Camaldulenses; pro suo pugnat Ordo Vallisumbrosæ: ácriter Minóritæ suam asserunt fuisse, cum P. Wadingo, & Artûre á Monastério in Martyrologio Franciscáno hac die: áttamen nullus exhis ordínibus pro se fundamentum assignat, & minus Minoritæ: quia ad hóminem contra illos probo, hábitum S. Verdianæ non fuisse S. Francisci, quia S. Verdiâna accépit hábitum Eremiticum anno 1208, in quo témpore nondum Ordo S. Francisci institûtus erat, nec confirmâtus: ergo nullum jus habet in illam, sicut, & nullus ex supra citatis Ordinibus jus in S. Verdiânam habet: quia hoc solum in Augustiniano Ordine reperîtur; tunc enim per totam Itáliam N. B. Joannis Boni célebris erat fama, & clárum institûtum. Secundo, quia B. Joannes Bonus instituit Fratres, & Sorores Tértii Ordinis de Pœnitentia ad suam Congregatiônem spectantes, ut constat ex Constantio Laudensi in ejus vita lib. 2. c. 3, & c. 39. & ex N. Josepho á D. Antonio in suo Iman 1. p. c. 3. fol. 42. n. 16. Tertio patet, quia Romæ in Ecclesia nostri Ordinis á pluribus annis in sacello Dom. Attavanti, de cujus familia fertur S. Verdiâna fuisse, est illius imâgo nostro depicta hábitu inter duas serpentes. Si tamen áliquis oppônat, quod in Bulla Clementis VII, qui illam beatificâvit, non dicitur, illam nostri Ordinis fuisse; dícitur primo, quia etiam de áliis non lóquitur Ordinibus. Secundo, quia etiam in Bulla beatificatiônis N. B. Verónicæ de Biscano á Leône X. non dícitur, illam nostri Ordinis fuisse, & tamen certum, & indubium est, nostram fuisse: similiter dicendum est in præsentiarum de S. Verdiâna.

E. B Catharîna de Osma sanctimónialis fuit in cænóbio Matricalensi, ubi rara sanctitâte vixit, & óbiit circa annum 1480; de qua agunt ex NN. Pamphil, Roman, Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 142, Torelli in Centur. 4. cap. 11. fol. 382, & alii.

F. Ven. Alexius á S. Thoma anno 1584 ortus est in Novantola, oppido Ducis Modonensis; inter Discalceatos numerâtus est Romæ, & professiônem emísit die 9 Junii anno 1615 in státu Laicáli, in quo sanctè degens, in eodem cænóbio Romano S. Nicolái piè decessit die 1. Februarii anno 1650. Agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 12 n. 57. fol. 379.

QUARTO NONAS FEBRUARIJ.

II.

A Cantuáriæ in Anglia S. Laurentii Episcopi, & Confessôris, qui prius degens sub Augustiniano instituto, post S. Augustinum, ejus antêa sodalem, illam Ecclesiam gubernâvit, & Regem Angliæ ad fidem redúxit. *B.* Gandávi depositio S Columbáni Abbatis, qui ex Hibernia in Galliam veniens in cæmiterio illius civitátis se se inclusit, ubi biennio vivens, méritis clárus, sanctè decessit. *C.* Cassiæ in Umbria depositio B. Simônis de Cassia Confessoris, Doctôrisque illuminati, qui á téneris se totum trádidit virtútibus, & litteris: habitu nostro indûtus est in cænóbio suæ pátriæ, & in Ordine valde profêcit in scientiis, nam sibi mos erat génua flectere ante quamlibet Christi imáginem, hoc facto, quadam die, illi apparuit Puer Jesus in manu cálicem deportans, & Simóni arrídens, prótulit hæc verba: Adoléscens sine mácula, mecum de hoc cálice bibe: & bibens Simon, ob dulcédinem quasi extra sensus mansit, & á Púero Jesu pétiit, ut suis etiam potum fóciis præbêret. Tunc Puer ad illum: si totum haurîres calicem, totum mundum lucrifáceres,

res, & ad te tráheres. Extunc cæpit Simon suam magnam & cælicam osténdere scientiam, & plúres ad Deum mentes convértere. Plura extinxit ódia, pacem inter Florentinos invexit. Alter Paulus fuit in charitâte, & prædicatiônibus: In humilitâte fuit singulâris; obquam omnes in Ordine dignitâtes reculâvit: clâruit spiritu prophetiæ; scripsit plúra, & utilia. Tandem multis illustris miráculis, hac die ad súperos volâvit. *D.* Lovánii in Brabantia óbitus B. Theodorici á Monastério confessoris, qui é nostris ad Minóres tránsiens, ibi, velut sidus fulgidum, terram Belgicam circumiens, doctrinæ claritâte, & conciónibus illustrâvit; clâruit zelo proximi, nam grassante peste per Bruxellam, ubi pastórum vices supplébat, triginta duorum millium peste laborantium confessiónes incólumis excépit, &ália sacramenta ministrâvit. Ipso die, quo óbiit, ad pópulum prædicans, suum óbitum prædixit. Tandem méritis, & miráculis clárus, hac die felicem ánimam suo trádidit Creatori. *E.* Urbini in cænóbio S. Agathæ depositio B. Franciscæ de Casteldurante, hódie nuncupatæ Urbaniæ jussu Urbani Octavi, ibídem sanctimoniâlis, quæ á primis annis sanctitâtem amplexa, in eodem cænóbii hábitu suscépto, plúres per annos vixit rara abstinentia, & incredíbili pœnitentia, exímia charitâte. Abbatissæ munus ultra viginti annos summa cum prudentia, & ardenti zelo exércuit. Ad illam omnes, ut consílium péterent, concurrebant. Tandem innumeris méritis decorâta, ad cælum fælíciter hac die migrâvit. *F.* In Insula S. Thomæ tránsitus B. viri Pauli Barlettæ Itáli, qui in Lusitaniam profectus, ibi plúrimæ oratióni se trádidit, in qua plúres extases passus est; & futurorum præscientiam est adeptus. Propter oculórum modestiam singulárem, sæpe á dæmone in palpebris fuit sauciatus, sed plúries á B. Virgine fuit consolâtus. Tandem, in his certamínibus semper victor, hac die in cælum á summo Arbitro vocâtus est. *G.* Matríti memoria Ven. P. Bernardini á S. Ildephonso Vicarii Generális Discalceâtorum, qui á primæva ætâte, litteris, & virtútibus summo cum splendóre vigére cæpit. Cilício perpetuo usus est: léctulum illi duæ tábulæ construébant. In choro erat assíduus, ubi orando affectus, & suspiria eructabat: quando cantári solébat ille versus: Tu ad liberandum suscéptúrus hóminem, non horruísti Vírginis úterum; fere semper extra sensus rapiebatur. B. Virginis fuit devotíssimus. Ab omnibus non próprio, sed sancti viri nómine vocabâtur. Post várias Ordinis dignitâtes, hac die pie decéssit. *H.* In cænóbio Malhorquino memoria Ven. Antonii Rippol Confessoris, qui ibídem vixit singulári devotióne erga B. Virginem Mariam, & multis, & raris splénduit virtútibus, præcípue humilitâte, charitâte erga páuperes. Plures per annos janitóris exércuit officium, & per illum Deus plúra perpetrâvit miracula, multiplicans ea, quæ paupéribus dabantur, esculenta. Et cum aliquando Prior aspíceret Ven. Antonium sinu tumentem, & scire vellet, quid deferret paupéribus tribuendum; aspexit omnes panes á Ven. Antonio delâtos in rosas esse conversos, & fructus mirabiles, quo viso stupefactus Prior mansit, quia extra tempus rosárum erat. Obiit tandem rara opiniône sanctitâtis, & ejus effigies est in eodem cænóbio paupéribus eleemosynam distribuens. *I.* Genuæ in Mónastério S. Thomæ Ven. Innocentiæ Spinulæ ibídem Mónialis, quæ ibídem vixit raris sanctitâtis indíciis. Magno, & spirituali affectu Ven. Angelam Spínulam, etiam ibi Mónialem, diligébat. Et cum ipsa á B. Virgine édocta fuísset, quod ante Ven. Angelam moritúra esset, aspíciens tamen Ven. Angelam morti próximam, & sese incólumem, questùs dare cæpit ante imaginem B. Virginis, dicens: quid est hoc, ó Virgo gloriosa! Angela prior me móritur? Non ita mihi spopondísti. Ecce prodígium: Ven. Innocentia post duos dies febre decúbuit; & quinta, scilicet hac, die sancte occúbuit, & die sequenti Ven. Angela, de qua infra. *L.* Matriti in cænóbio S. Elisabethæ Recollectárum tránsitus Ven. Therésiæ de Jesu, ibídem Mónialis, quæ á primis annis passiónis Christi flagrábat devotióne. Se se crudelíssime macerábat, passiónem Christi contemplans. Sponte vóluit á quadam fœmina septies quotídie per humum raptári, & sépties ab ipsa salívis fœdabátur, & álapis pungebátur, & post álias afflictiónes triginta tribus flagellatiónibus percutiebátur: ciliciis ferreis ad carnem utebátur. In patientia fuit singulâris, in charitâte única, in humilitâte mirábilis. Créditur, nunquam se mortáli peccáto maculásse: nonnulla patravit prodígia. Tandem morbo, plusquam naturali, oppressa, & prædícens sui óbitus horam, & diem, hac ipsa ad cæléstis Sponsi consórtium evolâvit. *M.* Salmánticæ in Hispánia ingressus ad Ordinem S. Thomæ de Villanova, qui cum esset fere ætâtis triginta annorum, hac die,

qua

qua antea Virgo Mater in templo est præsentâta, & ipse ad Deum, ut pura illius victima, vóluit præsentâri. *N.* eodem die memória illiùs revelatiônis, quam idem S. Thomas à Christo accêpit: cum enim oâret hac die ante imaginem Crucifixi, deplórans mortis suæ finem propter ratiônem de grege sibi commisso in judicio dandam, vocem audîvit ab eadem Christi imágine prolâtam. Esto bono ánimo, in die enim Nativitâtis Matris meæ ad me vénies. Et sic accidit: & in signum hujus adhuc persevérat hódie Crucifixi imâgo ore aperto, ómnibus id videntibus, ac mirantibus. *O.* In cænóbio de Amélia Translâtio B. Lúciæ de Castello Porchiano, ex familia Bufalâri, & nostri Ordinis Mantellatæ, quam ferunt fuisse N. B. Joannis de Reate Sororem; cujus corpus, cum statim á morte, quæ accidit anno *1350*, tumulatum esset in Ecclesia Amélliæ, in sacello S. Mónicæ, hac tamen die translatum est célebri processiône ad aram sibi speciáliter erectam, ubi per illam Deus multis claret prodigiis.

COMMENTARIA

AD DIEM SECUNDUM FEBRUARIJ.

A. S. Laurentius Archiepiscopus Cantuariensis, & Confessor fuit unus ex illis mónachis quos N. S. Gregorius Papa é suo Monastério Romano, titulo S. Andreæ, misit ad fidem in Anglia prædicandam, & ibi cænóbium *SS.* Apostolorum Petri, & Pauli exexerunt sub régula S. P. Augustini. ut claret ex duabur Bullis, prima ex Bulla Cælestini Papæ ad ducta á Fr. Ægidio á S. Benedicto Benedictino in Chron.; & á N. Fr. Antonio á Purificat. in Antidoto Augustiniano cap. 9. fol. 108, quæ sic incipit: Cælestinus Episcopus, servus servorum Dei: Dilectis filiis Abbati, & Conventui S. Augustini Cantuariæ salutem, & Apostolicam benedictionem: secunda Innocentii Papæ, quæ sic incipit: Innocentius Episcopus, servus servorum Dei: Dilectis filiis Rogero Abbati Monasterii BB. Petri, & Pauli, sancti que Augustini, &c. Nec quis dicat, quod per S. Augustinum intelligi debet S. Augustinus primus Episcopus Cantuarienfis, & in tali cænobio sepultus; falso enim loquêtur fundamento, ut falso locûtus est Pennôtus solito de more; quia ubique terrarû, ubi nominâtur Conventus S. Augustini, intelligitur de S. Augustino Ecclesiæ Doctôre. Insuper quia incredibile est, quod Sedes Apostolica insignîret sancti titulo Augustinum Cantuarienfem Prælulem, qui nondum erat inter Beatos numerâtus, ut indicat lemma in suo inscriptû sarcóphago, quod erat: Hic requiescit Dominus Augustinus Dorovernensis Archiepiscopus Primus &c. Quod lemma paucis abhinc annis, videtur in sepulchro gravatum, illum enim nóminat, Archiepiscopum, nomen primis, & multis postea sæculis ignotum; in primis enim sæculis, quod hódie est Archiepiscopus, erat Episcopus primæ Sedis, vel Episcopus Metropolitânus. Unde bene colligitur, omnes missos á D. Gregório, in cænobio Cantuarienfi degentes, esse mónachos S. Augustini; inter quos fuit S. Laurentius, de quo lóquimur, qui floruit circa annum *619*, in cujus sarcophago súbsequens légitur Epitaphium.

Hic sacra, Laurenti, sunt signa tui monumenti;
Tu quoque jucundus Pater, Antistesque secundus:
Pro pópulo Christi, scápulas, dorsumque dedisti:
Artubus, hui, láceris multa vibîce medêris.

B. S. Columbânus Abbas ex Hibernia in Galliam profectus, ibi sancte óbiit, ut refert Andreas Saussai in Martyrologio Gallico hac die, ex quo colligitur S. Patritii institutum amplexum fuisse; quia plures per annos in Hibernia illud sine áltero flóruit, de quo agendum est 17. Martii, dum de S. Patritio.

C. B. Simon de Cassia, seu Fidatus, Cassiæ, Umbriæ Oppido, ortus est anno *1280*, & habitum Augustinianum induit anno *1300*; postquam autem Italiæ Urbes verbo, & exemplo illustrâret; miráculis, & prophetiæ spiritu clarus, Florentiæ ad súperos

súperos volâvit die 2. Februar. anno 1748. corpus ejus tamen Cássiæ jacet, ubi Beati titulo ab antiquis usque ad præsens est insignitus, & público cultu honorâtur; quod certe Bollandum in Actis SS. Látuit; illum enim simplici Encomio refert in prætermissis. Apud me tamen est illius imágo depicta rádiis Beatorum insignita. De N. B. Simône agunt ex NN. Crusen, Pamphil. fol. 51, Andreas Gelsominius in Thesauro devotiónis B. Virg. fol. 74; Herrer. in Alphab. tom. 2. fol. 377, Orosco in Chron. Torelli in Centur. 2. fol. 216. cap. 82, & in Sæculis tom. 5. fol. 582; Portillo hac die fol. 276. tom. 1, Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 62, & in Pantheo Elogio 52. fol. 161; Josephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 326, Jayme Font hac die fol. 427, ubi plures ex exteris allégat. Miramur, cur de illo non agant Acta Sanctorum Bollandi, sicut de aliis in corpore.

D. B. Theodoricus à Monasterio, Monasterienses in Westphalia vixit plures per annos inter nostros Coeremitas; sed ex nostris tandem ad Minoritas transiit, ut réferunt Franciscus Sweertius Minorita in Athenis Belgicis fol. 687; & exillo N. Herréra tom. 2. Alphab. fol. 437, & Torelli tom. 8. Sæculor. ann. 1515. fol. 20. n. 29, qui fuit Concionátor Apostólicus, et stella, quæ Belgicum doctrina, & sanctitâte illustravit: óbiit sanctè anno 1515.; de die tamen sui óbitus dubium esse póterat; P. enim Artúr à Monasterio illum refert die 2. Februarii, quem forte sequutus sum, credens; ut domesticum plús novisse diem óbitus; attamen jam nosco diem ignorasse; & me falli feciisse; diés enim certus óbitus B. Theodorici fuit 11. Decembris, ut asserunt Bollandus in Actis SS, & in prætermissis diei 2. Februarii, Herrera, & Torelli ubi supra. Ex Minoritis plures de illo agunt, ut refert P. Artur. in suo Martyrologio. Sic iterum de eo die 11. Decemb. agendum est.

E. B. Francisca de Castel Durante Virgo & Monialis óbiit sanctè hac die anno 1484; cujus vitam referunt historiæ Eugúbii, unde illam rétulit lato cálamo N. Sebastianus de Portillo in tom. 1. SS. fol. 275. & Fr. Jayme Font in Viridario SS. N. Ord. hac die fol. 433; & novissime N. Fr. Josephus à D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 444, ubi tamen dubius in relatiône hujus B. ostenditur, quátenus non refertur à NN. Herrera, & Torelli. qui rerum fuérant nostrárum indagatóres celeberrimi. Dicam tamen bona pace tanti viri & magistri mei, quod non omnia possumus omnes; plura enim Herreram, & Torelli Latuere, aliis postéa patefacta; illi enim ignotum fuit nomen B. Jacobi de Péssaro, de quo mense Junio agendum est, & tamen non latuit Torelli: ita etiam N. Torelli ignorâvit plura, quæ alii postea cognovêre. Cum ergo hi duo AA. célebres non vidêrent Eugubii historiam, quam vidit Portillo; ideo hic refert, quod vidit, & Legit, alii vero ideo non réferunt, quia nec vidérunt, nec legerunt. Credendus est ergo in hac parte, sicut in aliis creditur Portillo.

E. B. Vir Paulus Barletta in oppido Italiæ, Barletta dicto, ortus est, & assumpto hábitu Augustiniano in Ordinis cœnóbio, ibi ferme duodecim per annos vixit, & nescio, quo fato in hanc provinciam Lusitanam profectus est; ubi rursus professionem efficere coactus est; tenóre sequenti, ut constat ex lib. 2. professionum fol. 20.

Jò Fray Paulo de Barletta Italiano de natione faccio professione, & promitto obedientia a Dio tutto poderose, e alla bene aventurata Vergine Maria sua Madre, & allo glorioso nrō Pré S. Aug. e a vos rsō. Pre Fray Michele del Santos Provinciale d' la orden del Ermitani d' nrō glorioso Pré S. Aug. de questa Provincia de Portugal in nome del nro Re ver. Pré Generale D. Thadeo Perusino d' ditto Ordine, & de sui successori, & promitto guardar obedientia, poverta, e castidade conforme la regula de nrō glorioso Pré S. Augusti. p' tutta mia vita p' fino la morte: 15. de Settemb. an. 1574.

In hac Provincia degens, tanto affectu contemplatióni vacábat, ut in illa sæpissime extra sensus raperétur. In visu raram modestiam observábat, táliter, ut á dæmone in pálpebris crebro esset lauciâtus. Cláruit spiritu prophetiæ. De illo refertur, quod, cum aliquando in choro Lixbonensi Gratiárum orâret ante imáginem B. Virginis, ab illa rosario sacro est donâtus. Plura incredibili ánimi pace perpessus est. In Indiam missus, & ad insulam S. Thomæ appellens, ibi lethali morbo est correptus, dónec à Dei Clementissima Matre consolâtus, evidenti sanctimonia ánimam coruscantem hac die, & anno 1580. exhalâvit, & in prædicta insula ejus exúviæ buccinam ad judicium vocantem expectant. Agunt de illo NN. D. Fr. Alexius de Menezes in m. s. Venerabilium hujus Provinciæ fol. 121, Anton. à Purific. in Chro-

nolog. Monastic. hac die fol. 29, & in Chronic. p. 2. fol. 123, Arpe in Diario SS. die 3. Februar. fol. 64. Torelli in Centuria 5, cap. 62. fol. 590, Herrera tom 2. Alphab. fol 250. Ex exteris Georgius Cardoso in Agiolog Lusit. die 1. Januar. fol. 312. & 319, Dominicus Gravina in voce Turruris lib. 2. cap. 12. fol. 323; & Petru Calvus in Lacrymis Justorum p. 2. c. 32. fol. 68. & pro Coronide N. Leal in m. s. fol. 81, & 285. in lib. m. s. lit. C; & Flos SS. die 11. Maii fol 630, & Portillo tom. 2. fol. 245. die 13. Maij.

G. Ven. Bernardinus à S. Ildephonso, Vicarius Generalis fuit in Hispania nostrorum Discalceatorum, ubi rara sanctitâte vixit, & óbiit hac die, & anno 1642. De illo late agit Fr. Ludovicus de Jesu Discalceâtus tom. 2. Chronic. Discalceatorum Hispaniæ fol. 330.

H. Ven. Antónius Rippoll. Malhorchi ortus est in cænóbio de Succursu, & professus est die 2. Februar. anno 1565. in mánibus Fr. Joannis Serra Provinciâlis Sardiniæ: óbiit tandem sancte circa ann. 1596. De illo agit D. Vincentius Mut in Historia Malhorchina tom. 2. lib. 11. c. 7. fol. 528, & N. Jayme Jorda tom. 3. Histor. Malhorch. c. 3. fol. 466.

I. Ven. Innocentia Spinula Sanctimonialis in cænobio S. Thomæ Genuensis; flóruit mirábili sanctitâte; & óbiit die 2. Februar. & de illa agit Fr. Antêrus noster Discalceâtus in Actibus Apostolorum c. 21. fol. 424.

L. Ven. Therésia de Jesu flóruit in cænobio Recollectarum titulo S. Elisabethæ Matriti, ubi de se clara præbuit sanctitâtis indicia & óbiit die 2. Februarii an. 1633. De illa late agunt NN. Herrera in Alphab. fol. 447 tom. 2. Portillo hac die tom. 1. fol. 267. Arpe tom. 1. SS. fol. 70, Willerin. tom. 1. Solaris August. lib. 2. tract. 2. fol. 31. Torelli in Centur. 6. cap. 87. fol. 748, et Josephus à D. Anton. in Flore SS. tom. 1. fol. 447.

M. Hac die, et anno 1516. ingressus ad Ordinem S. Thomæ de Villanova in in cænobio Salmantino, ut referunt omnes de ejus vita scriptóres, qui àsserunt miram Altissimi Providentiam fuisse, ut eo témpore, quo infamis hydra Germaniæ Ordinem falsis dogmatibus fædavit, hic heros sanctissimus Thomas maculatum suo ingressu ordinem illustráverit.

N. Revelátio facta eidē D. Thomæ de Villona à Christo D. áccidit hac die anno 1555, & illam referunt NN. Nicásius Baxius in vita S. Thomæ, citâtus à P. Allosa Limensi societâtis Jesu in suo Cœlo Stellato lib. 1. c. 12. fol. 15. n. 6; et P. Bagatta in Mirandis fol. 6, et alii.

O. Anno 1676. die 2. Februarii celebrâta est Translátio B. Lúciæ de Amélia à senatu ejusdem Urbis, in qua nonnulla visa sunt prodigia, inter hæc minus non extitit, nam cum ab ejus morte, quæ áccidit anno 1350 die 27. Julii, transiissent trecenti, & viginti sex anni, corpus tamen ejus inventū est incorruptū, & sine ulla mácula. De hoc late agit N. Josephus á D. Antonio in suo Iman Spirituali fol. 53, & in Flore SS. tom. 3. fol. 30; & plúres, qui de illa agunt.

TERTIO NONAS FEBRUARIJ.

III.

A. In Insulis Philippínis pássio B. Viri Augustini Stigni de Nascriba Hispáni, qui, cum ibi magno fervôre Christi fidem prædicâret; à Bárbaris crudéliter tentus, tandem acúto gládio decollâtus est. *B.* Génuæ in cænóbio S. Thomæ felix transitus Ven. Angelæ Spinulæ íbidem Moniális, quæ cum esset morti proxima, tamen, ut B. Virgo prædixerat Ven. Innocentiæ Spínulæ, postridie illam felici fato, ut créditur, ad fóciam in cælis existentem volâvit hac die. *C.* Calabriæ memória Ven. Moisessiæ de Cassáno, nostri Ordinis mantellatæ, solitáriæ, & sanctæ vitæ fœminæ, cujus intúitu, & méritis Ordo possidet cænobium Melissense in Provincia Calábriæ, titulo S. Salvatóris. *D.* Viennæ in Del-

phinatu

phinatu óbitus Ven. Joannæ Sermet, seu à SS. Sacramento Monsális ex instituto Ursulinárum in monastério Lorguensi, & nostri Ordinis adminus mantellatæ; quæ cláruit devotióne erga Sanctissimum Sacramentum; & sic ante communiônem illîus in Vigilia nihil loquebâtur, ne os macularétur, quod futurum erat veluti pons, per quem Christus erat transitûrus. Ornâvit ánimam paupertâte, charitâte, & humilitâte. Nocte quadam audivit sibi dicentem vocem, ut se ad mortem præparasset; & sic ad illam multo se cum fervôre præparávit; & mense transacto, insanábili febre correpta est, & post septem, & decem infirmitatis dies incredibili patientia, & inter pias, & devôtas preces ánimam hac die suam suo trádidit Creatóri.

COMMENTARIA

AD DIEM TERTIUM FEBRUARIJ.

A. Ven. Augustînus Stigni Hispânus in insulis Philippínis pro Christi fide decapitâtus est anno 1590. De illo agit ex Herrera Torelli Centur. 5. c. 88 fol. 617.

B. Ven. Angela Spínula vixit in cænobio S. Thomæ Monialium Génuæ simul cum Ven. Innocentiâ Spínula, de qua die præcedenti: & illa post hanc piè óbiit hac die, ut refert P. Antêrus Discalceatus in Actib. Apostolorum c. 21. fol. 422.

C. Ven Moisessa de Cassáno Mantellata æternæ memóriæ digna: fuit cujus industria nunc Provincia Calabriæ possidet cænobium Melissense S. Salvatôris, Cataldus enim de Arcusio Archipræsbiter ejusdem loci die 10. Augusti ann. 1546. intra Castrum terræ Melissæ donavit Sorori Moisessæ capellam S. Salvatôris cum suo terreno, & post ejus óbitum Ordini S. Augustini De hac agunt NN. Herrer. tom. 2. Alph. lit. M. fol. 62, & 133, dum de cænobio Melissæ, Torelli Centur. 4. cap. 90. fol. 491.

D. Ven. Joanna Sermet, Monialis Ursulîna in Delphinátu, & in monasterio Lorguensi; flóruit mirábili sanctitâte, & óbiit hac die anno 1668, ut dicitur in Chronic. Ursulinárum fol. 255. Ob hanc, & álias plures ejusdem instituti, de quibus in hoc ópere tractâre intendo, tanquam adminus mantellatis N. Ordin. répetam illud Ovidii lib. 3. Tristium in principio

Quærebam Fratres: exceptis scilicet illis,
Quos suus optâret non genuisse Pater.

Certum est has Ursulinas institutas esse á N. B. Angela Brixia sub regula, & hábitu Eremitico S. P. Augustini, & adhuc sub his perseverâre, & semper P. Augustini nomen in ore haberê. His non obstantibus, dúbitat N. Herrera in Alph. tom. 1. fol 26, dum de B. Angela, an hæc institútio sit nostri Ordinis fætus, an ejusdem proles novitia! & idem refert lit. P. fol. 287, dum de Ven. Paula de S. Ursula, & dubium fundat in testimonio Joannis Ludovici Gotofrédi an. 1638 in Archontologia cosmica fol. 75, ubi ait: Anno proxime elapso 1612 mense Novembri die S. Martini aliæ puellæ, quæ etiam Ursulinæ dicuntur, & domum habent in suburbio S. Jacobi Lutetiæ, assumpserunt novum hábitum sub regula S. Augustini, & tria vota solemnia nuncupárunt secundum diplomata, quæ á SS. P. Paulo 5. obtinuerunt. N. Torelli tom. 9. in sæculo 1572. n. 8. fol. 561. de his Ursulínis lóquitur late, áfferens illas nostro indui hábitu Eremitico, ut cláret in Ven. Renata omnium sanctorum, de qua fertur in Historia Ursulinarum fol. 158, quod post aliquot annos inventum est ejus corpus incorruptum cum corrígia, hábitu vero nigro consumpto. His ergo propositis, in hac matéria réferam, quod sentiam, scilicet, quod tales Ursulinæ, dato, quod Móniales non sint nostri Ordinis, quia diverso modo promittunt, & efficiunt sua vota, attamen dicendæ sunt adminus ad Tertiã Ordinem pertinêre, Quod probo, quia se perenniter S. P. Augustini filias nóminant; deinde, præter hábitum, ejus corrigiam deferunt: ergo. Ob hoc in codem libro Ursulinárum fol. 90 fertur, quod, cum anno 1660. die 8. Martii óbiisset Lanioni

Ven. Susanna Goes ab Angelis, Ursulinæ invitárunt nostros Religiosos ibídem degentes, ut prædictam defunctam vellent, ut filiam sui Patris, & sibi pertinentem commendâre, & in sua Ecclesia sepelîre, quod libenter á nostris Fratribus concessum est: ergo inconcusse dici potest, quod tales Ursulinæ ad nostram saltem, ut Tertiariæ, seu Mantellatæ, pértinent Religiônem; & látius de hoc agendũ est die 21. Martii, cũ de B. Angela Brixia sermo fuerit, quæ fuerat Ursulinarũ institutrix, & inter nostrates numeratur.

PRIDIE NONAS FEBRUARIJ.

IV.

A. In Hispánia memória S. Leporii Episcopi, & Confessôris, qui obsui égregias virtútes, ex Eremo Augustiniana ad præsulatum Uticensem translâtus, & assumptus est; quo múnere sanctissimè expleto, ad cælícolum consortium reassumptus est. *B.* Carthágine in Africa festívitas alterius S. Lepórii, Episcopi etiam, & Confessoris, qui prius vivens sub disciplina S. P. Augustini, ad Episcopatum ejusdem urbis electus est, é quo ad cæli palatia méritis plenus migrâvit. *C.* Senis in Ilicéto mors pretiósa B. Jacobi Piccolominei, Iliceti incolæ celeberrimi, de quo narrátur fuisse primariæ nobilitâtis civem, humi cubantem, crudis vescentem, vina fugientem, cilícina indumenta, non lánea, induentem, in oratiône Dei pernoctantem, corpus cædentem, signis radiantem, in terris ut parvum se tenentem, & nunc in cælis ut magnum habitantem, quo per Angelorum manus fuit assumptus, ubi immarcessíbili corona donâtus, cælícolum adauget consortium & lætitiam. *D.* In eodem cænóbio óbitus B. Antonii Alexandrini Confessôris, qui antiquissimæ nobilitâtis suæ aspernâtus claritátem, mundo valedicens, ibídem mónachus attonsus est, ubi inter assíduam contemplatiônem degens, inqua superáta córporis mole, avulsus à terra, in sublími sæpius pendêre visus est, inter virtútes hujus ásceclas, devicto mortis acúleo, ad immortálem glóriam translâtus est. *E.* Romæ in cænóbio S. P. Augustini depositio B. Christóphori Patavíni, viri magnæ innocentiæ, & profundæ scientiæ, obquæ in Generálem totiûs Ordinis electus est, & munus summa cum rectitúdine per duodeviginti annos exércuit; fuit enim observantissimus, & cum morti esset próximus, Christi imáginem ámplexus, magna cum teneritúdine dulcia repetêbat collóquia; donec illas Sponsæ répetens loquellas: Trahe me post te, ánimam hac die Deo trádidit coronandam. *F.* Senis in Iliceto professio B. Christóphori Petronii Confessôris, qui ibídem vixit, & óbiit rara sanctitâte. *G.* In Hispânia felix tránsitus Ven. Gabriêlis à Conceptiône. qui inter álias dignitátes inter Discalceátos electus est Vicarius Generâlis; qui tamen fuit Sanctissimi Sacramenti devotissimus; & B. Virginem summo cum affectu venerabâtur: erat in oratiône assíduus: donec méritis, & sanctitâte clárus, ad súperos hac die volâvit. *H.* In Perinaldo, oppido Reipublicæ Genuensis, depositio Ven. Benedicti à S. Dámaso, qui inter Discalceátos sub Laicali instituto professus, ibi flóruit humilitâte, modestia, & diligentia, & charitâte erga omnes. Ad matutina surgebat, oratiôni óperam navatúrus: erga paúperes satis erat pius, & misericors. In patientia fuit mirandus, sacramenta plus solito frequentâbat. Erat devotissimus B. Virginis, cujus imágines in cænóbio sparsim exponêbat, ut tránsiens Virginem adorâret, & illas assíduis flóribus exornâbat. Tandem piis opéribus cumulâtus, in cænóbio de Recco piè é vivis decessit. *I.* Burdígalæ in Gallia tránsitus Ven. Margaritæ Bolain Virgínis Ursulinæ, & nostri Ordinis adminus Tertiáriæ, quæ in religiône vixit raro exemplo, ob quod ad fundatiônem Monastérii Vanensis missa est, erat nimiæ pacis observátrix, in oratiône assídua, in pænitentia rara; sese enim asperis cruentâbat disciplinis, & in calceamentis acútos lápides occultâbat. Tandem pronuntians piè Jesu, & Mariæ nómina, summa cum pace hac die quievit.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM QUARTUM FEBRUARII.

A. S. Lepórius Epiſcopus Uticenſis flóruit in Hiſpania circa annũ 406, qui in Bethica duo cœnobia N. Ordinis fundâvit, ut ait Aubertus 2. p. in anno Chriſti 406: his verbis. S. Lepórius Epiſcopus Uticenſis in Hiſpania S. Auguſtini mónachus, conſtruxit in Bethica duo Mónaſteria. Idipſum refert Liberâtus in Chronic. & Flavius Dexter anno 406, ubi ait: Lepórius Epiſcopus Uticenſis, prius Mónachus ex familia S. Auguſtini. Hoc ipſum teſtantur Caſſianus, & Genebradus. Ex NN. Portillo tom. 1. hac die, fol. 283 & 9. Leal in Chronic. Puriſic. 6. Exam. 4. fol. 578. n. 9.

B. S. Lepórius alter à ſuperióri, quem Genebrardus vocat Thalaſſum ad diſtinctiônem prioris, his verbis: Lepórius Thalaſſus Afer, & Marcus Eremitæ, & Mónachi, & Baron. tom. 5. anno 409: ait: Præter Lepórium hunc, Leporium álium invénimus clariſſimum génere in S. Auguſtini Mónaſterio profitentem: de quo etiam lóquitur Vivar in Comment. ad Dextrum, & idem P. Auguſtinus ſerm. de communi vita Clericorum. Fuit S. Lepórius Epiſcopus Carthaginenſis, & Africæ Primas; unde ſãncte óbiit circa an. 406. De illo præter citatos agunt NN. Portillo tom. 1. SS. fol. 282. & Leal ubi ſupra.

C. B. Jacobus Piccolomineus Senenſis, vetuſtiſſimum Ilicetanorum lumen, magna ſanctitâte floruit, & óbiit die 4. hujus menſis; annus tamen, quo flóruit, ignoratur. N. Ambroſius Lauducci in Sylva Ilicetana elogio 3 fol. 80. ait óbiiſſe anno 1074, alii vero 1200, Pamphilus vero cum Torelli infra tenent floruiſſe circa an. 1391, Cruſen, ſub anno 1388. Et ratio hujus varietâtis eſt, quia non invenîtur in cathalogo profeſſorum àb anno 1348. Certum tamen eſt ibi floruiſſe magnis virtûtibus. Ejus corpus manet incluſum in arca plumbea ſub ara Déiparæ Senenſium patronæ dicata, in inſigni Metropolitana Eccleſia Senarum. De N. B. Jacobo agunt ex noſtris duo Cardinales Ægidius Viterbienſis in Panégyri Romæ aſſervata in Bibliothéca Angélica, & in Archivo Ilicetano, Hyeronymus Seripandus in Elencho Sanctorum Ordinis fol 16, Joſephus Signînus Epiſcopus in Chron. Ord. fol. 66, Stephanus Ugurgerius Ilicetan. oratiône B. Joannis Incontrii, Ægidius Marcónius in Indice SS. Ordinis lit. I. Ven. Hieronymus Bonſignórius in Memoriali m. ſ. fol. 11. Athanaſius Marcuccius á Monte Fulónico in álio Memoriali m. ſ. fol. 24, Camillus de Talentis in Enarratiône Beatorum columna 1, Cruſen. p. 3. c. 31. fol. 163, Simplicianus á S. Martino in Hiſtor. SS. Ord. fol. 440, Herrera in Alph. p. 1. fol. 379, Torelli in Centur. 3. cap. 40. fol. 281 Ambroſ. Landucci Epiſcopus in Sylva Ilicetana elógio 3. fol. 80; Portillo tom. 1. fol. 284. Ex exteris Rappius Præsbiter Senenſis in Lima ſpirituali fol. 33, Franciſcus Módius in Orig. Ord. Eccleſiaſt. in Indice; & plures alii.

D. B. Antonius Alexandrinus Senis natus eſt é nobiliſſimo génere, diverſus tamen eſt à B. Antonio de Montechio, ut dicendum eſt 13. Auguſti, & à B. Antonio de Ceretânis, ut ſentit N. Landucci in Sylva Ilicetana, dum de B. Montechio, quamvis N. Herrera hos tres in unum confundat, ut vidêre eſt in Alph. p. 1. fol. 17: flóruit Iliceti anno 1160, & magna ſanctitâte tranſlâtus eſt ad immortalem corónam, & de illo hac die agit N. Leal in m. ſ. De illo etiam agunt NN. Card. Seripandus, & Cardin. Ægid. Viterbienſis, & plures citáti á Laudúcci ubi ſupra, elogio 4. fol. 81.

E. B. Chriſtóphorus Patavînus ex Procuratôre generáli electus eſt Generâlis Bonóniæ anno 1551. die 17 Maii; Ordinem Auguſtiniánum tempôribus calamitoſis, ſumma cum prudentia, & vigilantia, ferme per duodeviginti annos ſanctiſſime gubernâvit, donec in cœnóbio Romano, die 4. Februarii, anno 1569 ætat. 69, ánimam ſuo trádidit Creatóri, relicta ſuis ſuæ felicitâtis magna ſpe, cui in cœnóbio Patavîno célebre inſculptum eſt elógium, adductum à N. Herréra in Alph. tom. 1. fol. 147. De illo agunt præter Herrer. NN. Elſſ. in Encom. lit. C. Portillo in tom. 1. SS. hac die fol. 290, & alii plures.

F. Profeſſio B. Chriſtóphori Petrónii Senenſis in Ilicéto celebrata eſt anno Domini

mini 1475. tempore B. Antónii de Montéchio, tunc ibi Priore. Jam de hoc B égigimus die 2. Januárii, in qua óbiit. Videátur N. Landucci in Sylva Ilicetána Elogio 43. fol. 120.

G. Ven. Gábriel à Conceptióne fuit Discalceatórum Hispaniæ Vicárius Generâlis, ubi hac die, & anno 1634. sancte óbiit, ut refert Fr. Ludovícus de Jesu Discalceatus tom. 2. histor. Discalc. fol. 242.

H. Ven. Benedictus à S. Dámaso ann. 1633. natus est in Perinaldo, oppido Reipublicæ Genuensis; inter Dicalceatos professus est in statu Laicáli 19. Decembr. ann. 1662. ætatis 27. Tandem virtutibus clárus, óbiit in cænóbio Reccensi die 4. Februarii anno 1693. ætat. 58; ut late refert Fr. Joan. Bartholom. N. Discalceatus Lustro 20. n. 1. fol. 604.

I. Ven. Margaritta Bolain fuit Moniális inter Ursulinas Burdigalenses in oppido Laval, ubi vixit, & óbiit fama sanctitátis. De illa ágitur in Chronica Ursulinarum tract. 2. p. 3. in Lingua Gallica fol. 21, ubi constat, eas vivere sub regula S. P. Augustini, & sic esse adminus Tertiarias nostri Ordinis, ut dictum manet in commentar. diei præcedentis lit. D. Obiit ergo Ven. Margaritta die 4. Februarii anno 1639.

NONIS FEBRUARIJ.

V.

A. In Território Morinorum transitus S. Berthulphi mónachi, & confessóris, cujus corpus in Gandávia, ad quam illius facta est translátio, requiescit; ubi, ut fama narrat, solet pulsum velut mánibus édere circa suum féretrum, gravi áliqua imminente divina ultióne, ut sic admóneat fideles, ut précibus, et pœnitentia iram Dei placent accensam. *B.* In Hispánia, in oppido Veger, memória S. Pauli Confessoris, et mónachi, discipuli S. Paulini Episcopi Nolani, qui multis méritis præclárus, ad cœlicolum vocátus est consortium, et post óbitum multis cláruit miráculis. *C.* Neápoli in cænóbio Canozéto depositio B. Viri Jacóbi Neapolitáni, qui in Religióne nímia erga ægrótos splenduit charitáte. A Deo inspirátus, cænóbium fundávit in oppido Canozeto, unde suis précibus fons humóris Christállini manávit, ómnibus ex illo potantibus saluberrimus. Insuper suis méritis fecit árborem intempestivo témpore flores, & fructus prodúcere. Flóruit patientia in morbis crudelissimis, in quibus rénuit medéri, & licet vulnera vermibus redundárent, non illos ábigi sinébat, imò ad vulnera exilientes sterum reducébat; dónec tantis méritis cumulátus, ad præmia cæléstia vocátus est. *D.* Papiæ memória Ven. Bonifácii Butigellæ Papiensis, viri doctissimi, fuit enim ejusdem civitátis Theologus, & Commissárius Generalis in Papía super áliquas causas in cænóbio S. Mustiolæ, cum potestate de ejus familia disponendi. Ob virtutis commendationem, Joannisque Galeacii, Ducis Mediolanensis petitióne, à Bonifacio Nono electus est Episcopus Laudensis, & post undecim annos sui Præsulátus feliciter expletos, pio fato Papiensi urbe parentátus est, sepultusque est inter nostrátes cũ célebri Epithaphio. *E.* Bráecharæ in Lusitania Translátio Córporis S. Martíni Dumiensis Episcopi, & postea Archipræsulis Braccharensis, quod, cum sepultum esset in cænobio Dumiensi, tandem industria nostri Illustrissimi, & Venerabilis Augustini à Jesu, àlias à Castro, hac die translatum est ad Sedem Bracharensem, ubi maximo populi concursu venerátur. *F.* Murciæ in Hispania óbitus Ven Mariannæ à S. Simeône Vírginis, quæ in Déniæ cænóbio Deo inter Moniáles sacráta, ibi perfecte Deo cæpit ancillari; unde deducta est ad fundatiónem Almansæ, & poste Murciæ, & hic innúmeris cæli favóribus ditáta, & prodígiis gloriósa, ad úperos felíci auspicio inter cælites evolávit. *G.* In cænobio Benigaminensi in Hispania, in regno Valentiæ, depositio Ven. Victoriæ à S. Stéphano Virginis, quæ in religióne in cunctis cláruit virtútibus, fuit in humilitáte profunda, in obedientia prompta, in charitáte singulàris, in paupertáte mirábilis, & præcipue in pœnitentia; duodecim enim per annos lecto ad somnum capiendum abstinuit, & integras per noctes per modum crucis extensa, orationem protrahébat in choro coram sanctíssimo. Plúribus morbis vexáta, ut purgarétur,

tandem

tandem lethaliter oppressa, inter desidéria Deum videndi, hac die magno cum sanctitâtis odôre é vivis discessit. *H.* Valentiæ in Hispánia in cænóbio Monialium sub invocatiône Præsentationis Ven. Elisabethæ á *S.* Petro ibídem Monialis Conversæ, quæ in religiône vixit raro observantiæ exemplo, valde paupertâtis virtútem dilexit; non nova, sed vetera duntaxat induebat vestimenta; frusta panis á sodalibus derelicta sibi solum porrigi procurâbat. Erga pauperes exímia flóruit charitâte, mirábili non pauca opprôbria sustinuit patientia. Profundam exercuit oratiônem. Dicebat frequenter, cor suum Domini sacrarium esse, & lampadas ante Dóminum ardentes esse virtútes fidei, spei, & charitatis. Quoties sacramentum erat expositum in Ecclesia, ejus præsentiam omni solicitúdine anhelâbat, & ante ipsum exhilarans saltus dabat, & obhoc ab Abbatissa reprehensa, respondebat; etiam Davidem coram Testamenti Arca saliisse. In oratione qnotidiana fere sex horas protrahébat. Sæpe Monialibus dicebat, se non in Purgatorium descensuram, sed suum purgatorium in sacrário habitúram; quod certe contigit, nam cum hac die fatum expleret, sensére post illius óbitum Moniales in sacrario véluti sonitum horológii léviter resonantis. *I.* Almansæ in Hispania, in cænóbio Corporis Christi, felix óbitus Ven. Joannæ à S. Ægidio ibídem Monialis, quæ in Religiône vixit mirábili sanctitâtis exemplo: ad assistentiam chori erat promptissima; in oratiône continua, ubi à Deo plures suscêpit favóres; inter hos fuit inrelligentia scripturárum: cláruit spíritu prophetiæ; dónec annis, & méritis plena, hac die, susceptis pie sacramentis, ad Dei amicórum consortium translâta est. *L.* Ulysipône óbitus Ven. Guiomáris à Cruce Mantellatæ, qua ibídem hac die nota óbiit sanctitâtis. *M.* Pamplónæ in cænóbio Conceptiônis depositio Ven. Therésiæ ab Angelis sanctimonialis, & magnárum virtútum heroinæ, flóruit enim humilitâte profunda, obedientia mirábili, fortitúdine, & áliis cardinalibus, charitâte summa, & intensa devotiône erga Christi passionem, & B. Viginem, título Solitúdinis, cujus in honórem quotidie recitâbat hymnum: Stabat mater dolorosa. Spiritu prophetico créditur claruisse; plura etenim, quæ postea, ut dixit, contígerant, vaticinâta est. Tandem gravibus morbis vexata, ubi singulárem ostendit patientiam, die S. Agathæ, magno sanctitatis odôre, ánimam efflavit. *N.* In cænóbio Monialium oppidi Bocairenti memória Ven. Catharinæ Beldæ Monialis Conversæ, quæ in Religiône rara clárnit obedientia, humilitâte, oratiône prælonga; quotidie enim omnes in Ecclesiâ missas celebrátas audiébat, & Sacram Synaxim, per confessionem prius expurgâta, recipiébat, & omnes sermones ibi factos arrectis auribus auscultâbat. In pœnitentia satis miránda fuit, ad pectus crucem aculeis férreis refertam gerébat; quartis, & sextis feriis totíus anni pane solo, & aqua vitam tolerâbat: quod etiam in vigiliis festivitatum Christi, B. Virginis, Apostolorum, & sanctórum Ordinis servâbat. Mira, & inaudita patientia opprôbria sibi facta tolerâbat, nam solébat se calumniantium pedes humi prostrâta osculári, & profunda humilitâte illis dicebat: parce, soror; sum namque miserábilis. Tandem, tantis cumulâta méritis, ad réquiem vocâta est sempiternam.

COMMENTARIA

AD DIEM QUINTUM FEBRUARIJ.

A S. Berthulphus Abbas flóruit circa annum 700 in território Morinórum Gandávi: cujus imâgo pingitur stans in sublimi pégmate manu sinistra librum sustinente, & dextera ad cruménam zonæ appensam admôta, largasque eleemosynas egenis distribuente, áquila caput expansis alis tegente. De illo agunt Martyrologium Romanum, Acta SS. Bollandi, & Cathalogus SS. N. Ordinis, ubi illum nostro Ordini ducitur.

B. S. Paulus, discipulus S. Paulini Episcopi Nolani, clárnit in Hispánia in oppido Veger, quod extat sub ditiône Ducis Medinæ Sidóniæ, cujus adjutorio erectum est altâre S. Paulo, & Ecclesia constructa est, ubi depicta extat imâgo S. Pauli juxta traditiônem antiquam hábitu Eremitico, & per illum ibi Deus crebra operâtus est miracula. Flóruit circa annum 399. Agunt

de

de illo NN. Torelli tom. 1. an. 399. fol. 417, Delcampo in Histor. Generali lib. 2. cap. 46. fol. 342, Portillo hac die in m. f. Jayme Font in Viridário sanctórum hac die fol. 449.

C. B. Jacôbus de Neápoli, in hac civitâte ortus est; hábitu assúmpto, vixit in Religiône rarâ observantia. Cúpidus indulgentiæ anni sancti lucrifaciendi, anno 1500 Romam petiit; mox domum Lauretanam, & Ecclesiam Tolentinatensem, ubi N. S. Nicolai corpus quiescit, visitávit; inde licéntia Prælatórum Urbinum pétiit, ubi in nozocómio Bargnensi servíre decrevit, & ob inopiam domus eleemósynas petébat; & cum vineam ibidem sibi datam susciperet, ibi cænóbium Ordinis fundâvit, & intercessiône suprémæ Regínæ ibi fontem saluberrimum fecit scaturíre. Aliis miráculis Deus suam testátus est sanctitátem; donec, apud omnes relicto suárum virtútum odóre, ad súperos volávit anno 1508, & corpus ejus sepultum est in ara Virginis sanctissimæ. Agunt de illo præter testimónia reperta in archívo Cartoceti S. Mariæ de Succursu Provinciæ Marchiæ Anconitánæ, NN. Ven. *P.* Camillus Thomas in vita B. Jacobi, Torelli in Sæculis tom. 7. ann. 1058 fol. 588, & Centur. 4. cap. 43. fol. 426, Portillo die quinta Februarii tom. 1, fol. 293 & alii plures.

D. Ven. Bonifacius Butigella Papiensis, qui à Generali anno 1389 electus, est cõmissarius Generâlis cænobii S. Mustiolæ, anno 1393. electus est Episcopus Laudensis, in quo munere permansit usque ad annum 1404, in quo etiam pie decessit: & cum electus esset die 5. Februari, eo de illo agimus die, cum suæ defunctionis dies ignorétur. De illo agunt ex NN. Herrera lit. B. de Prælatis, Elss. fol. 131, Torelli tom. 6. anno 1386, & tandem anno 1304. fol. 596. Ex exteris Ughellus in Itália sacra fol. 674. de Episcopis Laudensibus.

E. Translatio S. Martíni Dumiensis Episcopi, & póstea Archipræsulis Bracharensis, qui óbiit die 20 Martij anno 579, cujus corpus sepultum est in cænóbio Dumiensi; unde ad Cathedrálem Ecclesiam Bracharensem translatum est die 5. Februarii, anno Domini 1609 zelo, & industria N. Illustrissimi, & Ven. Augustini de Castro, álias de Jesu. De hac Translatiône agunt exnostris Anton. à Purificat. de Viris illustribus lib. 1 cap. 2 fol. 3. Torelli in Sæculis tom. 2. fol. 445, anno 583. Ex exteris *D.* Rodericus á Cunhá in Histor. Ecclesiastica Bracharensi p. 1. à cap. 71. Causinus in suo Diario hac die, Bollandus in Actis SS. die 20 Martii á fol. 90. usque ad 22.

F. Ven. Marianna à S. Simeône virgo orta est Deniæ in Coróna Aragóniæ die 3 Novembris anno 1571: facile didicit latíne loqui, & textus sacræ scriptúræ intellexit. Vix bisseptem annos ætatis implevit, votum castitatis emísit. Ad matrimonium destinata est, sed bis sponsus gráviter ægrotâvit, qui tertio de matrimónio curans, vitam amísit. Moniális facta est in cænóbio Deniæ, & huic actioni adfuit Philippus Tertius Hispaniarum Rex, & Ven. Mariannam suis mánibus hábitu adjuvit circumcingi. In die S. Michaelis Christus illi apparuit, & cor proprium á péctore edúcens, illud pro Mariannæ corde commutávit. In gravi tristitia ab Angelis solâta est. Ad fundatiônem cænóbii Almansæ vocâta est; inde ad Murciam; ubi cum gráviter ægrotâret, à sanctis Cosma, & Damiáno sanâta est. Hic fecit arduissimum votum faciendi semper, quod perfectissimum esse intelligeret, SS. Theresiam imitata. Trabem diminutam ad opus suis precibus elongâvit, adinstar S. P. Augustini. Triticum paucum in cellario repertum benedícens, ad annum fecit ad totam communitátem accédere. Novercæ á médicis, ut mórtuæ derelictæ, vitam restituit. Plúribus prodigiis ejus Deus testatus est sanctitátem. Tandem, post quindecim annos existentiæ in cænóbio Murciæ in morbum incidit, & suscéptis piè Sacramentis, sancte óbiit die 5. Februarii anno 1631 ætátis 60: ejus exequiæ máxima cum pompa celebrátæ unt: & cum orta esset contentio, in quo loco ejus sacrum cadáver conderétur, moniális quædam simplex ejusdem cænobii, hæc prótulit verba Joannis cap. 19: In quo nondum quisquam pósitus fuerat; idcirco in sepulchro novo collocâta est, in loco, ubi aliquando vivens, & stans dixerat: Hæc requies mea in sæculum sæculi. Post mortem nonnullis cláruit prodigiis. De Ven. Marianna egit Lázarus de Ochôa Ven. Mariannæ confessarius; ex cujus scriptis ejusdem vitam scripsit Fr. Andreas à S. Nicolão Discalceatus in Historia Generali Hispaniæ, & NN. Alphonsus Villetinus tom. 2. Solaris Augustiniani lib. 33. fol. 491. à §. 1. usque ad 5; Jorda tom. 2. lib. 2. c. 23. fol. 697, Arpe in Diario SS. die 27. Aprilis fol. 224,

Josephus

Josephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 457.

G. Ven. Victoria à S. Stéphano Valentiæ in Hispánia orta est é parentibus piis, & honestis, scilicet, Francisco Petro, & Benedicta Sanches: in cænóbio Benigaminensi Monialis induit cucullam in statu conversæ die 18. Januarii anno 1612, & tria Deo promisit vota die 11. Februarii anno 1613, ubi nota degens sanctitáte, pie decessit die 5. Februarii anno 1665. Agunt de illa NN. Villerin. tom. 3. Solaris Augustiniani lib. 39. tract. 3. fol. 208, Jorda tom. 2. Hist. Valentiæ lib. 5. cap. 12. n. 19 fol. 559.

H. Ven. Elisabétha á S. Petro Requénæ in Valentia orta est, & in cænóbio Præsentationis Valentiæ rara sanctitáte vixit sub hábitu conversæ, & pie óbiit die 5. Februarii anno 1681. De illa agunt NN. Villerin. ubis. tom. 2. lib. 18. tract. 2. fol. 43. & Jorda tom. 2. lib. 4. cap. 18. fol. 475. n. 13.

I. Ven. Joanna á S. Ægidio ortum hábuit in oppido Bogarræ regni Valentiæ, é parentibus honestis, videlicet, Bartholomæo Martines, & Catharîna Lopes; hábitum Monialium suscépit in cænóbio Almansæ 19 Martii anno 1612, & votis se Deo dicâvit die 21 Martii anno 1613: ubi mira observantia degens, relicto suæ sanctitâtis claro odôre, óbiit sancte die 5. Februárii anno 1685, ætatis suæ 97. De illa mentionem faciunt NN. Villerin. tom. 3. lib. 38. §. 3. fol. 187, Jorda tom. 2. lib. 5. n. 21. fol. 543.

L. Ven. Guiomar á Cruce nostri Ordinis Mantellata óbiit hac die an. 1685. Ulyssipone cum magna opinione sanctitâtis; ut refertur in Libro, in quo óbitus Fratrum consignantur. De illa aliam non réperi notitiam.

M. Ven. Therésia ab Angelis orta est in oppido Garinoain in regno Navarræ ex parentibus nobilibus, & Christiánis, quorum nómina erant D. Joannes Martines de Acpiroz, & D. Maria de Zunçarren: in cænobio Pamplonensi Deo sacrâta est, ubi mirabili sanctitáte coruscans, & spiritu prophetiæ clara, hac die anno 1692 é terris ad cælum translâta est. Agit de illa late N. Villerin. tom. 3. lib. 43 tract. unico á fol. 556 usque ad 589.

N. Ven. Catharîna Belda natálem hábuit in oppido Bocairenti regni Valentiæ, filia fuit Vincentii Baldæ, & Petronillæ Assensio. Moniális facta est in statu conversæ in cænobio suæ pátriæ, ubi professionem emîsit die 5. Februárii an. 1644: in religiône rara vixit observantia, donec recte consummatio suæ vitæ certâmine, ad præmium suis méritis diu præparátum volâvit anno 1694. Non refertur dies sui óbitus, ídeo de illa mentiônem fácio in die mortis moralis, professionis scilicet. Agit de illa N. Jorda tom. 2. lib. 4. Histor. Valentiæ cap. 10. n. 21. fol. 329.

OCTAVO IDUS FEBRUARIJ.

VI.

A. Apud Attrebatensem urbem in Gallia Tránsitus S. Vedasti Episcopi ejusdem civitâtis, & confessôris, qui é monastério, ubi monasticam vitam profitebâtur, avulsus á S. Remigio, Episcopus consecrâtus est; & cum per quadraginta annos suæ Ecclesiæ præfuisset magna vitæ sanctitáte, in morbum gravem incidit, & tunc témporis, ad ejus mérita declaranda, columna miri splendôris é cælo super domum ægrotantis irrádians illiûs óbitum præsignâvit, et sic felici fato occumbens, ad amicorum Dei consortium hac die migrâvit. *B.* Amandôpoli in Bélgico tránsitus S. Amandi Episcopi Trajectensis, et confessôris, qui é monastério Lerinensi edúctus ad istam Ecclesiam regendam, innúmeris méritis cumulâtus, ad réquiem sempiternam volâvit. *C.* In cænobio Neapolitáno beata mors incomparabilis viri B. Angeli de Furcis confessôris, et Doctôris égregii, cujus natálem parentibus nuntiâvit Archangelus Michael cum M. P. Augustino sociâtus, dicens, generatú-

ros filium, qui futûrus erat coram Dómino magnus, et Deus per ejus mérita præclâra erat operatûrus; et sub tutéla ejusdem Angeli, mundum, et ejus pompas delpiciens, hábitum Eremiticum sui sócii susceptûrus erat, et ex illo hausturus erat sapientiæ aquam, quacum rationáles árbores erat irrigatûrus; quod verè accidit; assumpto enim hábitu Eremítico, ibi exímia scientia, mirabili sanctitâte, et innuméris cláruit miráculis, donec, absolúto vitæ curriculo, hac die in cælum migrâvit. *D.* Neápoli in cœnobio Veritâtis depositio Ven. Caróli à S. Nicolao Confessoris inter Discalceátos noti, qui in Religióne rara sanctimónia vixit; fuit enim in oratióne assíduus, silentio, et oculorum modestia singulâris. Illi B. Virgo apparuit, admonens, ad superandas tentatiónes proficuum esse remédium légere evangélium S. Joannis de Passióne, et vitam S. Getrúdis. Cum ergo ætâtis esset quadraginta duorum annorum, méritis clárus, ad súperos hac die translátus est, et post mortem nonnullis cláruit prodigiis. *E.* Villaviçosæ in regno Lusitaniæ, et in cœnóbio Monialium S. Crucis tránsitus Ven. Eleonóræ ab Spiritu Sancto, ibídem Moniális, ubi claris flóruit virtútibus, et plúribus à cælo apparitióeibus donáta, et taliter in Deum absorpta erat, ut plúribus dæmonum terriculis vexâta, propósitum orandi nullátenus dimíserit. Cum ergo dictum cœnóbium summa cum prudentia gubernasset, piè hac die decessit. *F.* Indiæ in civitate Goensi, et in cœnobio S. Mónicæ pretiósa mors Ven. Guiomaris à Præsentatióne, quæ nóbili ex prosapia nata, ibídem inter Moniales admissa, statim virtútis témitam magno cum ardóre amplexa est; oratióni enim, matificationibus, et cæteris virtútibus óperam dedit: cujus virtútibus sátanas invidens, illam, vel tentationibus, vel apparitionibus terribilibus cæpit deterrére, quæ omnia ipsa, per divinam grátiam protecta, pénitus superávit. Cum aliquando in feria quinta sancta maiori in choro oraret, Christum rogans, ut illi suæ Crucis pondus sentire concéderet; ecce in corde Christum sub Cruce bájulum adesse sensit; consummatoque glorióse suæ vitæ curriculo, hac die magna cum sanctitâtis opinióne decessit. *G.* Hac die memória Visiónis, quam hábuit B. Clemens de Auximo N. Ordin. Generalis; nam cum hac die intensius oratióni vacâret, illi apparuerunt animæ Patrum, Matrum nostrorum Fratrum, imuper et animæ benefactorum nostri Ordinis, quæ ad illum accedentes, et dicentes, quæ essent, ab illo rogarunt, dicentes: ora pro nobis, esto clemens nobiscum. Orans ergo B. Clemens, addens plura pœnitentiæ ópera, et sacrificia, illas é purgantibus pœnis liberávit; et ob hoc iterum illi apparuérunt die septima Julii glorioſæ; unde decretum est in Ordine nostro anno millesimo ducentisimo octogesimo quarto, ut quotannis duo fierent pro animabus relatis anniversaria; unum hac die pro Patribus, et Matribus nostrorum Fratrum, et áliud septima die Julii pro animâbus benefactorum nostrorum.

COMMENTARIA

AD DIEM SEXTUM FEBRUARIJ.

A. S. Vedastus Mónachus à S. Remígio consecrâtus est Episcopus Attrebatensis in Gallia, cui Eccléſiæ cum per quadraginta præesset annos, innúmeris sanctitâtis méritis cumulâtus, splendóre super domum ægrotantis irradiante, ad súperos hac die transmigrâvit anno 570. Agunt de illo Tabulæ Augustinianæ; Bollandus in Actis SS. hac die, Sausſay in Martyrol. Gallico, & alij.

B. S. Amandus, é monastério Lerinensi avulsus, creâtus est Episcopus Trajectensis in Belgico, & flóruit circa annum 640, & eódem témpore sanctissime óbiit die 6. Februarij Elnóne, sive Amandópoli. Agit de illo N. Torelli tom. 1. fol. 634, & Bollandus in Actis SS. hac die, et plures alii.

C. B. Angelus de Furcis natus est circa annum 1246, in Oppido dicto Furcio, in Diœcesi Theatina, é parentibus piis, & nobílibus, quorum nomina erant Adaliptus, & Albâtia, & erât steriles, qui suis précibus natum à Deo impetrárunt, protegente illos Angelo S. Michaële. Cum primos juventútis annos sancte traduxisset, duodevigesimum attingens, hábitu Eremitico indûtus est, quo miræ sanctitâtis rádios spargere visus est. Cum vigesimum quintum implesset

impleſſet annum, ad Lutetiam ſtudiorum cauſa miſſus eſt, ubi ſub N. B, & Fundatiſſimo D. Aegidio Romano ádeo profécit, ut brevi Laúream Doctorálem ſit adeptus: erat enim excellentiſſimus Theologus. Poſt quinquennium Neapolim profectus, ibi à B. Clemente de Aúximo Generáli creâtus eſt lector maximus ſtudiorum. Interea à Clero, & Academia rogatus ſcripſit commentária ſuper Evangélium S. Mathæi, & cum taliter in ſcientia, & ſanctitâte micâret, ab eódem B. Clemente creâtus eſt Provinciæ Neapolitanæ Provincialis; quod munus rara cum prudentia adimplevit. Sibi duos Epiſcopatus oblatos, Acerrancenſem ſcilicet,& Melphinenſem cõſtanter recusâvit. Tandem vitæ ſanctitâte, & miráculis illuſtris, Neápoli ad ſúperos volâvit die 6. Februarii anno 1327, ſepultus que eſt in Eccleſia maióri S. P. Auguſtini, ubi ejus nómini ſacellum eſt dedicatum, & reliquiæ ſervantur ſub ara ſacelli Præſêpis cum ſequenti elógio.

Hic jacet B. Angelus de Fureis,
Ordinis S. Auguſtini Lector

Extat de ejus cultu conſtans memoria in hymnis, & oratiónibus, quæ ſunt infra.

HYMNUS AD VESPERAS.

Angelus de Furcio Angelus tu pacis,
Natus Adalipti, genitus Albatia,
Mente te album, ópere te celſum,
Erige preſſos.
Præfata proles ſacri Auguſtini
Méritis nos tuis ſuper Flumen triſte,
Triſtes ne ſimus, ſed tui concíves,
Deprecâmur omnes.
Te colunt omnes, pátria ſed tua
Lacrymanter oret, preces effundat,
Et tibi ſemper concinendo Laudes
Rogat devotas.
Qui liberaſti multos infirmos,
Libera tu Furcium, pópuloſque omnes,
Et nobis dones fontem lacrymárum,
Deo plangamus.
Mane quæramus, veſperi te quoque,
Sexta, et Nona ſemper orando,
Cælicos nos reddas, Chriſto devotos
Précibus tuis.
Per te reddâmus noſtras á morte
Animas Chriſto Deo, Summo Patri,
Spiritui Sancto, qui in perpetuo
Regnat honóre. *Amen.*

ORATIO PRIMA.

Quæſumus, Omnipotens Deus, vota humilium reſpice, & B. Angeli Confeſſoris tui vitam, & mores eximii Doctoris Auguſtini Angelico ſpiramine feliciter imitantes, interceſſione placatus, concede nos corde terrena cuncta deſpicere, & cæleſti ſemper participatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

HYMNUS AD MATUTINUM.

Poſtquam immenſus alter Baptiſta,
Homo cæleſtis, Angelus terreſtris,
Vacans divinis, erémum petiſti
Religiônem.
Tu, qui præclari Patris Auguſtini
Vitam ímitans, régulamque ſervans,
Mundi cadúci cuncta deſpexiſti,
Cælica quærens.
Te deprecamur tui Concives,
Gaudio plenos detegas ex hoſte:
Per te ſalvemur etiam ex adverſo,
Ac gubernemur.
Per eundem Jeſum, qui in perpetuum
Cum Sancto Spiritu vivet
In ſæcula ſæculorum. *Amen.*

ORATIO SECUNDA.

Deus, qui per B. Angelum de Furcio multos ab infirmitate oppreſſos liberaſti, & vários per eum morbos abſtuliſti, tribue, quæſumus, ut & nos ejus patrocinio omnia noſtra delicta plangere valeámus, & tandem ad ejus conſortium pervenire mereamur. Per Dominum noſtrum. &c.

Et cum præfati Hymni magnam andicent antiquitatem, & ideo rudiori cálamo appareant compoſiti, illorum explanationem, qui velit, inveniet tomo 2. meæ Hymnoligiæ Sacre numero 31. et 32.

De B. Angelo agunt ex NN. Roman, Cruſen. p. 3. c. 2. Pamphil. Strambel, Arbor Auguſtiniana, Herrera in Alphab. p. 1. lit. A. de perſ. SS. fol. 10. Oroſco: Eſſ. in Encomiaſtico lit. A. Torelli in Sæculis tom. 5. anno 1327 num. 21. fol. 430, et

in Centuria 3. cap. 53. fol. 292; Portillo in M. S. tom. 1. Arpe in Diario SS. fol 67. Jacobus Font in Viridario SS Ord. hac die fol. 452, Gratianus, Josephus á D. Antonio Lusitanus in Flore SS. hac die fol. 339. Ex exteris Laurentius Beyerlinch in suo Theatro, verbo Religio, dum de nostra, fol. 191. Philippus Ferrarius de SS, qui non sunt in Martyrologio, Nicolaus Toppi in Bibliotheca Neapolitana lit. A. fol. 17; & alii.

D. Ven. Cárolus à S. Nicolao Neápoli natus est anno 1592, inter Discalceatos admissus, ibídem professiónem emísit anno 1614 die 4 Octob. ætat. 22: in Religióne vixit præclaræ sanctitâtis opinióne. Cum tamen esset quartus Diffinitor Generâlis, & Prior cænóbii Neapolitáni S. Mariæ Veritâtis, ibi piè óbiit die 6 Februarii anno 1674, ætatis 42, & post mortem in illiûs sanctimóniæ testimónium nonnulla Deus operâtus est prodígia. Agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 9 n. 34. folio 304.

E. Ven. Eleenôra ab Spíritu Sancto Villaviçosæ, Lusitaniæ in Provincia Transtagâna oppido natâ é nobili prosápia, quinquennium adimplens trádita est Ven. Margarittæ de Jesu cænóbii S. Crucis Abbatissæ, sub cujus cura valde in virtutibus profêcit; erat enim nimiæ oratióni intenta, & ardens devotióne SS. Sacramenti, in cujus præsentia innumeras lácrymas effundêbat: ob quod à dæmone crébrius vexata, illius tamen terrores auxilio D. Nicolai de Tolentino protrîvit. Adimplens tamen secundo munus Abbatissæ, à multis cælicolum visitâta, sancte quiêvit hac die anno 1584, ut refert Georgius Cardoso in Agiologio Lusit hac die tom. 1. fol. 362 lit. G, & in Commentar. lit. G. fol. 366; quem sequitur, & ex NN. Antonius à Purificat. in Chronol. Monastica, ubi de illa agit die 4. Maii fol. 53, Ludovicus de Angelis in Horto Portugallæ fol. 384. Leal in m. s. lib. lit. C, qui omnes ejus vitam hausérunt ex m. s. (dolore totius Religiônis servâtis in Bibliotheca Ullyssiponensi) Ven. & eximii viri D. Alexii de Menezes Archiepiscopi Bracharensis &c.

F. Ven. Guiomar à Præsentatiône in Civitâte Baçaim in India Orientali nata ex nóbili génere, ardens desidério inter moniales vivendi, hábitum assumpsit in cænóbio Goensi S. Monicæ anno 1610, ubi raris virtutibus illustrâta, post triginta, et quatuor Religiônis annos, hac die anno 1644 pie decessit. Agit de illa Historia Goensis composita à quodam nostro coeremita, quæ m. s. servâtur in Archivo Olyssiponensis cænobii, quam postea publicam fecit P. Fr. Augustinus à S. Maria noster Discalceatus, & de illa agit lib. 4. cap. 20. fol 739. num. 433.

G. De Apparitione animárum N. B. Clementi de Aúximo Generâli facta late agit N. Jacob Font in Viridario sanctorum die 6 Februarii; ubi ait anno 1284 decretũ fuisse in capítulo Generâli, quod fierẽt duo Anniversária pro animábus; primum hac die pro Patribus, & Matribus nostrórum Fratrum, & secundum 7. Julii pro benefactoribus. Vide illum fol. 459, & N. Josephum à D. Antonio in Flore SS tom. 2. die 8. Aprilis fol. 17. cap. 2, & omnes, quotquot de B. Clemente mentiónem fáciunt.

SEPTIMO IDUS FEBRUARIJ.

VII.

A. Prope Lucam, Tusciæ civitátem, transitus S. Richardi Angliæ Regis, & Confessoris, qui regium diadêma despiciens; & ejus pompis, abdicâtis eremum prope Lucam petiit, ubi, cum aliquandiu in rara sanctitâte vixisset, hac die sancte óbiit, sepultusque est in Ecclesia S. Frigdiani, & per illum Deus plúrima perpetrâvit miracula. *B.* Apud Charthaginem in Africa memoria S. Julianæ matris S. Demetriadis Virginis, quæ cum filia monachalem ibídem vitam amplexa, postea méritis clara sancto fine quievit. *C.* Perúsiæ tránsitus B. Bernardi

nardi Novariensis Conversi Confessoris, tantæ sanctitâtis, ut illi nonnulli Generáles suas vices, & authoritatem commiserint, & in quibusdam causis tantæ authoritatis esse voluerunt, ac si esset Congregatiónis Perusínæ vicárius, & sic créditur illum magna sanctitâtis opinione ad súperos decessisse. *D.* In Civitâte Fulginatensi transitus B. Juliánæ ibídem Monialis, in monastério ibídem à se constructo, ubi cum plures sui sócias conjungeret, raro virtútum suarum exemplo relicto, sanctitâte clara, ad cæléstem migrâvit Sponsum. *E.* In Apulia gloriósa passio Ven. Remigii Bari, qui, cum doctrína, & conciónibus coruscâret, in hæreticos constanti ánimo se se opposuit, & cum aliquando público certámine cum impio Baptista Chattelet disputâret, & illum confunderet, ab ejus sequacibus in itinere multis vulneribus crudéliter interemptus est. *F.* Mexici in Indiis Occidentalibus obitus Ven. Ludovici Maríni, qui in Hispânia nascens é nobilíssima prosápia Marchionum de Aguilar, in Indias profectus, ibi nostro indûtus est hábitu, & in Religiône nímia vixit observantia, & rara pœnitentia; utebâtur enim supra carnem aspero, & vili hábitu, & indumento, & léctulo paupérrimo, & dormiêbat super nudam tábulam: nûquam extra refectórium se se cibariis refécit: cláruit conscientiæ puritâte. Inter prælatúras se se præbuit exemplar prælatórum; fuit eximiæ honestâtis cultor, & numquam sermonem protulit jocósum. Tandem septuagenário maior, pie decessit. *G.* Panormi in cœnóbio Discalceatórum S. Nicolai depositio Ven. Joannis Baptistæ à S. María Magdaléna Láici, viri magnæ observantiæ, & oratiônis, in qua plures consumêbat horas, & disciplínis se se ásperis cruentâbat. Cláruit obedientia, & humilitâte. Cum autem octogesimum annum adimplêret, pie óbiit hac die in Domino; & ad ejus exéquias celebrandas multus fuit populi concursus; & occursus; & corpus ejus, ante quasi nigérrimum, albíssimum, pulchérrimum, tractábile, & per plures dies incorruptum permansit, & prodigiis refertur nonnullis claruísse. *H.* Ulíssipone in monastério Monialium de Xabregas Recollectárum óbitus Ven. Maríæ ab Spiritu Sancto, quæ ab ineunte ætâte, charitâte flagrâre cæpit, & sæculi blandimenta despiciens, & pretiosa utensília non amans, S. Theréfiæ libros evolvens se se efficáciter commôvit, ut totam se Deo immolásset; oratióni nocturnæ spíritus fervôre vacâre cæpit, quamvis illam sátanas á proposito terriculamentis, & apparitiónibus avertere curâret. Optâvit vel in Angliam secedere martyrii cúpida, vel in desertum abíre, ut soli Deo vacâret. In Religiône cláruit obediéntia, humilitâte, siléntio, & sui contemptu, et charitâte erga pauperes. Adeo fuit paupertâtis amans, ut in cubículo nihil præter Christi imáginem haberet. De Christi mystériis taliter sermocinabâtur, ut illustráta viderêtur. Multa inter cæteras sustínuit Moniáles, quarum uni á Deo revelátio facta est, Ven. Mariam quantócyus in cælum ascensúram: sicque bréviter febre maligna labórans, receptis piíssime Sacramentis, sororibus mónita salubria relinquens, feria quinta, erat enim SS. Sacramenti devotíssima, oddormívit in Dómino.

COMMENTARIA

AD DIEM SEPTIMUM FEBRUARIJ.

A. S. Richardus Rex Angliæ regnum despiciens, Lucam profectus est, ubi in nostro degens erémo sanctè óbiit circa annum 749, & post mortem cláruit miraculis. Agunt de illo Martyrolog. Roman. hac die, Bolandus in Actis SS. & N. Torelli tom. 3. anno 749. fol. 182. num. 2.

B. S. Juliana mater S. Demetriadis Virginis Carthágine in Africa inter Moniales Augustinianas cum filia flóruit sanctitâte circa annum 413. Agunt de illa S. P. Augustínus Epist. 143, & 179, Herrer. lit. D. de Pers. SS. dum de S. Demetríade, Torelli in Cent. 1. c. 12. fol. 50. de S. Demetríade, Cornel. Lancellot. l. 2. de vita S. P. Aug. c. 17, Riccius ibídem lib. 3. c. 16. §. 9; Crusen. p. 1. c. 18, Elssius lit. D. de S. Demetriade fol. 161, & tanquam nostri Ordinis illam cognoscunt Tabulæ Augustinianæ.

C. B. Bernardus Novariensis Laicus circa annum 1508. in Congregatiône Perusina rara sanctitâte fulsit. De illo agunt NN. Her-

Herrera tom. 1. lit. B. fol. 99, & Torelli in Sæculis tom. 7. fol. 591. num. 19, ubi de illo late agit.

D. B. Juliana de Fulgino, ibi anno 1290 monasterium Monialium fundâvit; ubi méritis clara, ad súperos evolâvit: de qua brevem mentiónem faciunt Herrera tom. 1. lit. I. fol. 366, Torelli in Centur. 2. cap. 29 fol. 163, Elss. in Encomiast. & Ludovicus Jacobillus in vitis Episcoporum Fulginatensium lib. 1. fol. 122. Hoc autem cænóbium anno 1444 ab Augustiniano ad Dominicanum Ordinem transivit, ut narrant Herrer. tom. 1. lit. F. de monaster. fæminárũ fol. 266, & Torelli ubi supra. Apud me exstat imâgo B. Julianæ hábitu Eremitico induta, & radiis depicta cum célebri elógio Italice compósito. Illam in hac die affert N. Leal in m. s.

E. Ven. Remigius Simónes Salmenensis Barii Ducátus, sacræ Theológiæ Baccalaúreus, & cænobii Girovetensis insignis prædicâtor, cum Sannionem Baptistam chatelet hæreticum in certamine debellasset, hærétici familiares illum é prælio redeuntem crudeliter trucidárunt, anno 1615; ut referunt NN. Georgius Maigretius in Súrculis sacris cap. 36, Crusen. in Monastico p. 3. cap. 48. fol. 245, Herrer. tom. 2. Alphab. fol. 335 lit. R. Torelli in Centur. 6. cap. 45. fol. 694; & Nicolaus Toppi in Bibliotheca Neapolitana fol. 359. lit. R.

F. Ven. Ludovîcus Marînus Utréræ in Hispánia ortus est é nobilissima familia, mater enim illius erat é domo Marchiónum de Aguilar, quæ, cum habéret septem filios, viros quatuor, & fœminas tres, omnes nostra sub Religiône vixérunt. Cum autem Ven. Ludovîcus in Mexicum profectus esset, aliquandiu mercatúram exercuit, sed sæculo valedicens, in Mexicáno cænóbio inter nostrates assumptus est, ubi rara sanctitâte vixit, táliter, ut illum N. Thadæus Perusinus Generális anno 1570. die 21 Julii exímeret ab omnibus cænóbii officiis, & Ordinis dignitátibus, ut facílius oratióni, & contemplatióni vacáret. Cum autem in insulas Philippinas navigasset cum Ven. Didaco de Herrera, & áliis novem operariis Evangelii, nostri Ordinis, anno 1587, ut ibi fructuóse in vinea Domini laboráret, antequam insulas attigisset, ad súperos volâvit, vel martyrii gloria purpurâtus, ut nonnulli asserunt, vel potius naufrágio in pélago sepultus anno 1587. De illo agunt NN. Grixalva in Histor. Méxici, Herrer. in Alphab. tom. 2. fol. 10, Torelli in Centuria 6. cap. 79 fol. 606; Portillo tom. 1. hac die fol. 304.

G. Ven. Joannes Baptista á S. Maria Magdaléna anno 1603. natus est in Sicília in óppido dicto Capo, Panormi professus est in cænóbio Discalceatórum S. Gregórii anno 1640 die 23. Julii, ætat. 37, & in Religióne raro sanctitâtis odôre flagrâvit, donec plenus mé itis, Panormi in cænóbio S. Nicolai die 7. Februarii anno 1683 é vita migrâvit. Agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Discalceâtus Lustro 18. n. 108. fol. 515.

H. Ven. Maria ab Spíritu Sancto, quæ in sæculo vocabâtur, D. Josepha de Vasconcellos Mascarenhas, parentes hábuit Franciscum de Vasconcellos, & D. Mariam Mascarenhas, juxta sedem Cathedralem commorantes, & illis in insulam Funchalensem decedentibus orta est Ven. Maria die 19 Martii anno 1647. In Ulyssiponem profecta, hábitum in dicto cænóbio suscépit anno 1666 ætatis 19, & professiónem emîsit die 2 Februar. anno 1667 in manibus Ven. P. Fr. Barthomæi à S. Maria. Obiit piissime quinta Feria die 7. Februar. an. 1692 ætatis 45, religiônis 26. Quædam monialis illam inter cælites aspexit.

His mónitis sese per hebdómadam gubernâbat. Die dominica oculos é cælo amovébat, sese indignam credens oculos in cælum levâre, féria secunda rigidum servâbat silentium, féria tertia nulli ex foróribus dicta dabat, feria quarta sibi risum interdixit; féria quintá culpas á se contra Deum factas deplorâbat, féria sexta linguam super terram per spátium, quo quinquies credo dici posset, imponêbat, sabbato omnia voluntati reluctantia peragêbat, imó suas culpas, & defectus manifest bat.

Hâbitu utebâtur spirituali, cujus pannus erat, nihil ad me, scissus fórsice àmoris Dei, & proximi, assutus acu prudentiæ, & filis fortitudinis; nam D. Paulus ait: omnia possum in eo, qui me confortat. Omnia refert Fr. Augustinus á S. Maria Excalceatus in Histor. m. s. ejusdem monasterii lib. 4. cap. 2.

SEX.

SEXTO IDUS FEBRUARIJ.

VIII.

A Lemóvicis in Gallia óbitus S. Stéphani Arvernenſis confeſſôris, qui ſuo comitátu relicto, in Erémum ſeceſſit, ubi fundáto ſuo Grandimontenſi Ordine, ſe ſe rarís virtutibus exornâvit, & plúribus miráculis coruſcans, prædicto ſuæ mortis die, ſanctiſſime deceſſit hac die, cujus tránſitum glorioſum declarâvit quidam puellus, aſpiciens ſcalam, quæ é terra cælum pertingébat, per quam ánima S. Stéphani in cælum deportabâtur. *F.* Virduni óbitus S. Pauli Epiſcopi; & confeſſoris, fratris S. Germani Epiſcopi Pariſienſis, qui pátrium ſolum relinquens, eremiticam vitam apud Voſágum montem juxta Tréviros exercens, Theologii abbas factus eſt; ſed cum ſuæ ſanctitátis fama créſceret, invítus Epiſcopus Virdunenſis creâtus eſt; quam Eccleſiam ſanctiſſime per ſeptem, & viginti annos gubernans, méritis, & miráculis glorióſus ad ſúperos vocátus eſt. *C.* Cracóviæ glorioſa in cælum tranſmigrátio mirábilis Chriſti confeſſôris B. Iſaiæ Bonardi, qui á téneris ſtúdio vacans, exiit valde litterâtus, & mundi cognoſcens fallácias, hábitu Auguſtiniáno ſe múniit in Caſimyriæ cænóbio, & poſt profeſſiónem, & rarum ingenium, & præcláram oſtendit ſanctitátem: lecturam Theológiæ omnium ſtupóre exercuit; & Vicárius Generâlis electus, mirábili enítuit obſervantia: ótio bellum indixit, quia fere ſemper oratióni vacábat, & in illa diſcípulis dictanda diſcébat. Cláruit devotióne erga B. Virginem; cujus interceſſióne defunctum quendam vitæ reſtítuit, & ália plura fecit miracula. Aliquando ægrótans, à B. Virgine ſociáta à ſanctis ómnibus Polóniæ, ſcilicet, SS Stanislao, Hyacintho, Caſimíro, Eduvige, Saloméa, Cunigunde, & áliis plúribus viſitátus, à B. Virgine hæc audivit: Iſaia: te ego invito ad mei dilecti *F*ilii convívium, quod eſt divinum, quod duntaxat ingrediuntur, qui ſuæ conſcientiæ lampadem præparárunt óleo bonorum óperum: & ſic ſe mori cognoſcens, Fratres ad charitátem, & álias ádmonens virtútes, glorióſo fine ad cæleſtia convívia migrâvit. *D.* In Hiſpania in cænóbio Sarrenſi tránſitus glorióſus Ven. Dominici Serrani confeſſôris, mirábilis ſanctitátis viri, qui, dum in eódem cænóbio priórem ágeret, ſancto fine quiévit; & corpus peculiari ſarcóphago incluſum, poſt viginti annos repertum eſt incorruptum. *E.* Conimbricæ in Luſitánia depoſitio Ven. P. & eximii Doctoris Ægidii à Præſentatione Luſitáni, qui zelo, & obſervantia Religiônis cláruit, & fuit valde ſimplex, candidus, & caſtiſſimus, nam ad conſervandam Virginitátem, cum gravi oppreſſus eſſet tentatióne, manum ad flammas applícuit, & digitum combuſtum vidit; qua re ita Véneris extinxit flammas, ut nuſquam amplius in caſtitáte tentátus eſſet. Poſtquam ergo in docendo Conimbriæ in primaria cáthedra plures annos conſumpſiſſet, claris exornátus virtútibus, & mortis ſuæ die præcógnito, hac ad réquiem æternam volávit. *F.* Caſtellæ in civitáte Roderici pretióſa mors Ven. Catharínæ Guiral de Manéando Moniális in cænóbio S. Crucis, ubi á décimo ætátis anno, plúribus cæpit clárere virtútibus, præcípue humilitáte, & oratióne, in qua plures die, noctuque horas conſumébat, & á Deo egrégios accépit favóres; & unus fuit Theológiæ infuſio, táliter, ut Theóloga vocarétur; erat enim quæſita á graviſſimis Theólogis Hiſpániæ, ut cum illa puncta difficillima conſultárent, alter fuit loqui latinum perfecte idióma, quin illud didiciſſet. Erga Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum fuit devotiſſima, & ſic aliquando illud vidit innúmeris Angelis, & Sanctis circumſeptum. Otió bellum indixit, obſervantia cláruit, charitáte flagrâvit; ſic aliquando paupéribus próprias veſtes porrigébat. Plúrima prædixit, donec innúmeris méritis cumulâta, é corpóris ergáſtulo ad pátriam tranſlata eſt cæleſtem, & poſt annum corpus ipſius illibátum compértum eſt. *G.* Hiſpaniæ in Cænóbio S. Martini urbis Segorbienſis óbitus Ven. Mariæ à S. Vincentio

centio ibídem Moniâlis Conversæ, quæ cum expellenda essèt á cœnóbio ob ægritúdinem, récitans quotidie septies *P.* N. & A. M. Divo Josepho, statim convalescens, in Religiône permansit, & post professiónem multis clâruit virtútibus; erat enim rigidæ paupertâtis, & profundæ humilitâtis cultrix. Raris se pœnitentiis, & jejuniis macerâbat; silentium mirábile servâbat; solitúdinis amans, quod sibi supérerat, tempus orationi dabat: & cum tantis virtútibus splendésceret, morbo lethali correpta, inter delicias sui spíritus extrémam horam âttigit, ut primam, in qua prius, & posterius non est, in cælis incíperet. *H.* Vallisoleti in cœnóbio Incarnatiônis Ven. Augustinæ à S. Guilelmo, ibídem Moniâlis, quæ religiônis cursum raro virtútum exemplo transégit: fuit in observantia religiônis singulâris. Cum aliquando opus grave, & cui longum opus erat tempus, inciperet, audiens ad chorum signum, surrexit, & chorum pétiit, sed rediens, opus perfecte réperit consummatum, Méruit, ut Christi imâgo cum illa loquerêtur. Cum ergo claris virtútibus prælucéret, magnis æstuans sui Sponsi desidériis, hac die ad thálamum feliciter evolâvit. *I.* In Civitâte Goensi in monastério Monialium S. Mónicæ memória prodigii Sancti Crucifixi in choro Monialium existentis, qui stans cum vultu ad Moniales, & dorso ad Ecclesiam, multis aspicientibus Monialibus, circa horam octavam post merídiem, hac die cæpit movêre óculos. Ad vocem istarum cæteræ accurrerunt, Dóminum Clementíssimum vidérunt, intuentem, & coram omnibus manávit sanguis ex sanctis vulnéribus: apéruit crucifixus os submissa voce loquens, & Crux quasi vi commôta est; & die Martis sequentis duodécima ejusdem mensis, hora undecima, Dóminus conversus ad pópulum stantem ad miráculum respexit óculis vivis, & apertis: & die Véneris sequentis cantâtibus Monialibus hymnũ passiônis: Ténebræ factæ sunt &c. cum pervenissent ad verba, Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? Dóminus iterum óculos apéruit, & ita efficáciter aspexit, ut omnes reliquerit prætimôre attónitas. Cessávit motus, & crucifixus, cujus vultus non apparebat ex Ecclesia, remansit inclinâtus ad partem dexteram, sic conversus, ut ex choro, & Eccléfia æqualiter viderêtur: quod ut fiéret, separavit á Cruce corpus, & génua extendit plicando mirabiliter pedum clavum, & mansit cum óculis perfectíssimis, qui videbantur naturáles.

COMMENTARIA

AD DIEM OCTAVUM FEBRUARIJ.

A. S. Stéphanus Arvernensis in oppido Arvernæ inferioris ad Ligerim natus est anno 1046, sed anno 1076, apud *M*oretum austéra vivendi régula Christo se se dicavit, ubi sanctíssime degens, miráculis clárus, supremum diem clausit die octava Februari anno 1126, & beatorum fastis adscriptus est anno 1189. De illo agunt Tabulæ, & Kalendarium Ecclesiæ Lemovicensis hac die; die vero 15. hujus mensis de illo agunt Molanus, Galesinns, & *M*artyrologicum Monasticum fol. 69, & 76, Philippus Ferrarius, Bollandus in Actis *SS.* hac die. Dubium tamen est, utrum nostris pertineat? Dubitat Herrera in Alphab. tom. 2. fol. 375. Attamen ex nostris plures illum nostræ Religioni autumant spectâre; inter quos sunt NN. Miræus, Crusennius, Elssius, Roman. in Centuriis, Arpe in Pantheo Elogio 31. fol. 91, & in Diario Sanctorum die 18. hujus mensis fol. 92; Josephus Sabbatinus anno 1126. Marques in Chronica; de quo videatur N. Herrera tom. 1. Bibiothecæ Augustinianæ, tom. 1. Institutionum Moralium lib. 12. c. 21. fol. 1569. Agit de hoc Joannes Azorius.

B. S. Paulus Episcopus Virdunensis frater fuit S. Germáni Episcopi Parisiensis, de quo agendum est, Deo dante, die 28. Maij, & alius quinque habuit fratres, & mónachos, & sanctas, ut refert Vasceburgens. Apud Acta *SS.* in vita S. Petri n. 7. in fine. Pátria fuit Æduensis, & pietátem sequutus, relicto pátrio solo, Eremiticam vitam exercuit apud Vosagum trans pontem Mosellæ fluminis apud Tréviros, ubi fuit imitâtor S. Pauli: & adhuc mons Vosagus, seu Gebenna, ex ejus incolatu dicitur mons Pauli, et vulgáriter appellatur Paulsberg; unde ob virtutum splendórem ereptus, Theologii Abbas secundus factus est, postea crescente ejus sanctitâtis opiniône, defuncto

cto Ermenfrido Virdunenſi Epiſcopo, in ejus locum invitus creátus eſt Epiſcopus. Hanc Eccleſiam per 27. annos ſanctiſſime gubernávit. Plurima miracula perpetravit, cæcis visum, claudis greſſum dedit, & plures ægrotos ſanavit; donec innumeris factis glorióſus anno 649, die 8. Februarii, ad cælum vocátus eſt, ut referunt Acta SS. hac die, & ſepultus eſt in Eccleſia S. Saturnini, ubi multis claret miráculis. Ego autem inpræſentiarum duo addam, primum S. Petrum non anno 649. obiiſſe, ſed ante ſæculum ſexageſimum, quia, ſi fuit frater S. Germani, qui óbiit anno 577, ut ait N. Arpe, non póterat S. Petrus adhuc poſt illum vixiſſe ſeptuaginta duos annos præter illos, quos habebat. Secundum eſt, hunc ſanctum magis, noſtris, quam Benedictinis pertinére, primo, quia fuit frater N. S. Germani, ſecundo, quia omnes teſtantur, illum cum aliis vitam Eremiticam duxiſſe; tertio quia poſt plures annos ejus cœnobium Theológium ab Epiſcopo fuit Benedictinis conceſſum, & poſt illos Præmonſtratenſibus, ut conſtat ex ejus vita apud Bollandum: cum ergo certo certius conſtet illum non Benedictinis ſpectáre, & non appáreat altera Religio, cujus ſit, juremerito noſtræ eſt tribuendus, & ſic illum noſtris tribuit N. Leal in m. ſ. hac die. Videatur Bollandus.

C. B. Iſaias Bonardus Cracovienſis óbiit magna ſanctitáte, & miraculis illuſtrátus hac die anno 1471, & ſepultus eſt in ſacello *S.* Catharinæ Virginis, & Martyris, ubi Deus illum præſtitit glorioſum innúmeris miraculis, & ob hoc anno 1617 adſcriptus eſt in Poloniæ Tutelarem. Agunt de illo Abraham Bzovius tom. 18 Annalium, Bollandus in Actis SS. hac die, & alii ex exteris. Ex NN. Cruſen. in Monaſtico Auguſtiniano, Simplician. à S. Martino in Sanctorali, Herrera in Alphab. tom. 1. lit. I. fol. 209. Torelli in Sæculis tom. 7. fol. 103. ad an. 1471. & in Centuria 4. cap. 2. fol. 397, Jacob. Font. in Sanctorali fol. 471. Portillo tom. 1. folio 306. Arpe in Pantheo elogio 67 fol. 212, & in Diario SS. hac die tom. 1. fol. 72. Joſephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 344. In ejus ſepulchro N. Fr. Jacobus Moyſchius Provincialis, erecta marmórea ſtátua, ſculpere hoc lemma præcépit.

Lechíadum claro prognàtus ſánguine Doctor
Eſaias, iſto ſarcóphago tégitur.
Ne lector mirére, manet ſors ómnibus una:
Doctos, indoctos falx metit, urna capit.
Hic opus, & labor, eliſiis ut ſiſtere campis
Detur, & ad ſúperos ſcándere cælícolas.
Vivis ubi ſemper lætus, Pater optime, vivis
Eſaia, noſtræ Religiónis honos.
Vive memor noſtri, vitæ diſcrímina multa
Inter, & æternos duc, Pater alme, lares



Feſtum B. Iſaiæ quotannis celebrátur, & in ejus laudem cánitur ſequens

HYMNUS.

Feſtíva lux, optata dies,
Divi Iſaiæ nómini
Dicata ſplendeſcit: Polonia,
Promamus ore gaudia.
Hic illécebras ſæculi
Et blandiménta reſpuit,
Chriſtumque complexus, Deum
Toto ferébat péctore.
Carniſque motus incitos,
Miraſque fraudes dæmonis,
Somni, cibique anguſtias
Vincébat ô quam fortiter.
Preceſque ſolvens débitas
Ad altâre Almæ Virginis,
Præbebat aures fervido,
Humo relicta, ſpiritu.
Matremque adorans Virginem,
Defuncta membra ſuſcitat:
Et plura ſunt miracula
Feſtâta Iſaiæ ſanctimónia.
Tu nunc brávio pérfruens
Inter Beatos cælites,
Sis ô benignus, ſis parens,
Noſtros reatus déprecans. *Amen.*

D. V. Dominicus Serrânus anno 1466. Salmánticæ fit noster die 8. Februarii, & in Religiône nota sanctitâte vixit. Cũ tamen esset Prior in monasterio Sarrensi, ibi sancte óbiit anno 1599: & corpus ejus peculiari Sarcóphago tumulátum, post viginti annos incorruptum repertum est. De illo agunt NN. Herrera in Alphabeto tom. 2. de monasteriis virórum, dum de monastério Sarriensi Provinciæ Castellæ fol. 528; & Elssius in Encomiastico Augustiniano lit. D; & alii ex nostris.

E. Ven. Ægidius à Præsentatiône natus est in Urbe Egitanensi, filius fuit Doctoris Franciſci Martines, & Perpetuæ de Foncéca. Cum sacris Canonibus Conimbriæ óperam darét, forte audivit sermocinantem de mundi contemptu N. Ven. Franciscum à Christo ibidẽ Lectôrẽ vesperariũ, quo sermone ita ad religionẽ capessendã cõmotus est, ut, sæculo statim relicto, Augustiniano fuérit hábitu indûtus in cœnobio Lixbonensi Gratiárũ, ubi anno probatiônis elapso, professus est die 25. Aprilis ann. 1558. & in Religiône de se præbuit claræ sanctitâtis exempla; erat enim divini cultus, & observantiæ zelo præclârus, vir sincêrus; & in ánimo, & corpore castissimus, & castitatem à téneris custodîvit, postquam Véneris nefandæ incitamenta vicit combúrens digitum in igne, & exinde amplius, ac si expropágine corrupta natus non esset, venereas ignorâvit procellas. Plusquam 60. annos in Académia Conimbricensi docuit, per omnes legens cáthedras usque ad primariam, ubi fuit Decânus. Fuit Provincialis electus anno 1618 Olyssippone: Episcopatum sibi oblatum recusâvit. Tandem, cum plura scripsisset, méritis plenus, in bona senectûte in pace quiêvit die 8. Februarii anno 1626. ætatis 87, sepultusque est in Collegio nostro Conimbricensi, ubi ad ejus sepulchrum légitur epitáphium.

Frater Ægidius de Præsentatiône, Doctor Theólogus, fidei zelo, ac vitæ sanctimónia insignis, in hac Academia primárius professor emêritus: óbiit die 8. Februarii anno Dñi 1626. ætatis 87.

Agunt de illo NN. Purific. de Viris illustribus lib. 2. c. 2. fol. 48. v. & lib. 3. fol. 86, in Chronologia monastica hac die fol. 30, & in Chronic. p. 2. fol. 216; Herrera tom. 1. Alphab. fol. 65. Elssius in Encomiast. Gratianus in Anastasi, Arpe tom. 1. SS. die 20 Februarii fol. 96. Nativit. Monte 3. lit. A. fol. 485. n. 5. Ejus vitam lato jam calamo exaravi, ubi de eo obloquentem, & illum maculantem P. Antonium Francum é Societate in suo Anno glorioso jure merito impugnavi.

F. Ven. Catharina Guiral de Mancanado nata est Castellæ in Civitâte Roderici: monialis facta est ibidem in monasterio S. Crucis, ubi mirabili sanctitâte vixit, & óbiit hac die, anno 1587: & post mortis annum ejus corpus integrum repertum est. Agit de illa N. Portillo tomo 1. hac die fol. 312.

G. Ven. Marianna à S. Vincentio nata est in oppido Altúræ regni Valentiæ exparentibus Martíno Paulo, & Catharina Vincentia, à quibus pie educâta est. Cum autem viginti supra septem habêret annos, hábitum induit in cœnobio S. Martini Segorbiensi in statu Conversæ: post professionem miris clâruit virtútibus; donec consummato vitæ perfectæ currículo, é mundo, unde exulâbat, ad cœlestem pátriam, ut pie créditur, translata est hac die anno 1629. De illa late agunt NN. Villerin tom. 3. Solaris August. lib. 40. tract. 2. §. 3. fol. 235, & Jayme Jorda tom. 2. Histor. Valentiæ lib. 5. c. 21. fol. 686.

H Ven. Augustîna à S. Guilelmo ortum hábuit in oppido Carrion cómitum Diœcesis Palenciæ ex præclâro génere; parentes habuit Obelsum de Buelna, & Catharínam Henriques. Inter monialis Incarnatiônis Vallisoletanæ admissa est die 21. Februarii anno 1616, in cujus ingressu cóntigit mirabile prodígium, nam cum ante januam monasterii esset, & tristarêtur ob ingressum in monasterium, vix janua aperta est, ecce imago Crucifixi introrsum stans, dexteram é Cruce avellens, & extendens illam usque ad collum V. Augustinæ, hanc est amplexa, qua re conversa, & incredibili plena gáudio, exultans monasterium ingressa est, exquo infertur, qualis ejus post inde vita foret: omnium virtútum speculum se fecit; donec amôris divini incendiis exusta, é vivis decessit die 8. Februarii anno 1676. Agit de illa N. Villerinus tom. 2. Solaris Augustiniani lib. 32. Additióne 2. fol. 393.

I. Prodigium S. Crucifixi, quod áccidit in monasterio Goensi S. Matris Mónicæ anno 1636. die Véneris, & 8. Februarii refertur à P. Joanne Bonifacio Bagâta Clérico Theatino tom. 2. de Admirandis Orbis Christiáni lib. 5. cap. 2. §. 4. n. 30, & à N. Discalceato Fr. Augustino à S. Ma-

ria

ria in histor. S. Monicæ Goensi lib. 3. capit. 12. num. 123. fol. 423. & P. Franciſco à S. Maria in Anno historico, hac die fol. 174. n. 3.

QUINTO IDUS FEBRUARIJ.

IX.

A. Barchinône depositio S. Nebridii Episcopi, & Confessôris, qui monachismum amplexâtus in Cænodio Servitano sub disciplina S. Donâti cum aliis tribus Germanis suis, etiam sanctis, scilicet Justo, Justiniano, & Elpidio, ibidem rara sanctitâte floruit simul cum fratribus, obquam à S. Donato sunt postulâti ad Ecclesias regendas, scilicet, S. Justus ad Urgelensem in Catalaunia, S. Justinianus ad Valentinam, S. Elpidius ad Lugdunensem in Gallia, & S. Nebridius ad Biguerrensem, ubi omnes fratres mirâbilibus virtutum splendoribus micuêre. Destructa vero Civitâte Bigverrensi à Clodovéo Gallórum Rege traslâtus est ad Egarensem Ecclesiam in Catalaunia: nonnullis interfuit Conciliis. Post annos translâtus est ad Ecclesiam Barchinonensem, ubi doctrina, & sanctitâte flôruit; donec innumeris méritis cumulâtus, hac die ad súperos translâtus est. *B.* Fontanellæ in monasterio à S. Wandregisilo ædificato depositio S. Ansberti Episcopi Rhotomagensis, & discipuli S. Wandregisili, qui sancte obiens hac die, in eodem cænobio tumulatus est. *C.* Hiberniæ óbitus S. Attractæ Virginis, cui S. Patritius Hibernórum Apostolus velum é cælo delapsum tribuit, & illam suo monialium cænóbio præfecit, & cum ibi mirabili sanctitâte floréret, hac die ad Sponsum vocâta est Cæléstem. *D.* Senis in Ilicetáno cænobio pretiosa mors B. Nicolai de Tinis Confessôris, qui in Religiône tales progressus fecit, ut cunctis admiratio foret; ob quæ brevi Prior illius cænobii electus est; in cujus observantia ita rigidus extitit, ut nec apicem Religiônis passus sit deperîre. Erga pauperes fuit liberalissimus, quod Deus miraculo confirmâvit, cænobii horreum tantis eleemósynis exhaustum adimplens. Idem contigit in viní dólio, nam per multum temporis vinum háuriens é cupa, illam nullatenus sensit exhaustam. Guidónem cænobii fámulum in suspendio ob desparationem interemptum, oratione suscitâvit, qui postea adhuc trieréride sospes fuit. Quosdam innocenter mortuos oratiône fecit sospitâre. Tantis ergo virtutíbus, & prodigiis præclârus, hac die óbiit & abiit in cælum. *E.* In Civitâte, Landavensi S. Telionis, seu Eliud Episcopi, & Confessôris, qui é nobilissimo ortus génere, monachismum amplexus est subdisciplina S. Dubricii, & consortio S. Davîdis Eremitæ valde in Religiône profecit; & jussu Angeli, sociâtus á SS. Davîde, & Paterno Hierosolymam visitâvit, ubi à Joanne Solymárum Patriarcha Episcopus Landavensis sacratus est, & ibi raro cum exemplo vivens usque ad decrépitâ ætaté, sancto fine quievit hac die; & cum tres parochi ejus corpus vellent in sua Ecclesia sepelîre, & super hoc gravis orirétur rixa; mirabili pacati sunt prodigio; corpus enim sancti in tria corpora ejusdem coloris, quantitatis, & earundem vestium Pontificalium multiplicâtum est; & sic quilibet parochorum suum in sua Ecclesia sepeliendum corpus deportâvit. *F.* Apud Indos in regno Urábæ, & Dariel Ven. Michaélis á Magdaléna Aragonensis, qui ex Hispania in Indias profectus, ibi se junxit Ven. Fr. Alphonso Parédes, seu à Cruce, viro apostolico, pœnitentia, oratiône, & cæteris virtútibus claro, & Ven. Bartholomæo ab Angelis Indo, qui omnes, cum prædicationis causa pergerent in provincias Urábæ, & Dariel, ibi glorióſos prædicatiônis suæ fructus consecúti sunt, donec in ódium fidei hac die martyrio coronáti sunt. *G.* In Insula Malhorquina, in cænobio de Succursu depositio Ven. Thomæ de Riéra confessoris, qui fuit in doctrina, & religiône clárus; erat enim oratiôni, & pœnitentiis valde deditus. Postquam autem nonnulla Ordinis officia mirabili prudentia adimplêret, dans rara suæ vir-

tûtis ſpecimina, hac die pie deceſſit. *H.* Panormi tranſitus Ven. Joannis Baptiſtæ à S. Maria Magdalena, qui inter Diſcalceatos degens mirabili ſimplicitate, erga próximum mira charitâte flagrâvit; inſuper innocentia, puritâte, oratióne, & pœnitentia flóruit: donec ſénio confectus, pie deceſſit hac die. *I.* Almanſæ in cœnobio monialium Corporis Chriſti tranſitus Venerav. Barbaræ ab Annuntiatione Moniâlis, quæ ibídem in omni virtûte cláruit, ſcilicet ánimi candóre, oratióne, obſervantia, charitâte, paupertâte, & devotióne erga B. Virginem; donec ad vitæ metam perveniens, rara ſanctitâtis opinióne deceſſit hac dié, cujus ánima, tamquam lux ſplendida, in Cœium conſcéndere viſa eſt.

COMMENTARIA

AD DIEM NONUM FEBRUARIJ.

A. S. Nebridius natus eſt Valentiæ in Hiſpania, qui in Servitano cœnobio ſub S. Donato monachiſmum Auguſtinianum amplexus eſt, ubi litteris, & ſanctitâte cláruit, únde ereptus eſt ad Epiſcopatum Biguerrenſem, & poſtea Egarenſem, quo tempore, anno, 516 die 6 Novemb. Concilio Tarraconenſi interfuit, & ſequenti anno Concilio Gerundenſi interfuit: ex Sede Egarenſi translâtus eſt ad Valentinam, & Sedem iſtam adhuc anno 540 occupáverat. Cum autem plura ſcripſiſſet, & mirabili ſanctitâte florêret, óbiit in Dómino die 9 Februarii an. 545. De illo agunt S. Iſidórus in lib. de Viris illuſtrib. Eſculan. in Hiſt. Valent. p. 1. lib. 2. cap. 9, Diágus in eádem Hiſtor. lib. 5. cap. 4. Tamay. in Martyrol. Hiſpan. hac die; & alii. Ex NN. Jayme Jorda tom. 1. Hiſtor. Valent. lib. 1. cap. 5. fol. 38, & tom. 3. lib. 1. Hiſtor. Cathalaun. cap. 24 n. 4. fol. 315. Jacob. Font in ſuo Vergel hac die fol. 478. Quod autem noſtro Ordini pertineat, præter noſtrates dicunt D. Joſephus Eſtevan Epiſc. Origuelenſis, & alii citati a Jorda ubi ſupra.

B. S. Ansbertus, qui vulgo etiam dicitur Amſubertus, vel Ausbertus, prius fuit Cancellarius Régius in Gallia, quo tempore deſponſatus fuit cum S. Angadriſina, ſéd cum hæc redderetur leprósa, inter ſe ambo vitam cælibem elegêre, & S. Angadriſina Chriſto conſecrata eſt à *S.* Audoeno Epiſcopo Rotomagenſi, & ſtatim priſtinam adepta eſt pulcritúdinem; & ſancte obiens, colitur in Eccleſia Bellovacenſi die 14 Octob. Sanctus vero Ansbertus monachus factus eſt in cœnobio Fontanellæ inter Pariſios, aç Rotómagum exiſtente, & fundato à N. S. Wandregiſilo, ubi tali ſanctitâie vixit, ſub diſciplina ejuſdem, ut poſt illum tertius Abbas electus eſſet; & poſt mortem S. Audoeni Epiſcopus Rotomagenſiis in ejus locum eſſet ſuffectus, ubi ſanctitâtis, & miraculórum fama clarus, in cælum hac die volâvit anno 695. Quod autem noſtratibus ſpectet, probandum eſt die 22 Junii, dum de S. Wandregiſilo.

C. S. Attracta Virgo, quæ alio nomine dicebatur Tarahata, fuit ſoror S. Coemani de Airdne-coemhain, énobiliſſimo genere orti, de quo agendum eſt 12 Junii, fuit enim Monachus ſub *S.* Patritio; qui etiam S. Attractæ velum præbuit monachale, & illam conſtituit in cœnobio Killa-Atthrata, quod nomen aſſumpſit à S. Virgine Attracta; ubi S. Virgo magnis virtutíbus, & prodigiis cláruit, donec annis confecta ſæculo quinto poſt Chriſtum currente, hac die debitum natúræ perſolvit. Agit de illa late Bollandus in Actis SS. hac die tom. 2. Februar. fol. 296. Quod autem hæc ſanctis noſtris, & non Benedictinis pertineat, quia patet S. Patritius miſſus eſt ad eremitas ab uno Angelo ſibi apparente, & dicente, ſic. Vade ad plebem Dei, id eſt, Eremitas, & ſolitarios nudis pedibus, & converſâre cum eis, ut probêris per aliquod tempus; & venit in ſolitudinem, & manſit cum eremitis per octo annos. Ita Beda tom. 3. in vita S. Patritii lib. 1: & exchirographo in vento in monaſterio Glaſtonenſi ex Richardo Stanihurto in vita S. Patritii lib. 2; fol. 71. refert N. Marques cap. 15. §. 5. fol. 286. Ego Patritius humilis ſervunculus Dei anno Incarnationis ejuſdem 433 in Hiberniam à SS. Papa Cæleſtino legatus Dei gratia Hibernicos ad fidem veritatis converti. Et cum eos in fide catholica ſolidaſſem, in Britanniam ſum reverſus ad inſulam

sulam Avaloniæ, & ibi duodecim Fratres inveni eremiticam vitam ducentes, & cum inveni eos humiles, quietos, elegi potius cum illis abjectus esse, quam in Regalibus curiis habitâre, sicque invitum in pastorem me prætulerunt. Patet etiam, quia S. Patritius utebatur cuculla, quæ est indumentum monachale, ut ait Jocelinus in vita ejusdem cap. 111, & cap. 185. Cum ergo S. Patritius fuerit monachus eremita, plura monachorum monasteria ædificavit, ut ait idem Jocelinus ubis. cap. 167. sic. Ipse sanctus in regressu suo aliquantisper in Britannia própria patria morâtus, monasteria multa fundavit, atque à paganis destructa reparâvit. Monachorum sacris conventibus secundum formam Religiônis, quam eis præfixerat, annuentibus, ea replevit. & cap. 174. Omnes ergo mares, Monachos, fœminas, sanctimoniales, efficiens, numerôsa monasteria ædificavit, decimamque portionem terrarum, ac pécudum eorum sustentationi assignavit. Et infra ait. Nulla eremus, nullus pene terræ angulus in insula tam remotus, qui perfectis Monachis, ac Monialibus non replerêtur. Et Toneus Marnavitius in sacra Columba fol. 45 ait: nulli dubium esse poterit, Hibernos Monachos, nisi à S. Patritio profluxisse, quem Patritium à Martino rudimenta monastica longe ante Benedicti tempora hausisse, Probus in ejusdem vita testis habetur. &c. Cum ergo S. Patritius fuerit Monachus Eremita; & sub eádem vita conjunxerit plures utriusque sexus; & hos inter fuerit S. Attracta, ut constat ex ejus vita apud Bollandum, certo certius tenendum est, S. Attractam nostræ Religióni pertinêre. Plura addemus in vita S. Patritii 17.

D. B. Nicolaus de Tines, seu Marescotti Senensis fuit, professus est in Ilicéto anno 1337. sub Prioratu B. Joannis Guccii: & in Religiône fulsit magna sanctitâte, miraculis, & spiritu prophetiæ. Hic post B. Joannem de Incontris Prior fuit Ilicetânus ann. 1340, ut refert N. Landucci in serie Priorum hujus domus fol. 21. Cum autem multis gloriôsus esset, in cælum volâvit die 9. Februárii anno 1387. De illo agunt NN. Hieronymus Bonsignorius in suo Memoriali fol. 7; Athanasius Fullonicensis in Memoriali Ilicetáno fol. 27, Bernardus Monaldius in Vitis SS. Iliceti fol. 58, Honórius Martini ibídem, Marcellinus Altesius in Elogiis, Signinus in Chron. Cardínalis Seripandus in commentariis Ord. fol. 67, Andreas Ascusanus Episcop. in suo Thesauro fol. 303. Simplicianus Bononiensis in Centur. Ambrosius Landucci Episc. in Sylva Ilicetana Elogio 20. fol. 97; Herrera tom. 2. Alphab. lit. N. fol. 171; Torelli in Centur. 3. cap. 35. fol. 276; Elss. in Encom. Roman. Centur. 6. fol. 57, Jacob Font in Viridario fol. 468. Josephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. folio 354, Arpe in Diario SS. die 29. Februar. fol. 112, & tandem Portillo tom. 1. hac die fol. 319.

E. S. Telion, sed Eliud, natus est é nobilissima prosapia in loco Eccluis Guniau, sub disciplina N. S. Dubricii, de quo 24. Novemb. flóruit sanctitâte: cum ergo jussu Angeli cum SS. Davîde, & Paterno solymas péteret, ibi à Joanne 3. Patriarcha sacratus est Episcopus Landavensis, & múnere pastorali fungens, sénio, & virtútibus confectus, in Cælum migravit hac die anno 540. Agunt de illo plures cum NN. B. Joanne Capgravio, Jacob Font in Viridario SS. Ordinis fol. 476. Videantur Acta SS. Bollandi hac die.

F. Ven. Michael à Magdeléna, cum Ven. Alphonso à Cruce, & Bartholomæo ab Angelis in regno Urábæ martyrio coronáti sunt hac die ann. 1633: quorum primus a barbaris fune protráctus é præcipiti rupe projectus est; alter Lanceis confossus occúbuit, tertius sagittis interfectus est. De illis agunt ex NN. Herréra tom. 1. fol. 35, ubi ait passos fuisse die 15. Februarii feria 4. Cinerum; & in addition. Alph. fol. 101. Torelli Centur. 6. cap. 86. fol. 747; Portillo die 3. Februar. anno 349; & eodem die Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 88, Attamen N. Josephus à D. Antonio sécutus N. Ludovicum de Jesu, ait, obiisse die 9. hujus: videatur fol. 471.

G. Ven. Thomas de Riera Malhorquînus, professus est in cœnobio de Succursu anno 1641. ubi plúribus egrégie Ordinis officiis absolútus, magno cum sanctitâtis splendôre é mortuis in terra ad vivos in cælo decessit hac die anno 1681. ætâtis 56, religiônis 42. De illo agit N. Jorda tom. 3. Historiæ Cathalauniæ lib. 1. cap. 3. n. 16. fol. 471.

H. Ven. Joannes Baptista à S. Maria Magdaléna in urbe Panormitana inter Discalceátos floruit, cláruitque virtútibus, & piè óbiit die 9 Februárii anno 1685, & de illo agit N. Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 75.

I. Ven. Barbara, ſeu Babéra ab Annuntiatiône in cænobio Almanſæ, titulo Corporis Chriſti magna ſplénduit ſanctitâte, ubi óbiit die 9. Februarii, ætâtis 78 anno *1674.* Agunt de illa NN. Villerin. in Solari Auguſtiniano tom. 3. lib. 38. tract. 3. §. 3. fol. *183*, Jorda tom. 2. Hiſtor. Valent. lib. 5. cap. 10. fol. 539 n. *13.* ubi ait, natam fuiſſe Almanſæ ex parentibus Balthaſâre Galiáno, & Marianna Sanches, & profeſſiônem emiſiſſe die 1. April. an. *1612*

QUARTO
IDUS FEBRUARIJ.
X.

A. In Stábulo Rhodis, Tuſciæ oppido, & in Diœceſi Senenſi, natalis S. Guilelmi confeſſoris, qui, cum olim eſſet Dux Aquitaniæ & Pictavorum comes, & fere omnium Principum chriſtianorum progénitor, ob ſchiſma Petri Leonis, cui témere favit, in meliorem frugem ópera S. Bernardi reductus, & redactus, & paternis principátibus relictis, & Deum ex toto ſequens corde, & admirabilem potius, quam imitabilem agens pœnitentiam, poſt Hieroſolymitanam, & Compoſtellanam urbes devote viſitátas, ad ſacras Thuſciæ eremos confúgiens, ibi noſtrum Ordinem mirifice inſtaurâvit, & fundato inſtabulo Rhodis monaſterio, ſibi virtútibus, & miráculis coruſcans, à mortali ad vitam tranſiit immortalem, & ibídem ſepultum eſſe exarâtur. *B.* Inpago Rothomagenſi depoſitio S. Auſtrebertæ Virginis, quæ nóbili genere nata, in território Tarvacenſi, ſacro velamine à B. Audómaro illius urbis antiſtite ornâta, præfectaque monialium à S. Philiberto Abbate Gemeticenſi Pauliniani in Normania conſtituta, quarto à Rothomago milliario, monaſterium ſanctiſſime gubernans, meritis, & miráculis clara, ſancto fine quiévit. *C.* In monaſterio Lucenſi tranſitus B. Cheſii de S. Miniáto confeſſoris, quem fertur S. Guilelmi ſocium fuiſſe, qui magna ſanctitâte degens, ibídem ſepultus eſt in arca marmórea, in altari S. Hieronymi, quæ quóties aperîtur, tóties ſuaviſſimum exhâlat odórem, & caput ejus in argentea theca inclúſum in ſacriſtia ſervâtur, & ad ægrotos de portâtur, & in nonnullis anni feſtis à pópulo exponitur adorandum. *D.* In Luſitania in Provincia Tranſtagana obitus Ven. Joannis à S. Antonio virtûte, & ſanctimónia ſatis commendabilis, de quo narrâtur, Epiſcopatum reſpuiſſe, & mirabilia perpetraſſe. *E.* In Hiſpania in oppido Morellæ memória Ven. Auguſtinæ Sanches Monialis in cænobio ſanctiſſimæ Trinitâtis, quæ in Religiône ſuave Chriſti jugum ſequens, inter pœnitentiæ ſpinas, & virtutum fragantiam proméruit inter cælicolum flores numerâri. *F.* Barchinône in cænobio S. Mariæ Magdalénæ pretiôſa mors Ven. Manciæ Compte ibídem Moniális converſæ, quæ in Religióne floruit obedientia, humilitâte, & charitâte, & cæteris virtútibus. Cum autem uſque ad ſenilem ætátem perſeveráſſet, ſanctè hac die óbiit, & poſt mortem duo prodigia viſa ſunt, quod vultu pulcherrimo permanſit, & cerei in illiûs exéquiis per octo horas ardentes in póndere multiplicati ſunt.

COMMENTARIA
AD DIEM DECIMUM FEBRUARIJ.

A. S. Guilelmus Dux Aquitaniæ ibi natus eſt anno 1099; fretus potentia, ad bella enim parabat ſexaginta mille equites, & totidem, plus imo, pedeſtres, & divitiis, erat enim opulentiſſimus, & viribus própriis, erat enim quaſi

quasi gigas in corporis mole, taliter ut uno in prandio, quæ octo satiarent, devorâret vitiis licentiosè se dedit; & schismanticus factus partes Petri Leonis, seu Anacleti Pseudo Pontificis imprudenter secutus, anno 1133, à S. Bernardo increpatus anno 1135, aures à vero avertit; relapsus tandem, & regnum deseruit anno 1136, Compostellam profectus est anno 1137, & anno 1151 Hierosolymam pedester visitâvit, sed anno sequenti Itáliam pétiit, ubi in Stabulo Rhodis inter asperrimas degens pœnitentias; virtútibus heróicis, & miráculis egrégiis clarus, sancte mortem aspexit die 10. Februarii anno 1156, & sanctorum fastis adscriptus est ab Innocentio Tertio anno 1202, ut dicitur in Breviario Ordinis 17 Februarii.

De S. Guilelmo agunt ex NN, præter antiquos, Herrera in Alph. tom. 1. fol. 276, Torelli in Centur. 1. cap. 96. fol. 121. & in Sæculis tom. 4. an. 1157 fol. 41, Jorda tom. 1 Histor. Valentiæ lib. 1. cap. 20. §. 1. a fol. 113 usque ad 144; Arpe in Pantheo elogio 34 fol. 100, & in Diario SS. hac die fol. 77. Josephus à D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 363, Jayme Font in Flore SS. hac die fol. 481, Portillo tom. 1 fol. 324. Elss. in Encom. et plures alii; qui omnes, et præcipue, Herrera in Responsione Pacifica inconcusse ostendunt S. Guilelmum nostro Ordini pertinêre; et satis patet, quia etiam plures ex exteris id affirmant, ut v. g Angelus Manrrique Cistercienſis, Samson Haius, Genebrardus, Nauclerus, Petrus Calvus Dominicanus in lacrymis justorũ tom. 2 cap. 12. fol. 65, quorum rationes extendunt Cavalcantius, Bergomensis, Marques, Crusen, et Josephus Sabbatinus in Vindiciis August. lib. 2. cap. 9; quibus addi potest, à Papa Gregorio 13 in Bulla edita die 25. Julii anno 1576, et Innocentio 4 in Bulla facta 27. Februarii anno 1250, ita esse assertum, nec à vero discedere, illum enim B. Veronica de Binasco in cælo habitu eremitico indutum ad latus S. P. Augustini aspexit; et illum in terris á plurimis annis depictum Eremitico hábitu aspexêre nostri maiores: et hæc est, et fuit assertio uniuersalis Ecclesiæ, ante enim reformationem Breviarii factam à S. Pio V. recitabatur in tota Ecclesia de S. Guilelmo tamquam eremita Augustiniano, ut videri potest in quodam Missali Romano Venetiis impresso anno 1560 in officina hæredum Lucæ Antonii Juntæ, ubi folio 273 assertur Missa S. Guilelmi cum ejus imágine nostro hábitu indûta, et hoc titulo: Missa Sancti Guilelmi confessoris Ord. Eremitarum, et ante Evangelium est: Dicitur Credo, si fueris in Ecclesia Ordinis Eremitarum, et Missa eadem est, qua usque modo nostra utitur Religio: & in fine fol. 307 ait: explicit Missale Romanum, optime recognitum, & ad antiquorum Missal ũ Ordinem redactũ Exquibus clare infertur, quod si iste est Ecclesiæ, Authorum, & Traditionis consensus, solum temerarius, aut óculis dippis inspiciens, id póterit denegâre. Negant tamen Gabriel Penotus nostræ satis infensus Religióni, & Bollandus in Actis SS. hac die; his tamen satis responsum est á NN. Marques, Herrer. in Respons. pacifica à fol. 183, usque ad 226, Torelli ubi supra, qui rem veridicis rationibus concludunt: & concludo cum juris áxiomate: probat unus; negant mille, nisi probent, præstat ille.

B. S. Austreberta Virgo nóbili gênere nata in Território Tervacensi, & in pago Rotomagensi Augustinianam induens cucullam, inter Moniales Deo sacras, ibídem sanctitâte, & miráculis illustris, ad bravium volávit sempitérnum hac die circa annum 640. De illa agunt Martyrologium Romanum hac die, Andreas Saussai in martyrologio Gallico, Bollandus in Actis SS. & illam inter nostras annumerant N. Torelli tom. 3. fol. 85. ann. 695, Cathalagus SS. nostri Ordinis, & Leal in m. l.

C. B. Chesius de S. Miniato, ut fertur, fuit socius S. Guilelmi, & vir sanctissimus, & óbiit anno 1172, cujus corpus repertum est habitu Eremitico in Ecclesia S. Columbáni juxta Lucam anno 1250. Modo est in arca à terra elevata, quæ aperta suavissimum exhalat odórem. De illo agunt NN. Crusen. p. 2. c. 22, Elsius in Encomiastico, Torelli in Centur. 2. cap. 8. fol. 145, Herrera in Alphab. tom. 1. lit. G. fol. 277, qui plura de B. Chesio adducit, & P. Joannes Bonifacius Bagata Veronensis clericus Theatinus in tomo 2. de admirandis in appendice ad lib. 6. cap. 24. ait, B. Chesius de S. Miniato sacris suis ossibus domum illustrem dedit Lucensem Augustinianorum, cujus corpus latet in urna, quæ stat ad parietem lateris principalis Ecclesiæ, & à terra elevatum ad organum, & altare D. Hieronymi. Si quando reseratur, suavissimus odor ex Chesiano cadávere spirat.

D. Ven. Joannes à S. António, seu potius

tius, Antonius à S. Joanne, Lusitaniæ in Provincia Transtagána flóruit exímia sanctitâte, qui bis sibi oblatum rejécit Episcopatum, & ibi óbiit sanctè hac die. De illo agit late N. Anton. à Purific. tom. 2 Chronicæ lib. §. 6. fol. 10.

E. Ven. Augustina Sanches ortum hábuit in urbe Tervel Regni Aragóniæ ex parentibus Aloysio Sanches Curanda, & Franciſca Peres; à téneris virtûtis sémitam est amplexa, & sic tamquam cervus ad aquas, sic illa ad Religiônem cucúrrit; ubi professa est die 10 Februarii anno 1599, in cænobio Morellæ in Regno Valentiæ, ubi claris ornâta virtútibus, piè decessit anno 1626. Ignoratur dies mortis, & ideo in die professiônis recolitur. Agit de illa N. Jorda tom. 2. Histor. Valentiæ lib. 4. cap. 14. fol. 446. n. 8.

F. Ven. Mancia Compte nata est in óppido Millàs in comitatu Bossilonensi, Monialis conversa vixit in cænóbio S. Magdalenæ urbis Barchinonensis, ubi, plena annis, & méritis, in pace quiêvit hac die anno 1678: de illa agit N. Jorda tom. 3. Histor Cathalauniæ lib. 3. cap. 11. fol. 452. num. 5.

TERTIO IDUS FEBRUARIJ.

XI.

A. In Castro Nantonienſi in Senonensi Episcopatu natalis S. Severini Abbatis Agaunensis, viri sanctitâte clarissimi, sub cujus disciplina fere nongenti monachi degêre, erat enim sui temporis sanctitâtis miraculum; qui in Galliam profectus, Clodovæum Regem ab infirmitâte liberâvit, & áliis innumeris cláruit miraculis: post ad suum monasterium reversus, die mortis præcognito, sancto fine quiêvit: in cujus óbitu lux magna cubiculum, in quo jacébat, circumsepsit. *B.* Eodem die memoria S. Henmemodi confessôris, & Abbatis Agaunensis, qui floruit tempore S. Severini. *C.* Londini in Anglia depositio B. Guilelmi Monkelai, qui é regio ortus sanguine, sæculo, & pompis ejus valedicens, & propositi sui tenax, professionem emîsit, & in Religiône vixit mirabili sanctitâte, quam Deus prodigiis clarificâvit, tum in vita, tum etiam post mortem. *D.* Neapoli pretiosa mors Ven. Simeonis à Cruce, qui ex nostris ad Discalceatos transiit, unde post aliquas Ordinis prælatúras, in cænobio Neapolitano sancto fine hac die quiêvit. *E.* Goæ in India, in monasterio S. Monicæ depositio Ven. Elisabethæ à Cruce, quæ in Religiône vixit raro sanctitâtis exemplo, ob quod Priorissa electa, perfecte munus suum adimplêvit, & méritis plena, suprémum hac die suum diem clausit, cujus corpus post aliquot annos inventum est incorruptum, & suavissimum, quasi cæléstem, odorem exhálans. *F.* In Gallia Translatio S. Radagundis Galliarum Reginæ, & Monialis sub regula S. Cæsarii, de qua die 14. Augusti agendum est.

COMMENTARIA

AD DIEM UNDECIMUM FEBRUARIJ.

A. S. Severînus Abbas in Gallia natus est, & mónachus factus, & constructo Agaunensi cænobio à Sigismundo, Burgundiæ Rege, ibídem nongentis mónachis præfuit ab anno 476 usque ad annum 505; & Lutetiam vocâtus est à Clodovæo Rege anno 506, & diem suprémum clausit in pago Nantonienſi die 11. Februa-

Februarii anno 506; ut constat ex m. s. Agaunensis cœnobii: unde falsum est, illum obiisse anno 508, ut dicebat Spondanus, sicut falsum est, illum Benedictinis pertinere, ut scripsit Trithemius, & alii aliæ, qui omnes sine fundamento loquuntur; quia S. Severinus obiit anno 506, & S. Benedictus natus est anno 527 ut aliqui asserunt, de quo latius alibi cum N. Leal: quomodo ergo potuit S. Severinus Benedictinis pertinere, si ille obiit, antequam illorum Patriarcha nascerêtur? Nec etiam potest Canonicis pertinêre, ut somniavit Pennotus, si in Agauni solum apparuerunt Lateranenses ab anno 1150, ut notat Bollandus in Actis SS. hac die. Rémanet ergo ab exclusione dicendum, S. Severinum nostris duntaxat pertinêre, quia cœnobia Agaunense, & Jurense nostra fuerant, ut constat ex eorum Regulis, quæ á Luca Holstenio Romæ fuerant publicátæ anno 1661; & inconcusse probat N. Cardinalis Henricus Noris in Histor. Pelagiana lib. 2. cap. 3. & concordat N. Arpe in Pantheo Elogio 21 fol. 62, & in Diario Sanctorum die 11 Februarii fol. 79, & N. Torelli tom. 5. in Additamentis anno 515 fol. 647. §. 10; & Saussai in Martyr. Gallico.

B. S. Hemnémodus Agaunensis Abbas flóruit sub témpore S. Severini, de quo agit N. Torelli ubi s. Saussai, & Bollandus in Actis SS. in vita S. Severini hac die.

C. B. Guilelmus Monkelaius ortus fuit Ex Régio sanguine Cómitum Herfódiæ, & Essexiæ in Anglia, qui, calcatis blandimentis sæculi, nostro hábitu indûtus est Londini, qui sicut in novitiatu cœperat actibus devotiónis insistere, sic professus studuit semper de bono in mélius proficere, & sic in vita, & in morte multis miráculis cláruit. Circa tempus, in quo floruit, non consentiunt AA: N. Sebastian. de Portillo asserit floruisse circa annum 1266. N. Herrera tom. 1. Alphab. fol. 282. asserit claruisse circa annum 1360, & huic videtur assentiri N. Torelli in Centur. 3. cap. 16. fol. 259. De illo agunt NN. B. Jordanus de Saxonia lib. 3. cap. 11. ubi illius existentiæ non assignat tempus, & præter AA. citatos, NN. Portillo tom. 1, fol. 326, & Leal in m. s. de illo hac die mentiónem faciunt.

D. Ven. Simeon á S. Cruce Neapoli in Provincia Terræ Laboris natus est, anno 1557, & hábitu nostro indûtus est in Congregatióne Carbonariæ, unde vixit usque ad annum 1607: inde ad nostros Discalceátos tránsiit; & cum esset prædicâtor apostólicus, & zelo plenus, ob suas égregias virtútes plúrimos é vitiórum cæno ad veram pœnitentiam reduxit; & post aliquas in Ordine dignitátes, suæ Religiónis Vicarius Generális electus est, quod munus summa cum prudentia exercuit: & cum Congregatiónem Carbonariam, unde nutrîtus fuerat, authoritáte apostolica reformaret, plenus bona senectúte, Neápoli die 11. Februárii sancte quievit. Agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 8. n. 107. fol. 257.

E. Ven. Elisabetha á Cruce, in urbe Goa nata, ibídem Monialis facta est in cœnobio S. Mónicæ, ubi professiónem émisit die 13. Decemb. anno 1618; & ob egregias virtútes Prioríssæ munus exercuit ab anno 1660, & summa cum pietáte óbiit die 11. Februar. anno 1670, cujus corpus inventum est incorruptum, anno 1690, ut dicendum est die 12 Septembris. Deo dante. Agit de illa Fr. Augustinus á S. Maria N. Discalceatus in Histor. Goensi lib. 4. c. 24. n. 548. fol. 808.

F. Translatio S. Radagundis Reginæ Galliárum, & Monialis sub régula Augustiniana, ut dicendum est die 14. Augusti. De hac Translatióne agit Bollandus in Actis SS. hac die in prætermissis.

PRIDIE IDUS FEBRUARIJ.

XII.

A In Civitâte Lindisfarnensi transitus S. Ethelvoldi Episcopi, & Confessoris, qui monachismum amplexus in Insula Farnensi, in monasterio S. Cutberti, & ibi postea Abbas factus, inde in Scotiam profectus, diutius vixit in cœnobio S. Boisilli, nomine Melrossensi, unde etiam Abbas factus est, quod munus summa cum prudentia, & sanctitâte explêvit, ob quæ Episcopus Lindisfarnensis creatus est, ubi per duodeviginti annos prædicans contra vitia, relictis scientiæ, & sanctitâtis claris indiciis, miráculis coruscans etiam post mortem, in Domino quiêvit hac die, sepultusque in Sede Lindisfarnensi, & post centum, & triginta annos translatus est cum corpore S. Cutberti in oppidum dictum Cistram ob timorem Danorum, qui templa incendebant; & anno transacto nongentorum, & nonaginta quinque annorum translatus est in civitatem Dunelmu, ubi cum aliis reliquiis requiescit. *B.* In Britannia in cœnobio Landevenecensi óbitus S. Rioci Confessôris, qui, véndito património, inter pauperes distribúto, Eremum juxta fluvium Bretensem petiit, ubi plusquam per quadraginta annos Eremiticam vitam duxit, *solis* herbis, & piscibus alitus: in oratione assiduus, dæmonum astútias profligâvit, semper victor existens: hinc profectus ad monasterium Landevenecum, ibi in mónachum Augustinianum attonsus, vitam, quasi cælestem, duxit: tandem sénio confectus, hac die in Domino óbiit; quem post, facto vitæ examine, S. Budôcus Episcopus Dolensis canonizâvit. *C.* Stellæ in Civitâte regni Navarræ pretiosa mors B. Martini de Uláte Confessoris, qui é nóbili genere natus, sæculo valedícens, in Religiône flóruit litteris, humilitâte, simplicitâte, mansuetúdine, abstinentia, & observantia omnium virtútum, sic, ut omnibus stupor esset. In prædicatiône alter fuit Paulus, in zelo secundus Helias, & sic plures ad meliórem frugem reduxit: cláruit dono lacrymárum, præcipue in oratiône, & prædicatiône: somnum capiébat nuda in tábula recumbens. Pauperrimus semper vixit, & quidquid sibi erat, paupéribus dabat. Cláruit spiritu prophetiæ, nonnulla enim futura prædixit. Tandem annis, & claris méritis plenus, hac die in cœnobio Stellæ extrémum diem clausit, sepultusque est ibídem in ara maiori ad latus Evangelii. *D.* Lixbónæ in Cœnobio Gratiarũ depositio Venerabilis P. Nicolai de Tolentino nati ex prosapia legitima Cómitum de Linhares, Ordinem nostrum, sæculo animóse valedicens, ingressus est, & post professionem mirábili vixit exemplo; erat enim in pœnitentia assiduus, in charitâte férvidus, in oratiône defixus, sic aliquando répetens illam officii divini benedictionem: Exaudi, Domine Jesu Christe, preces servorum tuorum, & miserére nobis: vitus est extra sensus raptus, & intra longum spátium ita immobiliter defixis in Christi imagine oculis permansit. Fuit reformator, & visitâtor Canonicorum S. Eligii in hoc regno, & Provincialis, & Vicarius Generalis nostri Ordinis. Fuit ita paupertatis amans, ut sibi redditus a suo Fratre Cómite donatos, Religióni prorsus donavérit: óbiit cum magna sanctitâtis opiniône in cœnóbio Gratiárum, unde sepultus resurrectionem expectat mortuorum,

COMMENTARIA

AD DIEM DUODECIMUM FEBRUARIJ.

A S. Ethervoldus Episcopus, & confessor, natus est in Insula Lindisfarnensi in Northumbria, & hábitu nostro indûtus est in Insula Farnensi in monasterio

S.

S. Cutberti, de quo agendum die 20 Martii, ibi postea Abbas factus est; & inde in Scotiam transiens, vixit in monasterio Melrossensi S. Boisilli, de quo supra 23 Januarii, ubi etiam Abbas electus, munus rara prudentia, & sanctitâte adimplevit: cumque suæ virtûtis fama prope, & procul vulgarêtur, Episcopus Lindisfarnensis creâtus est, ubi per duodeviginti annos sancti pastoris partes explêvit; donec innúmeris clarus miráculis, sanctè óbiit hac die an. 718, sepultusque est in Sede Lindisfarnensi, & post 135 corpus ejus una cum corpore S. Cutberti translatum est in oppidum Cestram, ob timorem Danorum, qui templa incendébant; & rursus anno 995 translatum est in civitatem Dunelmu, ubi magna cólitur veneratiône. Agunt de illo Acta SS. P. Bollandi hac die, & N. Jacob Font in Flore SS. hac die fol. 512, ubi probat illum nostris pertinêre, & probandum est die 20 Martii, dum de S. Cutberto.

B. S. Riôcus natus est in Britannia Armórica; qui vendens patrimonium pingue, & illud inter pauperes distribuens, in locum solitarium juxta fluvium Bretensem se cóntulit, ubi per 41 annos vitam duxit anachoreticam, solis herbis, & piscibus ad cibum contentus: in oratiône assíduus, dæmonum astutias profligabat, & superâbat. Postea tránsiens in monasterium Landevenense, ibi in monachum attonsus Augustinianum, vitam, quasi cæléstem, duxit; unde senio confectus, & meriris clarus, in Domino quiêvit hac die in sæculo quinto, & anno 637 à S. Budoco Episcopo Dolensi in sanctorum número relatus est. Agit de illo tanquam nostro N. Jacob Font in Viridario SS. Ordinis fol. 510.

C. B. Martinus de Ullate, seu de Eulate, non Cantabriæ, sed potius Navarræ in oppido Stellæ natus est, ex illustri génere Viamontensium, seu ex Navarræ Comestabilium prosapia. Cum esset Concilii Regis præses, vel Regens, vel senâtor, spretis mundi illécebris, professus est in nostro Ordine, ubi mirabili sanctitâte vixit, & óbiit hac die anno 1504. De illo plura asserunt NN B. Alphonsus de Orosco in Chronica Augustiniana, Pamphil. sub anno 1504 fol. 100, Herrera in Alph. tom. 2. fol. 58. Torelli in Centur. 4. c. 39. fol. 420, & tom. 7. anno 504. fol. 547, Roman, Portillo tom. 1. fol, 339. Elssius, & Josephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 484. De illo etiam mentionem faciunt Fr. Joannes Marieta in Flore Sanctorum Hispaniæ, & Ægidius Gonçales de Avila in Theatro Ecclesiarum Hispaniæ lib. 3. cap. 17. fol. 130.

D. V. Nicolaus de Tolentino Lixbonæ natus est anno 1553 in die S. Nicolai de Tolentino, filius legitimus fuit D. Francisci de Noronha Cómitis de Linhares, & Violantæ de Andrada: hábitum nostrum Conimbricæ assumpsit cum Fratre suo Ven. P. Fr. Guilelmo à S. Maria, die 15 Octob. anno 1569. in mánibus Ven. Fr. Angustini de Jesu, qui postea fuit Archiepiscopus Bracharensis, & professus est die 22 Octob. anno 1570 Lixbonæ, & cum antea dicerêtur D. Didacus de Noronha, in professione tamen dictus est Fr. Nicolaus de Tolentino, quia in die hujus sancti natus est: fuit vir magnæ charitâtis, & pœnitentiæ, & paupertâtis, taliter, ut quadraginta mille aureos sibi à Fratre suo Cómite concessos, sponte communitâti fuerit largîtus, ut constat ex lib. professionum ex scripto ab illo facto 17 Maii anno 1609. Fuit Provincialis hujus Provinciæ electus anno 1606, die 15 Aprilis; in quo tempore etiam fuit Vicarius Generalis nominatus à P. Generáli Hippólito Fabráno Ravennatensi: óbiit tandem pie die 12 Februarii anno 1634. Agunt de illo NN. Antonius à Purific. in Chronol. Monastica die 12 Februarii fol 91. Arpe in Diario SS. 12 Februar. fol. 81, Leal in m. s. fol. 81.

IDIBUS FEBRUARIJ.

XIII.

A Bracharæ in Lusitánia depositio S. Stéphani Ratensis Confessoris, & Monachi in monasterio juxta Bracharam fundato à N. S. Paulo Orosio, ubi in omni virtûte flóruit, præcipue humilitâte, solitúdine, paupertâte, & oratiône, & fuit ádeo pátiens, ut suos diceret amícos, qui ipsum magis offenderent; ob quæ ejusdem cœnobii Abbas electus est. Idem inter fuit Tertio

Concilio Toletano contra Arrium celebrato. Tandem magnis relictis suæ sanctitatis indiciis, hac die, multis Angelis assistentibus, ad superos volavit. *B.* In Hibernia juxta montem nomine Salanga natalis S. Modomnoci Osorienſis Confessoris, qui vitam monachalem est amplexus in cænobio Menevensi sub disciplina S. Davidis; unde vitam duxit angelicam multos per annos, curans de apibus cænobii. Cum autem in Hiberniam proficiscerêtur, apes eum in navem ingredientem comitatæ sunt, & illum iterum in cænobium redeuntem & apes sunt comitatæ: cum iterum navem ingrederêtur, & apes illum iterum sunt comitatæ, admirantibus, qui aderant, sodalibus. In Hiberniam appellans, cænobium constructit juxta montem Salanga; unde cum suis Fratribus multos per annos sanctissime vivens, inter continuam orationem, & jejunia, & rarum de se exemplum ostendens, morte felici in terra, in cælo vitam felicissimam hac die invênit. *C.* Hispaniæ in Civitate Roderici tránsitus Ven. Elisabéthæ de Mançanado, quæ septennium attingens, monialis facta est in cænobio monialium ibi existenti, & ex tunc virtutis sémitam est amplexa; præcipue cláruit oratióne, pœnitentia, patientia, & abstinentia: & ádeo in somno parca, ut vix duas per horas somnum protráheret: in oratióne éxtases non paucas hábuit, & mortis suæ die, & hora prænognita, hac die molem éxuit mortálem. *D.* Segorbii in monasterio monialium S. Martini mors pretiosa Ven. Annæ à S. Hieronymo ibidem monialis, quæ ab ingressu religiónis se nímis virtuti ostendit proclivem, sátagens suo Sponso in nihilo displicere. Erat assídua in choro, in oratióne continua; sic in obedientia prompta, ut vix ad chorum signum audíret, & si litteram incíperet, céleri gressu ad chorum volâret: fuit raræ solitúdinis, & mirábilis charitâtis; in religiónis observantia singulâris fuit: incredíbili patientia longam passa est infirmitatem; cláruit dono lacrymarum. Tandem, tot méritis cumulâta, hac die, relicto mortali ergástulo, ad requiem, ut pie créditur, volâvit sempiternam. *E.* Carcassóne Galliæ Narbonensis Civitate tránsitus Ven. Luciæ à Costa Ursulínæ monialis, & nostri ordinis adminus Tertiariæ, & Mantellatæ, quæ à téneris in Religióne degens, flóruit pæniténtia, quærébat enim quidquid sibi dólori esset, & molestiæ, flóruit ánimi candóre, & humilitâte, se esse pauperrimam perenniter erga omnes jactabâtur: assíduam servábat oratiónem, unde á Deo nonnullos recépit favores. Incredibili patientia morbos tolerábat, & virtútes, quibus ornabâtur, occulébat. Visiónem hábuit Christi Jesu sub imágine, Ecce homo, exqua tria concépit in mente, máximam scilicet compassiónem erga Christi passiónem; maximam reverentiam erga Sanctíssimum Sacramentum, & maximum patiendi gaúdium: & exinde quasi in extasi visa est continua. Quasi cum sancta impatientia adventum Sponsi opperiebâtur, répetens in corde illos Psalmógraphi versus: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus: quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus: quando véniam, & apparébo ante fáciem Dómini? Tandem cum viginti ætâtis habêret annos, summa cum pietáte e mortáli cárcere ad pátriam cæléstem créditur transvolasse.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM TERTIUM FEBRUARIJ.

A S. Stéphanus Abbas Ratensis flóruit juxta Brácharam in Lusitánia in cænóbio nostri Ordinis fundáto à N. S. Paulo Orósio, ut dicémus, Deo dante, 22 Octobris, nostro Coeremita, qui in Lusitania plura fundávit monasteria; de quo agit N. Leal in Chronica Purific. 6. Exam. 4. fol. 580 à num. 12. In tali cænobio sancte vixit, & óbiit S. Stephanus hac die anno 594. De illo, tanquam nostro, agunt NN. Purificat. in Chronologia Monastica hac die fol. 325; & in Chron. 1. p. lib. 2. tit. 6. fol. 231; Torelli in Sæculis tom. 2. fol. 494; Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 84, Gratianus in libro Antuerpiæ impresso an. 1613, Jacob Font in Viridario SS. fol. 513; Portillo hac die fol. 342. Ex exteris Beyerlinch in Theatro tom. 6. lit. R. V. Religio fol. 1608, & alii.

Contra nos tamen pugnant Canonici S. Crucis, qui sunt partes incompetentes, cum suo D. Nicolao, qui asserunt nullum

nullum cœnóbium noſtrum fuiſſe in hoc regno, & in aliis ante annum 1243, quod intendunt probâre ex Bulla Innocentii 4. edita 1. Auguſti anno 1243, ubi colligitur uſque ad illud tempus nullum noſtræ Religionis in orbe cœnobium fuiſſe. Huic argumento applicari poteſt illud Ariſtotelis dictum contra Moyſen: bene locútus eſt barbarus, ſi probaſſèt. In Confirmationem addunt, quod anno 1252 Venetiis impreſſum eſt noſtri Ordinis Breviarium cum hoc titulo: Officia ad uſum Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, cujus Ordo fundâtus eſt anno 1258. Inferút ergo ante dictum annum nullibi noſtri Ordinis cœnobium extitiſſe: & ſic ſine fundamento dícimus S. Stéphanum noſtri Ordinis fuiſſe. Videntur de nobis triumphare Canonici, ſed ipſi ex ſuo nobis præparant triumphum. Unde prima reſponſio huic futili argumento eſt, nihil probâre, quia nimis probat, & quia ſine fundamento probat: oſtendunt enim Canonici adverſarii, ea, quæ noſtra ſunt, ignorâre: ſic, ut illorum ignorantiam illuſtrêmus, ex auditu ad oculos lucem ſuſcipiant. Beyerlinch in Theatro ſuo lib. 16 fol. 184 ait: anno inſequente mortem ipſius, loquitur de S. Auguſtino, videlicet, 431. Eremitæ Auguſtiniani per Italiam, Galliam, & Angliam ſunt diſperſi. Idem aſſerit Baronius: Exhac Auguſtini plantatatione accepti palmites longe, lateque diffuſi, tum in Africa, tum etiam in aliis pleriſque Eccleſiis occidentis fructu uberrimo locupletárunt Eccleſiam: & ſic S. Paulinus totam Hiſpaniam implevit monaſteriis Auguſtinianis, ut aſſérit Mag. Argáes Benedictinus in opere Eccleſiaſtico Hiſpaniæ p. 4. fol. 148 citans pro ſe Liberatum Abbatem Pamplonæ in Chronico, & idem Liberâtus anno 414 ait: Bilbilis moritur Venerabilis Celerinus Abbas monaſterii Biblilitani à S. Paulino Nolano, B. Auguſtini diſcipulo, erecti. Et Flavius Dexter anno 406 ait. Lepórius Epiſcopus Uticenſis prius monachus ex familia S. Auguſtini. Et anno 417 floruit in Gallia S. Antonînus Martir. Et Liberatus ait: anno 418 florent admirabili ſanctitâte in Hiſpania mónachi S. Auguſtini. Et Goccelinus de vita monaſtica ait de noſtra Religione: nulla erêmus, nullus pene angulus, qui perfectis mónachis, ac Monialibus non replerêtur. De N. S. Paulo Oroſio probat N. Leal Purific. 6 Exam. 4. fol. 582. & fuiſſe Eremitam, & fundaſſe plura monaſteria in Hiſpania.

Patet amplius, quia cœnobium Burgenſe fundatum eſt anno 1050, ut probat N. Herrera tom. 1. Alphab. fol. 117. Unde manet cœnobium vetuſtiſſimum Pennæ firmæ in Luſitania; cujus initium aſpexit annum 850! Concludamus tandem cum verbis P. Bollandi in Actis SS. tom. 2. Februarii in vita Hiſtor. S. Guilelmi fol. 473. in 4. ubi ait: fuiſſe in Europa diu ante varios ubique Eremitas ſecundum regulam S. Auguſtini degentes clarum eſt, atteſtante etiam Innocentio Tertio, dum lib. Regiſtri 14, Epiſt. 87, & 88 confirmat Abbati, & Conventui maioris monaſterii Turonenſis monaſterium Fontiſ-Giardi, iis diu ante ab Epiſcopo Cenomanenſi donatum &c. Pari ratióne arbitramur ab eodem Innocentio privilegia fuiſſe conceſſa particularibus domibus Eremitárum S. Auguſtini, quale datum eſt Eremitorio S. Antonii in Ardigneta, in ditione Senenſi maritima ſito.

His ergo relatis, & pluribus relictis clarum eſt, Canonicos deſípere, qui aſſerunt noſtram Religionem nullibi cœnobia habuiſſe, niſi ab anno 1243, cum ſatis conſtet ante ſæcula milleſimi plura habuiſſe cœnobia; & de hoc late agunt noſtri hiſtoriographi, & ſic non mirum eſt, illos non legentes deſipere. Nec ex Bulla Innocentii IV. & ex Breviario Ordinis Venetiis impreſſo aliquid concluditur; imó in Canonicos argumentum concluditur; quia ſi Breviarium aſſerit noſtrum Ordinem fundatum fuiſſe anno 1258, quomodo Innocentius IV. anno 1243 conceſſit Ordini nondum fundato fundare cœnobia! Reſpondeant, & reſpondebimus primo, quod tale Breviarium cum tali lemmate in rerum natura non fuit, & ſolum eſt inventum Adverſariorum, qui, invidia tabeſcentes, Eremitárum gloriæ ſatis invident. Secundo, quia ſi Innocentius IV. noſtris conceſſit fundâre mónaſteria, male infertur: ergo ante illis nulla fuerant cœnobia: Non ſequitur; imo ſequitur, jam ante Eremitas, quibus poteſtas dabatur, exiſtere; alias nemini illa dabâtur. Patet in hac Luſitana Provincia, cui conceſſa eſt facultas nova cœnobia ædificandi: ergo antea nulla erant? quis dicet? Sic accidit in Ordine, cum Innocentius IV. talem facultatem dedit; nam, cum ordo ob Congregationes ſibi annexas maximum haberet augmentum, & ad urbes deveniret, ideo Pontifex conceſſit cœnobia

nobia nova, & in urbibus ædificare.

Non ſolum Canonici, ſed etiam PP. Caſſinenſes nobiſcum contendunt, aſſerentes nobis S. Stephanum Ratenſem non pertinêre. & nituntur verbis Marci Maximi, dicentis, omnes illos novem Abbates, qui Concilio Tertio Toletano adfuêre, fuiſſe Ordinis S. Benedicti: cum ergo ex illis fuerit S. Stéphanus de Rates, bene infertur non Auguſtinianum fuiſſe. Hoc argumento videntur triumphâre Caſſinenſes: ſed audiant reſponſum, & poſt, ſi poſſint, triumphent: quia tale Chronicon Marci Maximi diu látuit in libraria monaſterii Fuldenſis in Germania Ordinis S. Benedicti, & ſic in favorem ſui plenum eſt erroribus, ut probant Pennotus in Hiſtor. Tripartita cap. 52, 53, & 54, Joannes Peres Epiſcopus Segorbienſis, Gaſpar Eſcolanus 1. p. Hiſtor. Valentiæ lib. 2. cap. 2, & alii cum NN. Purific. & Torelli ubis: unde infertur etiam in talibus eſſe vitiatum tale Marci Maximi Chronicon, & patet primo, quia Caſſinenſes Hiſpanias non intrarunt niſi anno 910, imo, & multo poſt per Cluſſiacenſes, ut late, & inconcuſſe noſtri probant, ut videre eſt in Noſtro Purific. tum in Chronic. tum in Antidito: ſed S. Stephanus obiit anno 594, & ante illius obitum, & Caſſinenſium ingreſſum mediarunt trecenti, & ſexdecim anni; & ultra ergo non poteſt ullo jure Caſſinenſibus pertinêre. Amplius argumentum corróboro. S. Eutropius fuit unus ex illis novem Abbatibus, qui cum S. Stephano tali Concilio adfuêre; ſed iſte Caſſinenſis non fuit, ſed vere Auguſtinianus, ut dicemus: ergo idem de S. Stephano dicendum eſt; & infertur, illa verba Chronici Marci Maximi addita fuiſſe. Maior eſt certa, & conſtat ex Abbate S. Joanne Valclaræ, qui in Chronic. an. 584 ait: ſumma tamen Synodalis negotii penes S. Leandrum Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopum, Beatiſſimum Eutropium monaſterii Servitani Abbatem fuit. Minor patet ex eodem Marco Maximo, qui anno 574 ait: Fr. Donatus, qui regulam Eremitarum S. Auguſtini locupletiorem, mitioremque primus invexit, & in agro Setabitano monaſterium Servitanorum conſtruxit. Ergo ſi dixerat S. Donatum fuiſſe Eremitam Auguſtinianum, quommodo dixiſſet de S. Eutropio ejus diſcipulo, & ſucceſſóre fuiſſe Benedictinum? Audiatur Tamay. tom. 3. ſui Martyrologii die 8. Januarii. Illo, id eſt, S. Donato, é vivis ſubláto, & inter cæleſtes cives ſublato, & ſuſcepto, Eutropius in ſanctiſſimi Donati Abbatis locum ſuffectus eſt. Hujus muneris onera, renuens licet, ſuſcipiens, antiqui conditoris Auguſtini, & moderni fundatoris Donati ſic eſt imitatus veſtigia, ut néutiquam ab utriuſque régulis ipſe, aut mónachi in minimo deviárent: & nobiſcum ſentit N. Ferdinandus de Camargo in Chronic. Eccleſiæ militantis anno 585 p. 2. fol. 585, ubi ait. San Entropio Frayle Auguſtino, diſcipulo de S. Donato Abad del monaſterio Servitano de los Eremitas Auguſtinos, ô Biſpo de Valencia, como dize San Iſidoro. Tandem addo Epiſtolam ad Romam miſſam anno 1676 à Capitulo illius Cathedrali, in qua à Pontifice pétebat, poſſe miſſas, & officium celebrâre de S. Eutropio his verbis.

Beasiſſime P. S. Eutropius ex Gothorum nóbili génere ortus, in monaſterio Servitano, aut potius Setabitano Regulæ, & Ordinis Eremitarum S. Auguſtini in hoc Valentino regno conſtructo, ſpretis mundi illécebris, & vanis honoribus abdicatis, contemplatióni déditus, & variis virtútum ornamentis decorâtus, monaſticam vitam egit. &c. Videatur N. Jacob Jorda tom. 1. Hiſtor. Valentiæ lib. 1. cap. 10. à fol. 51. uſque ad 69: ergo ſi S. Eutropius non fuit Abbas Benedictinus, nec etiam S. Stephanus; & idem dicendum eſt de aliis, qui Concilio interfuêre, & ſic bene colligitur, talia verba addita fuiſſe Chronico Marci Maximi. Tandem admóneo Caſſinenſes, ut Baronium legant tom. 6. an. 77. fol. 498.

B. S. Modomnocus, vel Dominicus natus eſt in Oſſoria, ſeu Oſſeria Hiberniæ in confiniis Momoniæ, & Lagéniæ, & vixit Eremo cum S. Aidáno Epiſcopo Fernenſi in Hibernia ſub deſciplina S. Davîdis Abbatis, de quo prima Martii; & conſtructo cænobio juxta montem Salanga, ibi ſancte óbiit hac die circa annum 600. De illo plures agunt, præcipue Bollandus in Actis SS. hac die, & N. Jacob Font in Viridário SS. Ord. fol. 517, & probat noſtri Ordinis fuiſſe.

C. Ven. Eliſabetha de Mançanado nata eſt in Civitâte Roderici é nóbili proſapia, & cum ſeptennium ſalutaſſet, hábitum moniálium Auguſtinenſium ſuſcêpit in cænobio Ordinis ibídem exiſtenti, & exinde in omni virtútum génere ſeſe exércuit; donec innúmeris méritis

tis cumulâta hac die in cælum migravit anno 1579. Agit de illo N. Portillo hac die in Flore sanctorum. tom. 1. fol. 344.

D. Ven. Anna á S. Hieronymo nata est in Urbe Segorbiensi; cujus pater dicebâtur Franciscus Navarro, & parens Catharina Sena. Ut cervus sitibundus, sic Religiónem appetebat, & ingressum obtinuit in cœnobio S. Martini Segorbiensi 25 Aprilis anno 1615, cum quindecim implesset annos, & professionem émisit die 25 Maii an. 1616. Ex quo tempore maximo cum fervôre virtútem est amplexa; donec anno 1652 die 13. Februarii summa cum pietâte decessit. Agit de illa N. Villerin. tom. 3. Solaris August. lib. 41. tract. 2. §. 6. fol. 240.

E. Ven. Lucia á Costa hábitum Ursulinarum, imó, & Augustinianum suscepit in cœnobio Carcassonensi, cum bis septem ætâtis habêret annos, & per sexennium sanctè in Religiône vixit, & óbiit hac die anno 1645. Agitur de illa in Chronico Ursulinarum in cœnobio Gratiarum servato fol. 77.

SEXTO DECIMO KALENDAS MARTIJ.

XIV.

A Spoléti in Umbria pretiósa mors B. Christínæ Virginis, quæ orta ex nobilissimo Vicecomitum Mediolanensium sanguine, á quinto ætatis anno, jejuniis, orationibus, & disciplinis intenta, terreni Sponsi expetitas, & oblatas à parentibus nuptias contênens, cælestis Sponsi castis connubiis virginitâtis florem illibatum consecrâvit. Cum duodecim annórum esset, tertio S. P. Augustini Ordine suscepto, & cuculla nigra indúta, cum sócia in Eremum secessit, ubi mentem orationibus récreans, & corpus vigiliis, & disciplinis mácerans, glorioſum de se triumphum reportâvit. Post nonnullas peregrinationes ad Romam, & Assisium, Spoleti subsistens, in quodam hospitali per sex menses vitam duxit pane, & aqua contenta, exceptis Dominicis, in quibus páululum vini gustabat, & sextis feriis, in quibus fel aceto mixtum in Christi Domini memoriam suscipiebat. Tanta ejus fuit in Christum dilectio, & tam fervida erga passionem ejus meditatio, ut quasi extra se rapta, clavo ferreo tenerum pedem, miranda potius, quam imitanda devotiône perfóderit. Tandem lenta, & lethali febre prægravâta, sumptis summa cum teneritúdine sacramentis, é córporis ergástulo secédens, ad cæléstis patriæ gáudia volâvit, & ante, & post mortem innúmeris cláruit miráculis. Corpus ejus incorruptum in Ecclesia S. Nicolai Spoletána servátur in arca super altâre S. Michaelis, ubi fidelium veneratiône cólitur. *B.* Vallisoleti in Indiis depositio Ven. Didaci de Clávibus, qui, in cœnobio Mexicano habitu assúmpto, vitam duxit inter jejunia, mortificationes, & oratiónes: in choro assíduus, in passionibus domitus, in vestitu pauperrimus. Erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum cláruit devotiône, unde áccidit, quod ministrans Eucharistiam cuidam Indo, & iste illam vómitu expelleret, tunc ille prócidens in terram, sine nausea particulam cum vómitu expulsam reassumpsit; ob quæ á Rege catholico electus est Episcopus Mechoacanensis in regno Mexicano, quod munus á prælatis coactus accêpit; verum, ne muneri succumberet, Deum precâtus est, ut ante Bullarum expeditionem occumberet, & sic hac die é vivis pie decessit: ejus corpus, illo rogante, in cœnobio Tiripitii depositum, futuræ resurrectionis felicitatem expectat. *C.* In Hispania in oppido Morellæ, & in cœnobio Sanctissimæ Trinitatis tránsitus venerabilis Hieronymæ Brusceæ ibidem monialis, quæ in Religióne vixit mirábili sanctitate; assídua, & prima erat in choro, in oratiône continua, in qua die, noctuque plures consumebat horas; in pœnitentia singulâris, corpus enim suum asperis disciplinis, & ciliciis, & jejuniis macerâbat. Indolis mittissimæ fuit, ádeo,

ut

ut omnibus chara foret, & adeo humilis, ut adhuc Prioriſſa, omnibus inſervîret, & viliora monaſterii officia perficeret: in obſervantia fuit mirabilis; ob quæ é monaſterio S. Catharinæ martyris de Mirambel aſſumpta eſt ad fundationem cœnobii oppidi Morellæ in regno Valentiæ, quod quindecim per annos máxima cum ædificatiône gubernâvit. Tandem annis, & méritis plena, pie deceſſit & poſt mortem apparuit Venerabili Omellæ S. Franciſci Tertiariæ, hábitum portans nonnullis umbris plenum; cui dixit, illas umbras demonſtrâre nonnullos ſuæ vitæ defectus, & illos in purgatorio purgâre, & ſic ſuffrágiis indigêre; quibus explétis in cælum glorióſa migrâvit. *D.* Medio lani óbitus Ven. Sancti à S. Joſepho Diſcalceati raræ ſanctitâtis viri. *E.* Translatio Ven. Joannis à *S.* Guilelmo Confeſſoris.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM QUARTUM FEBRUARIJ.

A. B. Chriſtîna Spoletàna de Vicecomitibus nata eſt an. *1436.* é nobiliſſima domo Vicecomitum Mediolanenſium. A quinquennio virtûtis ſémitam raro cum exemplo ſecutus eſt. Nuptias fugatûra, in Eremum receſſit, ubi mirábili ſanctitâte vixit. Poſt peregrinationes Romæ & Aſſiſii; Spoleti cõmorans, mirabili ſanctitâte innûmeris miráculis comprobâta, ætâtis 22. ad Sponſi Cæleſtis thalamum properâvit anno *1458*, hac diê hora quinta décima. De illa agunt ex NN. Ambroſius Coriolânus Ordinis Generâlis electus anno *1496*, & B. Chriſtinam cognôvit. Adâmus de Montalto Genuenſis, qni ejus vitam ſcripſit Cármine heroico anno *1470*, Cornelius Curtius, Herrêra in Alphab. tom. 1. lit. C. fol. *137*, Torelli in Centur. *3.* c. *86.* fol. *335*. B. Alphonſus Oroſco in Chron, Simplician, à S. Martino; rurſus Torelli tom. *7.* anno *1458.* fol. *55*; ubi ejus vitam late explânat, & Portillo tom. 1. fol. *356*, Arpe in Diario Sanctorum tom. 1. fol. *86*, & in Pantheo Elógio *65.* fol. *205*, ubi illam celebri celebrat Elógio, & vitæ Chronológia, Pamphilus, Jacob Font in Viridario SS. tom. 1. fol. *518*, Joſephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. *381*, & alii. Ex exteris Jacobillus de Sanctis Umbriæ, Beyerlinck in Theatro tom. *6.* lit. R. fol. *1068*, Franciſcus Laertius in Monologio Virginum, Petrus Boſca in Monologio Mediolanenſi, die *14.* Februarii, Joannes Bolandus in Actis SS. hac die, tom. 2. Februarii folio *799*. In ejus tumulo extat hoc Epigramma, ut refert N. Herrera ubi ſupra.

Virginis illuſtrîs Chriſtinæ hic ſanguine Divæ
Oſſa ſub hoc túmulo ſancta ſepulta jacent.
Ipſam Auguſtíni pia régula ſuſtulit O' quam
Limite ſervâto fortis, & acris erat.
Clara Ducum véteris Cómitum vice gloria gentis
Italiæ, ut radiet, cernite, ſigna docent.

Anno Domini 1458. die 14. menſis Februarii hora quinta decima migravit de ſæculo B. Chriſtina Virgo, innúmeris decorâta miraculis, cujus corpus in Eccleſia S. Nicolai de Spoleto eſt reconditum.

Addimus, quod circa incorruptionem corporis B. Chriſtinæ, & locum, unde modo jacet, & orationes B. Chriſtinæ videatur N. Joſephus à D. Antonio ubi ſupra, & in ſuo Iman fol. *69*, Elſſius in Encomiaſt. Auguſtiniano fol. *141*.

B. Ven. Didacus de Clavibus in Urbe Pacenſi in Hiſpania é nobiliſſimis parentibus ortus eſt; & in Mexicum profectus, ibi anno *1535.* hábitum induit Eremitîcum: ex quo tempore viam virtûtis raro cum exemplo eſt ſecûtus. In Provincia Mechoacanenſi præco Evangelii fuit præclârus, & anno *1572.* á Rege Catholico electus eſt Epiſcopus Mechoacanenſis, & á prælatis obedîre coactus, acceptâvit munus, ſed onus abhorrens, á Deo impetrâvit, ut ante Bullarum expeditionem obîret, ut obiit

hac

hac die anno 1578, sepultusque est in cænobio Tiripitii. De illo agunt NN. Herrera in Alphab. tom. 1 fol. 197. de Prælatis lit. D. Portillo hac die tomo 1. fol. 364, Elssius in Encom. Grixalva in Historia Mexici fol. 142, ubi ait illum obiisse ann. 1573.

C. Ven. Hieronyma Brusca natalem habuit Hispaniæ in oppido Villar-Luengo, é parentibus nobilibus, scilicet Hieronymo Brusca, & Elisabetha de Asin; hábitum monialium suscépit in cænóbio Mirambel S. Catharinæ martyris: & ibi Deo tria vota dicâvit 27. Julii anno 1579; & cum de se rara sanctitâtis exempla dedisset, electa est Priorissa ad fundandam religiónem in cænóbio nóviter erecto Morellæ, titulo sanctissimæ Trinitatis, ubi, post plures regíminis annos, sancte quiévit: sed quia Deus etiam in Angelis pravitatem réperit, illa post mortem, quæ accidit anno 1623. mense Februarii, apparuit Ven. Omelæ Tertiariæ S. Francisci, hábitu aliqualiter maculáto, réferens id insinuare áliquot suæ vitæ defectus: & póstulans defunctorum suffragia, evánuit; quibus ab Omella factis, in cælum volavit. Agit de illa. N. Jayme Jorda tom. 2. Histor. Valentiæ lib. 4. cap. 15. fol. 444. n 5.

D Ven. Sanctus à S. Josepho in Diœcesi Novariensi in Burgo dicto Varallo natus est anno 1505, ex parentibus Joanne Baptista Albertino, & Clara Draghetta: & anno 1626 inter Discalceatos hábitum suscépit, & ibi professus est 4. Novembris, anno 1627 in cænobio Pedemontano. Studiis deditus, maxime in virtútibus profecit; præcipue in humilitâte, & oratióne, & in omni Religiónis obsérvantia: abhorruit Ordinis dignitátes: in confessionario pænitentibus valde profecit, taliter, ut ab omnibus sancti vocabulo noscerêtur, quam opinionem conservans, in cænobio S. Francisci Mediolanensi óbiit die 14. Februarii anno 1675. ætatis 70. Hæc, & plura de illo refert Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 17. n. 98. fol. 482.

E. Translatio B. Viri Joannis à S. Guilelmo, qui é nostris ad Discalceatos transiit, & inter eos ad plurimum quatuor vixit menses, & óbiit Sabbato die 14. Augusti, anno 1621; cujus tamen corpus integrum repertũ est die 15. Januar. ann. 1622, & populo per quindecim dies fuit expositum; & rursus sepultum ibi permansit usque ad annum 1626, in quo die 14. Februarii translatum est ad cænobium Battignanense, ubi plurimis claret prodigiis. Refert N. Fr. Josephus à D. Antonio Lusitanus tom. 3. Flore SS. die 14. Augusti, dum de eodem Ven. Joanne fol. 300.

QUINTO DECIMO KALENDAS MARTIJ.

XV.

A. Vascône Vocontiorum tránsitus S. Quinidii ejusdem civitâtis Episcopi, qui ad illam cathedram regendam, ob virtutis, & scientiæ suavissimos odores ex mónacho Lerinensi, & S. Siffredi disciplina assumptus est; & cum vitam in terris ágeret cæléstem, innúmeris cæli charismatibus decoratus, in cælum coronandus migravit hac die, & post defunctionem plurimis coruscavit miráculis. *B.* Hiberniæ in civitâte Clemdalochensi natalis S. Berâchii Confessoris, de quo, antequam nascerêtur, S. Patritius plura, & gloriósa prædixit. Vix ad lucem prodiit, lux magna domum circumdans appáruit: & sine lacte in monastério sub cura S. Trégii creatus est, & adolévit. Factus adolescens cum altero Mónacho, Angelo comitante, in fines Lagéniæ, & civitâtis Clemdolochensis, perrexit, ubi in monastério S. Coemini vitam egit sanctissimam, sic, ut ejusdem cænóbii præsul fieret. Plurimis claruit miráculis, & plures liberavit Energúmenos; donec messe virtutum expléta, illam, morte óbita, ad hórrea cæléstia deportavit. *C.* In Provincia Waleriæ tránsitus S. Severi Confessoris, de quo S. Gregorius Primus nomine testatur,

quod fuſis ad Deum precibus, & lachrymis defunctum ad vitam rurſus mirabiliter revocavêrit. *D.* Burgi à *S.* Sepulchro, civitâte in ditione Florentina, depoſitio B. Angeli Confeſſoris, qui in arbore Auguſtiniana dulces virtútum prótulit racemos; fuit enim vir profundiſſimæ humilitâtis, & ita paupertâtis amâtor, ut in proprio cubiculo nihil habúerit. In abſtinentia fuit mirabilis, erga B. Mariam Virginem devotiſſimus; unde mirabilem contraxit pudicitiam: fuit coævus S. Nicolai de Tolentino, & illi ſimillimus. Plúrimis cláruit miráculis; donec tantis chariſmátibus gloriôſus, Virgo deceſſit, & ejus corpus integrum, & odorſferum in cænobio Burgenſi ſancti Sepulcri conſervatur. *E.* Romæ tranſitus Ven. Auguſtini Cornetáni, viri non ſolum in doctrina, ſed etiam in Religiône præclári, qui, poſtquam totíus Ordinis Vicarius Generâlis electus eſſet a Xiſto quinto, poſt aliquot menſes ſénio, & meritis cumulâtus, piè hac diè deceſſit; ſepultuſque jacet in cænobio Romano.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM QUINTUM FEBRUARIJ.

A. S. Quinidius ex mónacho Lerinenſi, & diſcipulatu S. Siffrédi creâtus eſt Epiſcopus Valconenſis, & miráculis clarus óbiit hac die anno 678. De illo agunt Andreas Sauſſai in Martyrologio Gallico, & Bollandus in Actis SS. hac die. Noſtris adnumero S. Quinidium, quia ex Lerinenſi cænobio aſſumptus eſt, quod juxta probabiliorem ſententiam Auguſtinianum à principio ſervavit inſtitutum. Dicent tamen nonnulli, non ita eſſe, quia S. Aigulphus, qui ſub idem tempus, ſcilicet ab anno 651. uſque ad annum 664. flóruit in monaſterio Lerinenſi, fuit Ordinis S. Benedicti: ergo etiam S. Quinidius erit ejuſdem Ordinis, ut pote qui óbiit anno 678, ſex annis poſt óbitum S. Aigulphi; & ſic ſine fundamento illum inter noſtros adnumero. Huic argumento reſpondet N. Herrera tom. 1. Alphab. dum de S. Aigulpho fol. 4. Cenſent nonnulli Aigulphum, & ſocios, ut pote Lerinenſes, fuiſſe Auguſtinianos. Ego potius exiſtimarem Aigulphum monachum Floracenſem Ordinis Benedictini alumnum, non reliquiſſe ſui Ordinis profeſſionem, ſed potius illam paternalibus conſiliis, & Abbatiali authoritate in Lerinenſe monaſterium invexiſſe. Eo enim tempore complura in Occidente monaſteria, relictis antiquis inſtitutis, Benedicto nomen dabant: & acta hujus ſancti Abbatis ſatis indicant, eum, & ſodales tempore martyrii fuiſſe Benedictinos. Cæterum licet Auguſtiniana Eremus Aigulphum inter ſuos numeráre non poſſit, jure tamen optimo, ſi domus Lerinenſis fuit Auguſtiniana, ut non improbaliter á quibusdam adſtruitur, ſuis Eremitis adnumerâbit Aigulphi ſocios, qui ex Auguſtini monachatu ad Benedicti Caſtra tranſmigraverint. Videatur idem Herrer. tom. 2. Alphab. tom. 2. fol. 26. dum de Lerinenſi monaſterio.

D. S. Beráchius in Hibernia natus eſt, & in monaſterio S. Coemini ſub Auguſtiniana familia cláruit plúrimis miráculis; fecit enim in hyeme arbores progemmaſcere, ut ægrotantem levarent: duodeviginti defunctos ad vitam revocavit: monachum ſuum á latronibus occiſum ad vitam reduxit, & latrónes furtum ferentes, immobiliter ſtantes, furto relicto, abíre fecit. Plura monaſteria ſanctis legibus cõmunívit. Erat vultu pulcherrimus, ſermône éloquens, ſuavis, devôtus, rectus, patiens, religiôſus, rigidus, & manſuêtus. Obiit ſancte hac die anno 600. De illo agunt plures cum Bollando in Actis SS. hac die, & N. Jacob Font in Viridario ſanctorum Ordinis, afferens illum fuiſſe noſtri Ordinis, ut conſtat ex vita ipſius, & ex vita N. S. Columbani, cujus fuerat diſcipulus, ſcripta á S. Adamanno Abbate lib. 1. cap. 19, & poſtea conſtabit ex vita S. Coemini ponenda die 3. Junii.

C. S. Sevêrus floruit in Provincia Waléríæ circa annum 530, & ſepultus eſt in cænobio Meifelt, quod certe erat Auguſtiniani inſtituti; nondum ibi exiſtebat S. Benedicti Religio. De illo agunt D. Gregor. & Bollandus in Actis SS. hac die.

D. B. Angelus de Burgo á S. Sepulcro flóruit tempore S. Nicolai de Tolentino, circa annum 1294, quia omnes dicunt illum

lum fuiſſe S. Nicolai coævum. Cumergo S. Nicolaus eodem tempore floruerit, & obierit anno 1305, dicendum eſt B. Angelum floruiſſe circa annum 1294, non autem 1242, ut alii dicunt, cum S. Nicolaus in lucem prodierit anno 1249, nec etiam anno 1254, cum S. Nicolaus ſolum tres annos implêret ætâtis. Floruit multis miráculis; & ejus imâgo extat in cænobio Perusino cum hoc elogio. B. Angelus á Burgo S. Sepulchri floruit tempore S. Nicolai de Tolentino, & virgo moritur. Addo in mea poteſtâte eſſe imaginem hujus Beati Angeli radiis beatificis coruſcantis cum præclaro elogio. Circa ejus diem certe dubium eſt; N. Fr. Joſephus á D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 437 n. 6 ait, illum obiiſſe in fine Februarii; N. vero Portillo fol. 365 quem ſequor in præſentiarum, de illo mentionem facit hac die. De illo præter citatos agunt NN. Ambroſius Coriolânus, B. Alphonſus Oroſco in Chronicis; Ven. Joannes á S. Guilelmo, Andreas Gelſominius Epiſcopus Aſculanus in ſuo Theſauro, Roman, Herrera in Alphab. tom. 1. fol. 5. Torelli in Centur. 2. cap. 31. fol. 165, & in Sæculis tom. 5. anno 1306 fol. 266, ubi ait floruiſſe præcipue in tribus virtutibus, ſcilicet virginitâte, humilitâte, & paupertâte: & affert epitaphium in ejus ſepulchro gravatum: Hic B Angeli de Scarpettis à Burgo S. Sepulchri Ordinis Eremitarum S. Auguſtini corpus jacet, viri ſanctitâte perſpicui, pietâte inſignis, miraculiſque clari, quí anno 1230 virgo in Domino quiêvit. Sed ait Torelli errorem eſſe in anno, quia dicere debebat 1306, ut conſonet cum Epigraphe Peruſina, ubi dicitur floruiſſe tempore S. Nicolai.

E. Ven. Auguſtinus Cornetânus, poſt aliquas Ordinis dignitâtes, aſſumpto ad purpuram Cardinalitiam N. Gregorio Petrochino Generali die 22 Februarii anno 1591 a *Xixto* V, in ejus locum ſuffectus eſt Vicarius Generalis ab eodem Pontifice, tamen ſenio confectus, ſumma cum pietâte morte interceptus eſt hac die anno 1592. De illo agunt NN. Herrera in Alphab. tom. 1. fol. 64, Elſſius in Encom. lit. A. fol. 89.

QUARTO DECIMO KALENDAS MARTIJ.

XVI.

A. In Japponia triumphus glorioſi Chriſti Atletæ Ven. Bartholomæi ab Angelis, qui Urabæ in Japponia miſſionem exercens, ibi á Bárbaris in odium fidei una cum Ven. Alphonſo á Cruce, & Michaêle à Magdaléna Diſcalceatis, ſagittis confoſſus eſt, ſed adhuc ſuperſtes per ſex manſit dies, & hac die in cælum, triumphali donandus láurea, translâtus eſt. *B.* In Inſula S. Thomæ tranſitus eximii Præſulis Gáſparis cognomento Cani, viri zelo, & pietâte inſignis, qui licet ab æmulis gráviter læderetur in fama, tamen omnia patienter ſuſtinuit, & inter oppróbria amplius ſua compáruit innocentia, quæ pie hac die óbiit. *C.* Neápoli in Campania obitus Ven. Alipii á S. Franciſco ex gente Urſina, qui fuit inter Diſcalceatos illibâtus flos: vixit in Religiône ſe nutriens ſolo pane, eoque in módica trium unciarum quantitâte. De eo aſſéritur ſpiritu prophetiæ, & miráculis claruiſſe: fama enim eſt illum in vigilia Viſitatiônis Marianæ in balneis Inſulæ Iſchiæ coram pluribus prædixiſſe, die craſtino recuperatúros ſanitâtem, qui cumque ſacra communiône reficerentur, ſeque etiam liberandum à calculi morbo, quod certe contigit; cum enim devote ſacram ſumpſiſſet Euchariſtiam, vixque ingreſſus eſſet balneum, lapidem ovo gallinæ æquálem in pulveres redactum emîſit foras. Tandem in cænobio Neapolitano S. Mariæ Veritâtis feliciter animam hac die exhalavit, & corpus triduo pópulo extitit expósitum, & peculiári ſarcóphago ſepultum eſt. *D.* Hiſpaniæ in Nava Metimnenſi memória Ven. Franciſci de Briones, viri perfectæ oratiônis, in qua in Deum totus abſorbebatur. Cum in cænobium Navæ miſſus eſſet, à longe illud

aspiciens, dixit: hæc requies mea in sæculum sæculi: hanc elegit mihi Dominus, & sic accidit; & óbiit magnæ sanctitâtis relinquens testimónium; corpus ejus post decem annos incorruptum repertum est, & cum quidam de pópulo corpus deosculatûrus accéderet, ut devotióni satisfaceret, dentibus digitum abscidit, & contínuo, quasi de vivo corpore, copiosûs emanávit sanguis, & prodigium authoritâte Ordinarii comprobátum est: & corpus ex Ecclesia Parochiali, unde depositum fuit, in Ecclesiam Augustinianam translatum est. *E.* Galliæ in oppido Nantes depositio Ven. Elisabethæ á Sanctissima Trinitate, Monialis Ursulinæ, & nostri Ordinis adminus Mantellatæ, quæ in Religióne vixit mirábili simplicitâte, & á ténerís Deo servíre decrêvit; fuit valde húmilis, ultimum sibi locum exoptans, super nudam tabulam omnum capiébat per quatuor, ad plus, horas, has étenim interrumpebat, ut Deum adoraret, frequentius. In oratióne fixa, & immóbilis permanébat. Divino æstuábat amóre, & proximum præcordialiter amabat; solámen, quodcumque foret humanum, abhorrébat; donec interno amóre consumpta, & foris crucifixa, prædicto sui mortis die, & hora, in Domino felici fato quiévit.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM SEXTUM FEBRUARIJ.

A Ven. Bartholomæus ab Angelis Lusitanus natus est in Algarbiæ regno, & in Indias Occidentales profectus, ibi inter Discalceátos susceptus est à Ven. P. Alphonso à Cruce, cum quo pergens in missionem Urábæ, ibi cum ipso V. Alphonso à Cruce, & V. Michaele à Magdalena, de quibus egimus 9 hujus mensis, lanceis confossus est in portu S. Annæ, sed adhuc superstes aliis duobus permanens, die tamen 16 hujus, anno 1633. ad martyrii coronam evolavit, ætatis 42. Agunt de illo NN. Ludovicus de Jesu in 2 p. Histor. Discalceat. Herrer. tom. 1. Alphab. lit. A. dum de Ven. Alphonso à Cruce fol. 35; Torelli Centur. 6 cap. 86 fol. 747. Elss. in Encom. Arpe die 16 Februarii in Diario SS. fol. 88, Josephus à D. Antonio tom. 1. Flor. SS. fol. 486, & alii cum Jorda tom. 3. fol. 110.

B. Ven Gaspar Canus natus est in Lusitania in oppido Villaviçosano, ubi professus est die 7 Junii anno 1524: erat benignus, & móribus innocens, & laudabilis: ob quæ anno 1554 creatus est Episcopus Insulæ S. Thomæ à Rege Joanne Tertio; ubi monasterium Ordinis suis sumptibus fundavit, & tempore Provincialátus D. Fr. Augustini de Jesu in cænobio Scalabitano, anno 1571, Ordini dedit plures terras, & domos, quas in Insula S. Thomæ possidebat, & quatuor mille aureos illi debitos, ut in dicta Insula fundarêtur cænobium. Et licet in Episcopatu multis læderêtur opprobriis, tamen innocens declaratus est à Cardinali Rege Henrico, ut constat ex scriptis in Archivio Lixbonensi servatis. Tandem súma cum pietâte óbiit hac die anno 1575, & corpus ejus translatum est ad cænobium Villaviçosanum, ubi ejus exuviæ in cornu Epistolæ aræ maiôris quiescunt. Agunt de illo NN. Purific. in Chronic. p. 2. fol. 208, & de Viris illustrib. fol. 40. c. 29, & in Chronol. Monastica die 16. Februar. fol. 32; Herrer. in Alphab. lit. G. fol. 303; Pamphil. Leal in m. s. fol. 10. in lib. lit. C, Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 94; Torelli tom. 8. anno 1554. n. 4. fol. 364, & anno 1572. n. 10, & 12. fol. 562; & tandem Agiologium Lusitanum hac die fol. 447, tom. 1. & 452. littera E, ubi allegat NN. Roman. Gratian. & Critanam in suis operibus.

C. Ven. Alipius à S. Francisco Panormi ortus est ann. 1591; parentes habuit Petrum, & Antoniam ex nobilissima gente Ursinorum, exqua nuper Pontificatum tenuit Benedictus XIII. Inter Discalceatos est admissus Panormi in cænobio S. Gregorii, ubi professus est die 25. Decembris ann. 1614 ætat. 19, & statim virtûtis semitam est amplexus; flóruit obedientia, humilitâte, & patientia. A' prælatis véniam obtinuit, ut in cibis abstinentiam servâret, & sic duntaxat quotidie reficiebâtur pane trium unciarum: crebras méruit à B. Virgine visiones; erat enim erga illam devotissimus;

votissimus; eaſdem étiam ab Angelis hábuit frequentius. Prodigium relatum in balneo accidit anno 1616. die 2. Julii. Obedientia ductus digitum indicem ad flammam applicuit, & illo, tanquam cereo, accenſo, prælatum illuminâvit. De illo plura referuntur prodigia. Turcam ad fidem reduxit pacto, ut manus ſuper ignem impónerent, & fides illius bona eſſet, cujus manus illæſa manêret: Turca impósuit, ſed manſit combuſtus, impoſuit diu, & impûne, Alipius, quo Turca confûſus, reductus eſt. Cum juxta mare cum duobus PP. Theatinis incéderet, & vidiſſent in pélago piſces curſitantes, à ſociis rogâtus eſt, ut piſces edúceret: ille ſimpliciter obédiit, & duos eduxit piſces prægrandes; qui obſtupefacti prodigio, dixerunt, ut rurſus alios ad cibi ſufficientiam edúceret: ille autem quæſîvit, quot vellent, & totidem eduxit. In oratione plures paſſus eſt exraſes: cordium ſecreta penetrâbat. Tan innúmeris virtútibus, & prodigiis gloriôſus, virgo, ut créditur, óbiit Neápoli in cænóbio S. Mariæ Veritâtis die 16. Februar. ann. 1618, & per dies 4. pópulo pátuit inſepultus, & quátuor per vices hábitu novo eſt indûtus, hábitus enim á pópulo in reliquias ſecâbatur tali concurſu, & murmure, ut concionâtor ejuſdem Fr. Cipria-nus à S. Maria Magdalena prædicâre non poſſet. Corpus ejus calórem ſervâbat naturalem, & colorem: digiti manuum, & pedum, tanquam ſi viventis eſſent, movebantur. Poſt mortem multis claruit prodigiis, quorum nonnulla refert Fr. Joannes Bartholomæus Luſtro 6. ann. 1618. fol. 108. n. 5. De illo ait P. Antêrus Maria Diſcalceatus ſuper Acta Apoſt. c. 6. fol. 110.: Ven. Fr. Alipius à S. Franciſco Cléricus Panormitanus, Urſini Sanguinis decus, ſuæ Religiôuis ornamentum, abſtinentiæ ſpéculum, quippe cui trium unciarum panis fruſtulum quotidiana victus rátio erat. Obedientiæ mérito piſces, aveſque obſequentes hábuit: defectum lúminis accenſo digito mirabiliter ſupplêvit. Sanitátem ſibi, & aliis Deíparæ Virginis interventu impetrandam prædixit, & obtinuit. Dénique ſolûtus córpore, ſpiritu cælos pétiit multitudine ad eum flexibiliter effúſa, ideoque ſanctitatis opinionem ei conciliante. Deceſſit Neapoli 16. Februar. anno 1618. Præter citatos ex NN. de illo agunt Herrer. in Alphab. tom. 1. fol. 32, Torelli Centur. 6. c. 53. fol. 704. Elſſius in Encom. lit. A. Portillo tom. 1. fol. 36. Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 125, Joſephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 488.

D. Ven. Franciſcus de Briones in Matritenſi cænobio S. Philippi profeſſus eſt die 16. Februarii: vir fuit perfectæ orationis, & in Deum totus abſorptus. In Navam Metimnenſem miſſus, ut ſurgenti præeſſet monaſterio, ibi óbiit magna ſanctitáte clarus, circa annum 1600; & poſt decem annos corpus ejus inventum eſt incorruptum, & ſanguinem emittens, ac ſi vita fruerêtur. De illo agunt. NN. Herrer. tom. 1. Alph. fol. 232, Elſſius in Encomiaſtic. Torelli in Centur. 6. cap. 8. fol. 651.

E. Ven. Eliſabeth à Sanctiſſima Trinitâte, monialis fuit ex Urſulinis in Reformatione Gallica Nantes, ubi vixit, & óbiit, relinquens raræ ſanctitatis opiniônem, hac die anno 1659. De illa ágitur in Hiſtoria Urſulin. fol. 67.

TERTIO DECIMO KALENDAS MARTIJ.

XVII.

A. In Scótia tranſitus S. Finâni Epiſcopi Lindisfarnenſis, & Confeſſôris, qui à téneris virtutum ſemitam eſt ſecûtus, & mundi blandimenta deſpiciens, ad S. Columbanum perrexit, qui in inſula Hy, vel Hu morabatur; & cum S. Columbano dotes egregiæ Finani eſſent patefactæ, illum in monachum lubenter admiſit, ſub cujus diſciplina máxime profêcit in vita religioſa, obſervantia, & pœnitentia, donec communi voto electus eſt Epiſcopus Lindisfanenſis,

fanensis, ubi verbum Dei maximo cum fructu disseminâvit, & plures convertit ad fidem, inter quos fuit Peada Rex Angliæ cum plúribus sui regni; obquæ mêruit nomine Apostoli Anglorum honorari. Tandem post plura egregiè facta, felici fato, hac die decessit. *B.* Hiberniæ natâlis S Fintani Confessoris, qui à primæva ætâte cláruit prodigiis, & sub S. Columba mónachus factus, in cænobio Cluain-Ednech angelicam vitam duxit. Abbas sui monasterii factus, maximo cum suorum profectu munus exercuit: donec, prophetia illustris, & miráculis clarus, ad réquiem volâvit sempiternam hac die, & inter cælestium choros in cælum ánima ejus visa est ascéndere. *C.* Lepti Magnæ apud Mauros triumphus gloriôsus B. viri Alipii à S. Josepho Lucensis Discalceati, qui, dum in Neapolim pergeret, à Mauris captus est, & licet inter eos captus, à fide aberraret, tamen in se reversus, Turcarum dogma medullitus abóminans, regulum ádiit; & eum acriter arguens, & dogma Mahometanum detestans, ossium confractionem passus est, & pró fide vitam prodégit post dira tormenta, cujus corpus in flumen præcipitatum, iterum barbari lapidárunt hac die; & post illius óbitum Mauri testati sunt per tres noctes continuas tres faces vidisse accensas eo in loco, ubi martyrium passus est. *D.* Barchinône in cænóbio Augustiniano óbitus Ven. Josephi Carréres, viri doctrina, & sanctitâte celeberrimi: qui, cum esset doctissimus, electus est Rector Academiæ de Perpinan, ubi prudentiæ suæ fulgores patefécit. Post plures Ordinis dignitátes, ferens patientia summa gravis infirmitatis dolores, nihil aliud proferens nisi: si Deus ita vult, fiat ejus voluntas, hac die sancte obdormîvit in Dómino. *E* Génuæ in cænobio Ordinis depositio Ven. Margaritæ Romatiæ Virginis, & Mantellatæ, quæ à teneris Deo suam dicavit virginitatem, & ádeo purúm servâuit spiritum, ut, suo confessario post ejus óbitum teste, numquam se se lethali crimine temeráverit. Dies transíbat, vel orando, vel mânibus laborando. Cláruit obedientia, & charitâte: nam ad Xenodochia fœminárum frequenter cum áliis devótis fœminis pergens, ægrotis inserviebat. Tandem sanctitâtis fama illustris, religiosíssima morte évivis excessit hac die, sepultaque est in nostro monastério. *F.* Galliæ in Reformatióne Ursulinarum Tarasci transitus Ven. Mariæ Berenguier, quæ invitis parente, & fratribus, & ipso dæmone illam terrente, monialis facta est; ubi post professionem stúdio perfectiónis se trádidit, dicens, se dici non posse religiosam, si in omni témpore se oratióni non daret; in qua frequenter in misericordia, & amóre Dei meditabatur; unde exhausit contra suummet corpus ódium, summam obedientiam, & observantiam singulárem. In hyeme ignem fugiébat, & in lectulo uno tantum tegumento, & obsoleto utebatur; & calceis ádeo scissis ambulabat, ut pedes per humum portaret: vere autem multis vestibus se tegébat: annum per integrum sextis feriis, & sabbatis potum non suscépit, & de hac pœnitentia á superioribus prohibita est. Rebus humanis mortua videbatur; nam, cum ejus parens persecutionem gravem paterétur, de nihilo questa est; & cum parentis domus non procul esset á cænobio, & illa esset portária, nec quomodo esset, inquirébat: &, cum fratres sui ad portariam cænobii accéderent, ad illos rie, aut colloqui renuébat. Claruit patientia, nam sæpe à prælata graviter coram áliis reprehensa, nec verbum pro sua promébat innocentia. Tandem fluxu sanguinis labórans, & jam morti proxima, ter hæc verba repétiit: Veni Chara mors bella mors, per te Deo meo æternaliter fruar: & ille hoc mihi concédet per mérita suæ passionis: & cum in hoc die officium non posset divinum recitáre, petiit à prælata sibi commutári; quæ illi injunxit, ut quínquies dulce Jesu nomen repéteret, quo finito, fixis in Crucifixum oculis, illa, quæ vocabatur filia orationis, & mortificationis, summa cum pace hac die expiravit. *G.* In oppido Vistæ-Alegre in Diœcesi Compostellana, & in cænobio S. Christophori transitus Ven. Joannæ à S. Michaéle monialis, quæ ibidem de se raræ dedit sanctitâtis specimen; ibidem votum fecit vitandi etiam venialia cum advertentia. Fuit in oratióne frequentíssima; unde à Deo plures suscépit favores. Summa cum prudentia cænobium gubernavit: sed láteris crudeli dolóre gravâta, véluti somno suavíssimo sopîta, animam efflavit hac die, & postea, ejus aperto sarcophago, odor exinde suavíssimus egressus est.

COM.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM SEPTIMUM FEBRUARIJ.

A. S. Finanus Episcopus Lindisfarnensis in Scotia natus est é nobilissima prosapia, à téneris de suo Episcopio futuro vaticinatus est, & extunc in omni virtútum génere promicuit. Ad S. Columbam in Scotiam perréxit, de quo 9 Junii agendum est, sub cujus disciplina maxime profécit; donec defuncto N. S. Aydano Episcopo Lindisfarnensi, de quo 31 Augusti, in ejus locum suffectus est, ubi suis prædicationibus plures ad Christum convertit, & innúmeris méritis coruscans, in pace quiêvit hac die, anno reparatæ salûtis 661. De illô agunt Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, Usserius fol. 919, qui ait, SS. Aydanum, Finanum, & Colmanum ad Benedictinos nullatenus pertinêre, sed ad S. Columbam, qui S. Patritii institutum in cœnobio Huensi introduxit; é quo cœnobio omnia Hiberniæ, & Albaniæ exiêre monasterio. Idem asserit N. Jayme Font in Viridario SS. hac die fol. 535.

B S. Fintanus Abbas in Hibernia flóruit sub S. Columba, qui miraculis clarus hac die óbijt, anno 595: de quo plura réferunt AA. citati à N. Font, ubi sup. fol. 529, ubi ostendit hunc nostris, non aliis, sanctum pertinêre.

C. B. Vir Alipius à S. Josepho Panormitanus Discalceatus martyrium passus est Lepti apud Mauros die 17 Februar. anno 1645; de quo plura narrant NN. Modestus à SS. Sacramento in vita ipsius Venetiis impressa anno 1646, Mauritius à Matre Dei ibidem, Torelli Centur. 6. cap. 99. fol. 764, Anterus Maria in Actis Apostolorum cap. 5. fol. 97. v. 34. Jornnes Bartholomæus lustro 11 á fol. 342 usque ad 364. Arpe in Diario SS. hac die fol. 90. Herrer. Elss. Josephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. à fol. 391 usque ad 435. Portillo tom. 1. fol. 369. & plures ex exteris. De illo agit P. Bernardes 3. tom. Floréstæ fol. 8, tametsi illius, & finem, et nomem ignoret.

D. Ven. Josephus Carreres natus est Barchinône ex Baldiri Carreres, & Cæcilia, in cœnobio ejusdem civitâtis hábitu indûtus, ibídem professus est die 15 Augusti anno 1629: in scientiis fuit versatissimus, lector fuit primárius in Academia de Perpinan, in qua fuit Rector electus: post aliquas Ordinis dignitátes, Barchinône óbiit sanctissime hac die 17 Februarii anno 1682. Scripsit librum Indulgentiarum, & miraculorum corrigiæ impressum Barchinône anno 1677. De illo agit N. Jorda tom. 3. Hist. Catalauniæ lib. 2. cap. 18 fol. 411.

E. Ven. Margarîtta Romátia Ordinis Mantellâta Génuæ flóruit, magna sanctitâte, & ita óbiit hac die anno 1649 ætat. 35, sepultaque extat in nostro cœnobio Genuensi. Agit de illa P. Antêrus Maria super Acta Apostolorum cap. 5. fol. 92.

F. Ven. Maria Berenguier Ursulina Tarasci, ubi floruit, óbiit magna cum opiniône sanctitâtis die 17 Februarii anno 1650. Agitur de illa in Chron. Ursulin. p. 3. fol. 50.

G. Ven. Joanna á S. Michâele, de qua fertur, quod cúpiens matrimonium contrahere, & de Sponso sui digno cogitâret ante imaginem Christi, Ecce homo repræsentantem; ab illius ore hæc audîvit: cur Joanna fatigâris? In me solo omnia, quæ desideras, invenies. Illa dictis obstupefacta, dixit: Dómine, quid me vis facere? Ad hæc Dominus: Ego disponam, quæ volo: Et sic bréviter inter moniales admissa est, ubi multos á cælo accipiens favóres, plena bonis opéribus, hac die, piè decessit anno 1658: post aliquot annos ejus aperto sarcóphago cælicus odor emânavit. De illa agit N. Villerinus tom. 2. Solaris August. lib. 20. tract. 2. fol. 54.

DUO-

DUODECIMO KALENDAS MARTIJ.

XVIII.

A Toleti in Hispania transitus. S. Helladii Episcopi, & Confessôris, qui prius in monasterio Agaliensi monachâtum exércuit; ubi mirabili sanctitâte vixit; dum post Aurasium Sedis Toletanæ régimen est adeptus, in quo múnere piis operibus inhærens, & præcipue eleemósynis erga pauperes, quos ita fovébat, teste S. Ildefonso, ac si de illius stomacho putasset inopum ad artus descendere, & viscera confoveri: qui ultimo suæ vitæ tempore Ildefonsum ejusdem cænobij mónachum levitam fecit. Tandem, temporibus Sisebuthi, Suintilani, & exordii Sisenandi Regum, bona senectûte ad súperos, unus ut illorum esset, vocâtus est. *B.* In Anglia natâlis S. Colmani Episcopi, & Confessoris, qui monachatum amplexus in Huyensi monasterio sub S. Columba, post óbitum *S.* Finani Episcopi Lindisfarnensis, ejusdem Sedis Episcopus creatus est; sed múnere à se abdicato, in Eremum secessit, ubi ædificato monasterio, nomine Mayo, sanctis opéribus cumulâtus, obdormivit hac die in Domino. *C.* Viepachii in Germania depositio Ven. Maurítii de Tertiis Parmensis, qui fuerat Lombardiæ proles inclyta, ibi enim fuerat Vicarius Generâlis, quod munus etiam exercuit in Provincia Reni, & Sueviæ, Germaniæ, & Polóniæ, has inter, & tot dignitates, fuit religiósus præditus magna prudentia, vita exemplari, & sanctis moribus, & multis virtutibus, ex quibus, ut in cælum ascénderet hac die, gradus fecit. *D.* In Provincia Peruntina memoria Ven. Joannis Ramires, qui ex Hispania ad illam profectus, ibidem Apostólico plenus spiritu, multum in messe evangelica profêcit, non solum verbo, sed etiam exemplo; etat enim integerrimæ vitæ, mitis, tácitus, pátiens, humilis, compátiens, & pænitens; donec multis pro Deo exanthlatis Labóribus, receptis piè Sacramentis, & genuflexus orans ánimam suam suo trádidit Creatori. *E.* Hispaniæ in cænobio Eybarensi pretiósa mors Ven. Hieronymæ ab Incarnatióne ibídem moniâlis, quæ, post sæculi nuptias, cæléstí Sponso dicâta, illi in cunctis studuit placêre, ornans sese gemmis pretiosioribus virtútum: in illis enim sese, dum vixit, exercuit; præcipue pænitentia, charitâte erga omnes, & humilitâte; sed gravi morbo, quem patientissime tolerâvit, correpta, per plures agonizans horas, tandem pronuntians, se mori firmam in fide Jesu Christi, somnum sanctorum ingressa est hac die. *F.* Segorbii in cænobio S. Martini Ven. Annæ à Sanctissima Trinitâte, quæ, adhuc in sæculo exístens, viam mandatorum Christi virtutibus exornata currebat; & post plures ætâtis annos visa est à quodam Religioso ex Discalceatis Minoritis in látere Christi, & ex illo suæ plagæ liquorem ebíbere, & Dominus adjêcit, Annam sibi nimis gratam esse, & velle illam fieri mónacham in prædicto cænobio, quo scito monachæ, antea invitæ, mox spontaneæ, illam in sociam susceperê; & statim cæpit coruscâre obedientia, humilitâte, patientia, oratióne, charitâte. Plura à dæmónibus tormenta est perpessa, illam enim ictibus, pugnis, & verbéribus lædebant. Cláruit spiritu prophetiæ. Erga ánimas Purgatorii fuit valde devôta; omnia, quæ póterat, pro illis offerêbat suffragia, & animæ frequentius illi, tanquam sui refugio, apparebant. Tandem annis, & méritis plena, hac die, post longam infirmitatem, in pace quiêvit. *G.* Valentiæ in cænobio Præsentatiônis depositio Ven. Ursulæ à Sanctissima Trinitâte, quæ adhuc in domo paterna emísit castitâtis votum, & post quinquaginta annos inter moniales admissa, ibidem raro sanctitâtis exemplo vixit; & gravi vulnere macerâta, morti proxima, omnes summo gaudio amplexa est moniales, táliter, ut confessarius illius diceret: Mater, mihi vidêris ad aliquas nuptias ire, quia tam læta ostênderis. Cui illa: certe vado: vis ne etiam

venîre

venîre! Obiit tandem Ven. Urſula hac die, & poſt mortem lux magna, & inſolita cubiculum ejus implevit; & illius confeſſarius poſt dies non multos etiam é medio ſublâtus eſt. *H.* Almanſæ in Hiſpania in cænobio corporis Chriſti obitus Ven. Florentinæ à S. Clara ibidem moniâlis, quæ in Religióne vixit rara ſanctitâtis exemplo, valde erat orationi intenta, ſolitudine lætabâtur, & ideo à réliquis paſſer ſolitárius vocabâtur. Erat in illa cháritas perfectiſſima, & erga proximos ſumma compaſſio, neminem patientem vidére póterat; & dum eſſet prælata, ne ſubditarum culpas arguére cogerétur, illas, ut poterat, excusâbat: rara cum patientia ſuſtinuit oppróbria, & etiam necem fratri ſuo dilectiſſimo injuſte illátam; & cum aggreſſor ad ſupplicium duceretur, crucifixum apprehendens, pro illo Chriſtum mitiſſime precâta eſt; dicens, tunc, Domine, quid hábeo, quod tibi offerre poſſim, quando pro hoc paupere móriens ſolvere non poſſum? Tandem plena méritis, ſomno véluti dulciſſimo ſopita animam hac die exhalâvit. *I.* In Gallia in Reformatione Urſulinarum Pontois natâlis Ven. Joannæ de Jeſu ibidem ſanctimonialis, in cujus vita plura narrantur mirabília; & hac die innuméris decorâta virtutibus, é terreno ſolûta ergaſtulo ad cæli palátia volâvit. *L.* In Delphinátu in Reformatióne Onouſenſi pretióſa mors Ven. Mariæ à Paſſióne moniâlis, zelo ardentis, & multæ orationis. In memóriam paſſionis Chriſti cunctis Véneris diebus àliquid, Chriſtum patientem imitatura, faciebat. In oratione multas per horas humi per modum crucis proſtrata erat. Ante mortem prope ſe crucem conſpexit argenteam, ex qua viſióne intellexit ſe bréviter moritúram, ut verè accidit, óbiit enim hac die in cænobio Chaumont, relinquens ſuæ virtutis ſuaviſſimum odórem.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM OCTAVUM FEBRUARIJ.

A. S. Helladius Hiſpanus nobiliſſimus, poſtquam in aula Regia aliquandiu inſerviret, in monaſterio Agalienſi monachalem amplexus eſt diſciplinam, ubi poſt annos factus monachorum pater, meritis, ſtudiiſque ſanctis, & vitam monachorum debite rexit, & ſtatum monaſterii totius communis rei divitias cumulavit. Inde jam ſenex avulſus, ad Epiſcopatum Toletanum evectus eſt poſt obitum Auraſii, ubi maiora virtutum exempla, quam monachus, dedit, & erga pauperes charitatis fuit ſingularis: donec annis, & meritis plenus ad ſuperos volavit hac die anno 630. De illo agunt S. Ildefonſus lib. de Viris Illuſtribus c. 7. & de illo recitatur in Eccleſia Toletana, hac, qua obiit, die; & alii plures ex exteris cum Bollando in Actis SS. & N. Jacob Jorda tom. 3. Hiſt. Catalauniæ lib. 1. c. 6. fol. 262. n. 27; ubi ait illum noſtri Ordinis fuiſſe.

Contra hoc tamen ſe ſe opponunt Arnoldus, Menardus, Trithemius, Yepes Benedictini, cum Tamayo 23. Januarii dicentes, ſuo Ordini hoc cænobium Agalienſe ſpectare cum ſuis ſanctis. Quod dicant, non intereſt, quod dicerent, & probarent, neceſſe erat; rem enim non probant dicendo, quod hujus cænobii prælati Abbates vocabantur, & Fratres Monachi: inſuper quia, Marcus Maximus, & alii vocant S. Ildefonſum, qui, ut ipſe ait ubi ſupra, vixit in eodem monaſterio cum S. Helladio, Benedictinum: ergo ſi ita eſt, uterque ſanctus, & omnes alii prælati, & monachi pertinent Benedictinis. Hæc ſunt præcipua in hac re Caſſinenſium fundamenta. Ad quæ reſpondeo, certum eſſe S. Helladium monachum fuiſſe in Agalienſi monaſterio, ut teſtatur ubi ſupr. S. Ildefonſus: & ibi Abbatem fuiſſe, attamen ibi illum Abbatem non vocat, ſed Rectorem, ait enim loco ſupra citato: Vitam monachorum debite rexit: & infra: magna perhibetur rexiſſe diſcretione. Sed dato, quod ita illum appellaret, nil inde concluderent, quia Caſſinenſes falſo putant omnes Abbates ſui Ordinis fuiſſe, cenſent enim hoc nomen ſpeciale ſuis, quod à veritate aberrat, qui ante Caſſinenſes jam in noſtra Religione adhuc in principio Fratres vocabantur Monachi, & prælati Abbates, ut conſtat ex Victore Uticenſi, qui 3. libro agens de SS. Liberato, &c.

ait: Carthagine in Aphrica SS. Martyrum Liberati Abbatis, Bonifacii &c. monachorum, quod martyrium accidit anno 484, ante nativitatem S. Benedicti. Item idem agens de S. Fulgentio, vocat ejus prælatum, ſcilicet, Felicem Abbatem, & parinomine appellant S. Fulgentium: ergo tale nomen proprium non eſt Caſſinenſibus. De quo late agit N. Jorda tom. 1. Hiſtor. Valent. à fol. 60, & tomo 3. hiſt. Catalaun. fol. 255. Ad ſecundum argumentum dicimus, non probare, quia Chronicon Maximi eſt multis erroribus plenum, ut aſſerit Menardus Benedictinus, in concordia Regulæ S. Benedicti tom. 2. in proœmio fol. 63, ſic. Sed ne diſſimulem quidem hoc Chronicon; ut inter legendam animadverti, multa continet abſurda, & S. Maximo prorſus indigna: eſt enim multis erroribus maculatum à quodam nebulone, qui paſſim huic Chronico multa inepta adjecit pro ſua libidine, & ita loquuntur plures AA, ut videre eſt Apud N. Jorda ubi ſupra, ubi cætera videri poſſunt.

B. S. Colmanus in Scotia natus in cœnobio Hueynſi ſub S. Columba monachiſmum amplexus eſt, & poſt mortem S. Finani creatus eſt Epiſcopus Lindisfarnenſis & poſt egregiam vitæ ſanctimoniam hac die in cælum volavit anno 676. De illo agunt N. Jayme Font in Viridario SS. hac die fol. 537, ubi probat illum Auguſtinianum fuiſſe, & Bollandus in Actis SS. hac die, ubi negat SS. Colmanum, & Finanum fuiſſe Benedictinos, ſed fuiſſe S. Columbæ diſcipulos ex verbis S. Vilfredi Eboracenſis Archiepiſcopi, qui ait ſe primum fuiſſe, qui S. Benedicti regulam à Monachis obſervari juſſerit: Videatur Bollandus 17. hujus in vita S. Finani, & 18. in vita S. Colmani.

C. Ven. Mauritius de Tertiis Parmenſis Congregationis Lombardiæ proles inclyta, non ſolum in ſcientiis, Doctor enim fuit égregius, ſed etiam prudentia, exemplo, ſanctis moribus, & multis ornatus fuit virtutibus: & poſtquam in Ordine plures præclare fungeretur dignitates, pie óbiit hac die anno 1594, ætatis 43; ſepultuſque eſt in Eccleſia Monialium Viepachenſium in Colonia ſub Lapide cum elogio glorioſo. De illo agit Bonaventura Angeli Ferrarienſis in Hiſtor. Parmæ fol. 461, & N. Herrera in Alphab. tom. 2. fol. 99.

D. Ven. Joannes Ramires, qui ex Hiſpania in Peruanam profectus eſt Provinciam, ubi poſtquam in meſſe Evangelica fructus germinaſſet glorioſos inter virtutum radios ad cæli aſtra translatus eſt hac die anno 1618, ætatis 80. De illo agit N. Portillo hac die tom. 1. fol. 372.

E. Ven. Hyeronima ab Incarnatione nata eſt in oppido Barco Abulenſi é parentibus nobilibus, quæ poſt Sæculi nuptias, in cœnobio Eybarenſi adſcribi meruit; ubi de ſe raræ ſanctitatis præbuit teſtimonia, donec é mundi, & corporis vinculis ſoluta, hoſtibus animæ glorioſe triumphatis, ad meritorum ſuorum præmia vocata eſt hac die anno 1620. De illa agit N. Viller. tom. 3. lib. 43 fol. 452.

F. Ven. Anna à SS. Trinitate in Gandiæ urbe orta eſt ex Dominico Poſſada, & Eulalia Peligre, quæ in Sæculo adhuc ut ſancta venerata eſt; & cum plures ætatis annos haberet, optavit vehementer inter noſtras Segorbii moniales admitti; ab his tamen paſſa eſt repulſam; verum Chriſto inſpirante cuidam Minoritæ Diſcalceato, ut de ejus curaret ingreſſu; eo agente á Monialibus admiſſa eſt, ubi rara ſanctitâte vixit, & óbiit hac die anno 1646. De illa late agunt NN. Villerin. tom. 3. Solaris Auguſt. lib. 41. tract. 2. §. 5. fol. 239. Jorda tom. 2. in Hiſtor. Valent lib. 5. cap. 21. n. 5. fol. 688.

G. Ven. Urſula à SS. Trinitâte, natalem habuit Hiſpaniæ in Urbe Valentina, & ſibi promeruit parentes Bartholomæum Aprilem, & Angelam Garciam, & cum ætatis annos haberet quinquaginta ſanctimonialis facta eſt in cœnobio Præſentationis Valentiæ, & inter virtutes vitæ feliciter conſummato agone hac die ad cæleſtis Sponſi nuptias properavit anno 1666. De illa meminére NN. Villerin. tom. 2. lib. 18. tract. 2. fol. 42. Jorda tom. 2. lib. 4. Hiſtor. Valentiæ cap. 18. n. 11. fol. 474.

H. Ven. Florentina à S. Clara Almanſæ in lucem prodiit ex Alphonſo Goneſio, & Agatha Sanches, monialium adauxit numerum in cœnobio Corporis Chriſti Almanſæ die 7. Maii anno 1612, & ſe Deo per tria vota deſponſavit die 11 Maii anni 1613, & per virtutum ſemitam iter arripiens, conſummato ſancte vitæ curriculo hac die pie é medio ſublata eſt, anno 1671, ut de ea late narrant NN. Viller. tom. 3. lib. 38. tract. 2. fol. 18. Jorda tom. 2. lib. 5. cap. 10. num. 18. fol. 542.

I. Ven. Joanna de Jeſu monialis Urſulina

sulina in Reformatione Gallica de Pontois; in cujus vita prodigiosa narrantur, cui pluries Christus, & SS. ejus Mater apparuere, & cum inter gloriosa merita vitam traduceret, hac die pie creditur ad superos evolasse anno 1634 ætat. 40. & post mortem Deus per illam miracula operatus est. Agitur de illa in Chronic. Ursulin. Gallico Venetiis impresso anno 1705. à fol. 118 usque ad 151.

L. Ven. Maria Toulos, seu à Passione Ursulina de Laonois in Gallia, ubi cum summa pietâte vixit, & óbiit hac die anno 1662. in cænobio Chaumont ætatis 67, & Religionis 50. De illa agitur ubi supra fol. 244. in Chronico Ursulin.

UNDECIMO KALENDAS MARTIJ.

XIX.

A. In Africa memoria B. Firmi mercatoris Africani, qui, cum diu inter Manichæorum deliramenta vagaretur, audito Sermone S. P. Augustini, ad Christi vera vestigia sequenda conversus est, & inter Augustinianam militiam admissus, firmo pede ducem sequutus, glorioſum à communi hoste triumphum reportavit. *B.* Ulysippone in cænobio Gratiarum obitus Ven. Petri Tellesii Laici, qui plures per annos in Religione vixit cum rara opinione sanctitatis, qui erga B. Virginem Gratiarum erat devotissimus, & ejus confraternitatem summo servens zelo adauxit, & jam annis, & meritis plenus summa cum pietate hac die decessit. *C.* Pamplonæ in Cantabria depositio Ven. Mariæs Martins Virginis, quæ à téneris cæpit amare solitudinem, & mundum despicere, & sic monialis facta in cænobio Renteræ, titulo Sanctissimæ Trinitatis, cæpit ferventius semitam virtutis sequi, sed adhuc optans majorem solitudinem, venia à Pontifice obtenta, in Eremum secessit, & diu vixit in Eremitorio S. Telmi, ubi cubans, & dormiens, quotidie pane, & aqua duntaxat se nutriens, disciplinis se cruentans, & raro exemplo, & modestia vivens, & horribiles dæmonum superans insidias, tanquam Angelus in carne vivebat, quampluribus cæli favoribus ditata. Aliquando se prope plures aspiciens mures hermelinos nimio candore præstantes, obstupefacta à suo quæsiit cælesti Sponso, quid in his significabatur animalibus! A quo scivit, significare animas puras Agni cælestis vestigia sequentes, & illam circumdare, quia illius finis prope erat, & illam in cælum portaturi veniebant. Hoc oraculo audito in suum cænobium reversa, receptis summa cum pietate sacramentis, hac die ad immaculati Agni nuptias volavit. *D.* Morellæ in cænobio Sãctissimæ Trinitatis in regno Valẽtiæ memoria Ven. Ludovicæ à S. Petro ibidẽ monialis, cujus sanctitas apud socias ut miraculum tenebatur; solitudine gaudebat, nam aut in choro, aut in cubiculo, vel recitans, vel orans, vel manibus laborans, morabatur. Neminem in cubiculo admisit: silentio fuit singularis: taliter vixit, ut quasi jam sepulta videretur. Erat mirabiliter affabilis, pacifica, & in humilitate prodigium, in charitate erga omnes miraculum. In oratione adeo fervida, ut quasi de illa dici possent verba M. P. Augustini: Polum penetrabo mente, & desiderio tecum ero. Postquam autem adolescentularum magisterium, & cænobii Priorissam summa cum prudentia expleſſet, felici fato, ut pie creditur, ad requiem volavit sempiternam. *E.* Goæ in cænobio monialium S. Monicæ transitus Ven. Aloysiæ ab Expectatione, sororis Ven. Mariæ à Resurrectione, quæ à parentibus pie enutrita, nimis ad virtutes extitit proclivis, omnia adolescentiæ abhorrens ornamenta; sic religionem insatiabili exoptans desiderio, tandem inter ejusdem cænobii moniales admissa & professa, breviter cumulum virtutis consecuta est: floruit Religionis observantia, & erga Sanctissimum Sacramentum devotione: ad mensuram erga Deum amoris, illi erat illius timor. Cum ergo raro exemplo terram pedibus conculcaret vivens, occumbens in cælum caput intulit, ut creditur,

gloriandum. *F.* Valentiæ in cænobio S. Annæ, oppidi S. Mathæi, memoria Ven. Eliſabethæ Michaelæ monialis converſæ, quæ in obedientiæ, humilitatis, patientiæ, & humilitatis claruit, & cæteris virtutibus. Tali pœnitentia corpus macerabat, ut continuis panis, & aquæ jejuniis uteretur, & ſe ſe crebris angeret diſciplinis, & humo cubans corpori brevem concederet quietem. Tandem inter ſummam paupertatem, & orationem fervidam, ad Deum, cui taliter ancillata eſt, ſubiit coronanda. *G.* Xativæ, regni Valentiæ civitatis, tranſitus Ven. Thomaſiæ Abellæ Ordinis mantellatæ, quæ inſtar veteris Miniceæ, quæ olim N. S. Donatum in Erectione cænobii Servitani adjuvit, ſic iſta reformationem cænobii Servitani monialium, adjuvit, illi omnia ſua bona in teſtamento relinquens: & prius habitum mantellatarum ſuſcipiens, humilitate, charitate, oratione, ſolitudine, & cæteris coruſcans virtutibus, receptis ſumma cum pietate ſacramentis, ad præmium à ſe meritum evolavit.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM NONUM FEBRUARIJ.

A. *B.* Firmus Africanus ex Mercatore infideli cæli mercator factus eſt ſub monachatu Auguſtiniano, unde ſancte vixit, & obiit anno 470. De illo agunt S. P. Auguſtinus in Epiſt. 145, S. Poſſidius in vita ejuſdem S. P. & alii ex noſtris cum Portillo in m. ſ. & Jacobo Font in Viridario SS. Ord. fol. 539, qui duo de B. Firmo agunt in hac die; & alii.

B. Ven. Petrus Telleſius Laicus Luſitanus pie obiit in cænobio Gratiarum hac die, & anno *1697*: hæc retuli, quia illum ſatis cognovi.

C. Ven. Maria Martins, orta eſt in loco dicto Fonte Rabia diœceſis Pamplonenſis: pie educata, monialis facta eſt ibi in cænobio Sanctiſſimæ Trinitatis, ubi inter virtutum ſemitam incedens, exinde indultu apoſtolico egreſſa, anachoretice diu vixit, & tandem cælitus de obitu ſuo præmonita, in cænobium reverſa, ibi ſancte obiit hac die anno 1621. De illa agunt NN. Martinus à S. Simpliciano in Chron. Gallic. fol. 622. Torelli Centur. 6. cap. 60. fol. 712. n. 2, Portillo tom. 1. fol. 382. hac die, Joſephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 490.

D. Ven. Ludovica à S. Petro in lucem prodiit Morellæ, quod eſt regni Valentiæ oppidum, ex Antonio Petro, & Joanna Aleva; habitu monaſtico induta eſt in laudato ſupra cænobio, ubi ſe votis obſtrinxit die 15 Februarii an. 1610, & ibi obiit ſancte menſe Aprili anno 1630. De illa agit N. Jorda tom. 2. Hiſtoriæ Valentiæ fol. 447. De illa jam egi 19 Januar. in quo profeſſa eſt, & per errorem dixi Februarii.

E. Ven. Aloyſia ab Expectatione Goenſis in India, in cænobio S. M. Monicæ pie vixit, & deceſſit hac die anno 1614, ut late refert N. Auguſtinus à S. Maria Diſcalc. in Hiſtor. lib. 4. cap. 15. fol. 22.

F. Ven. Eliſabetha Michaela lucem vidit in oppido de Renicarlo regni Valentiæ, parentes habuit Michaelem Joannem, & Catharinam Michaelam: monialis facta eſt in ſtatu laicali in cænobio S. Annæ in oppido S. Mathæi, & profeſſionem fecit die 19 Februar. an. 1596, & in Religione raræ ſanctitatis præbuit teſtimonia, tam in vita, quam in morte, quam ſubiit anno 1651, ut refert N. Jorda in Hiſtor. Valent. tom. 1. lib. 4. cap. 13. fol. 434. n. 13.

G Ven. Thomaſia Abella nobilis; & ditiſſima virago extitit, & erga noſtrum Ordinem devotiſſima, quæ ſuis largiſſimis adjuvit elemoſynis, præbens ſeptem mille ducatus cænobio Servitano, & habitum mantellataram induens, in ſancta converſatione degens, tandem pie obiit hac die anno 1672. Agit de illa N. Jorda tom. 2. Hiſtor. Valent. lib. 3. cap. 43. fol. 223. num. 2.

DECI-

DECIMO KALENDAS MARTIJ.

XX.

A. In Civitate Palmæ in Insula Malhorquina natalis mirandi, & celebrandi Herois B. Mauritii Proetæ, vulgariter dicti de Ampurias, confessoris, qui á teneris omnium sequens semitam virtutum, exinde cæpit claréscere miraculis, & nostro habitu indutus, rarum de se in sanctimonia præbuit testimonium, & studiis deditus exiit valde litteratus, & in Academia Tolosana Doctor in Theologia creatus est; mox prædicationis munus exercens, multum verbo, & exemplo profecit, taliter, ut vel alter Angelus é cælo missus, vel alter Paulus videretur: Et conversionis animarum desiderio inflammatus, obtenta superiorum venia, in Africam trajecit, ubi Mauris Argelinis, & aliis prædicans Dei Verbum, inter plura opprobria, & labores, innumeros ad Christum convertit. Post aliquot annos inde egrediens, in civitatem Palmæ appulit, ubi in cænobio Ordinis de Succursu aliquando degens, tandem gravi morbo correptus, hac die Sanctissime Spiritum Deo tradidit coronandum, post mortẽ innumeris claruit, & claret miraculis, & quotannis in oppido Castellon de Ampurias ejus solemni pompa festum celebratur: corpus ejus in cænobio Strienſi requiescit. *B.* Lamecæ triumphus gloriosus B. Columbæ Virginis, & martyris, quæ vi é monasterio, cui præerat, educta, grassante Maurorum persecutione, pro Christi fide tempore impii Almansoris, cum subditis gladio jugulata est. *C.* Mediolani memoria B. Vitalis pauperis, qui in Lombardia natus, & sub S. Simpliciano monachismum amplexus, postea M. P. Augustini discipulus factus, ab illo aliis monachis tanquam pauertatis exempium proponebatur. *D.* Fabriani B. Petri confessoris, qui doctrina, & sanctitate clarus, verbo, & exemplo multum in vinea Domini profecit; donec gloriosis meritis cumulatus, ad superos abiit coronandus, sepultusque est in cænobio Fabriani simul cum B. Joanne, ubi ob crebra, & stupenda miracula á populo maxima in veneratione habetur. *E.* In cænobio Ilicetano depositio Ven. Bartholomæi de Ptolomeis, qui in eodem Prior fuerat cænobio, & Romam profectus ad gravissima negotia peragenda, ibi in morbum incidit, & Ilicetum petens, ibi sancte hac die naturæ debito satisfecit. *F.* Alchodii in regno Valentiæ memoria Ven. Antonii Coelho Lusitani Fratris laici, qui é patria egressus, in cænobio Alchodii habitu susceptο, ibidem vixit raro virtutis exemplo; erat enim humilitate profundus, obedientia promptus, castitate cautus, pzupertatis amator, charitate fervidus, patientia mirabilis, oratione continuus, charitate erga pauperes singularis: erga Beatam Virginem claruit devotione. Cum tamen suæ peregrinationis terminus adveniset, vocatus ad rationem á supremo Judice, illam creditur se recte redditurum, quia in hominum memoria suæ reliquit plura testimonia sanctitatis.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM FEBRUARIJ.

A. B. Mauritius de Proeta, usque adeo satis ignotus erat nostris Authoribus, de illo enim brevissima habebatur notitia, taliter, ut de hoc questus noster egregius antiquarius Herrera, dum de illo tom. 2. fol. 62, diceret: Omnia ejus gesta me latent, neque illius nisi solum nomen apud AA. inveni. Provinciæ pulsavi fores, nihil responsum; nihil prælo possumus dare. Dabit forsan alius meliori

tempore

tempore. Hæc ille. Jam duo hoc fecêre, ſic diſponente Altiſſimi Providentia, & hi fuere NN. Jorda tom. 3. Hiſtor. Catalauniæ lib. 3. cap. 4. fol. 425. n. 2. & Jacob. Font in Viridario SS. Ord. hac die fol. 540, ubi de illo lato calamo pertractant. Natus eſt ergo B. Mauritius in oppido Caſtellon de Ampurias in principatu Catalauniæ Diœceſis Gerundenſis: à teneris litteris, & virtutibus operam dedit. Adhuc puer miraculum célebre patravit; nam cum patri ſuo baphicum officium exercenti, ſed ægrotanti, ut tingerentur, plures, ut verſicolores fierent, ducerentur panni, Mauritius in cortina mixtis coloribus pannos incluſit ad tincturam: & quod in principio ſtultitia reputatum eſt, deſiit in miraculo; nam omnes panni ſuo colore habendo exiêre, dealbandus, dealbatus, rubefaciendus, rubefactus, viridandus, viridatus, nigrefaciendus, nigrefactus, & ita de aliis coloribus cum tinctura vivida, vegete, ac ſplendida: quæ res illam videntibus miraculo fuit. Cum jam perfectæ ætatis eſſet, cœnobium S. Mariæ Magdalenæ de Caſtelon petiit, ut in illo admitti poſſet; quod ſummo cum Fratrum gaudio ſuſcepit, & exinde in litteris, & virtutibus raro cum teſtimonto profecit. Toloſates petiit, ubi cum ingenti plauſu Lauream Doctoralem aſſequutus eſt. Mox Dei Verbum ſummo cum fervôre cæpit prædicáre; & fidei zelo ductus Mauritaniam inviſit, ubi plures ad fidem convertit; ſed cum vellet ſe Deo per martyrium, & non poſſet, immolare, inde egreſſus, in Urbem Palmæ regni Malhorquini transfretavit, & ad cœnobium de Succurſu admiſſus, non poſt multos dies à Deo per morbum lethalem viſitatus, animam ſanctiſſime exhalavit die 20 Februarii anno 1546: & poſt mortem innumeris claruit, & claret miraculis, quorum nonnulla laudati referunt AA. De B. Mauritio quotannis feſtum celebratur in patria ſua Caſtelon in cœnobio S. Mariæ Magdalenæ, cui populus magno concurſu intereſt. De B. Mauritio agunt ex NN. præter citatos, Noſter Torelli in Centur. 3. cap. 24. fol. 266, & in Sæculis tom. 8. ad an. 1526 fol. 138. num. 26, & N. Joſeph Maſſot. in Compendio SS. Ord. fol. 187. N. Bernardus Navarro in vita S. Nicolai de Tolentino lib. 1. cap. 5. fol. 27. Elſſius in Encom. Auguſtin. lit. M. ex exteris Doctor Hieronymus Pujades lib. 6. cap. 83. fol. 219 in Hiſtor. Catalaun.

B. B. Columba Virgo, & plures aliæ moniales prope Lamæcam ſub impio Almanſorio pro Chriſti fide interemptæ ſunt circa annum 990: de quibus, tanquam noſtri Ordinis monialibus, agunt NN. Purific. in Chronol. monaſtic. in Appendice Februarii fol. 35, Arpe die 26 Februar. tom. 1. fol. 107. Herr. tom. 1. Alph. fol. 132. citans N. Purific. in Theatro Triumphali Choro 3. & Torelli in Sæculis.

C. B. Vitalis Pauper, ſic dictus; nam cum eſſet pauper grammaticus, Mediolani invenit crumenam ducentis ſcutis oneratam: illius dominum indagavit: qui tandem apparuit: cui omnia crumenæ ſigna referenti dixit Vitalis: accipe crumenam, tua namque eſt. Dominus volens Vitali gratum ſeſe oſtendere, dixit, ſume tibi decimam ſcutorum, id eſt 20, partem: Vitalis autem nihil voluit accipere; rurſus Dominus: ſume tibi decem ſcuta, eo quia illorum fueras cuſtos fideliſſimus: abnuit Vitalis dicens, ſe cogi alienis parcere, & illa omnia ſuo Domino reſtituere. Reſtitit Dominus dicens; adminus tibi quinque ſcuta ſuſcipe, Vitalis propoſiti tenax, nil voluit accipere: quare ſtomachatus crumenæ Dominus, dixit: nec ego crumenam accipiam, & illam longius a ſeſe expulit. ex quo B. Vitalis conſtantia rara dignoſcitur: nam licet pauper eſſet Scholaſticus, aliena ſibi noluit accipere. Hac re célebris cœnobium S. Simpliciani ingreſſus, ibi raro ſplenduit ſanctitatis exemplo, taliter, ut eum S. P. Auguſtinus aliis Fratribus proponeret in exemplum. Obiit tandem ſanctitate clarus circa annum 420. Agit de illo N. Portillo tom. 1. fol. 390 hac die; & N. Leal in Catalog. SS. m. ſ. etiam hac die.

D. B. Petrus de Fabriano ibidem natus eſt ex nobili familia de Bechetis, exqua olim prodiit S. Thomas Cantuarienſis in Anglia; patriam, & Ordinem ſanctitate, & miraculis illuſtravit. Ultima de illo notitia habetur in hac die. Obiit Fabriani circa annum 1421, teſte Herrera in Alph. tom. 2. fol. 245, licet alii dicant obiiſſe circa annum 1370. Corpus ejus tumulatum extat cum corpore B. Joannis, & à populo magna veneratione colitur, ut circa ſepulcrum plura teſtantur miracula. De illo agunt NN. Herr. ubi upr. Torelli in Centur. 3. cap. 59. fol. 299, & in Sæculis tom. 6. fol. 517. Coriolanus, Pamphil. Elſſius, & alii plures.

E. Ven.

E. Ven. Bartholomæus de Ptolomæis Senensis, qui fuit cænobii Ilicetani Prior, & vir præstantissimus, qui é Roma discedens ibi ab omnibus lacrymatus pie decessit hac die anno 1470 Refer N. Illustriss. Ambros. Landucci in Sylva Ilicet fol.27.

F. Ven. Antonius Coelho Lusitanus natus est Portugalliæ in oppido de Pombal ex parentibus Antonio Coelho, & Philippa Gomezia. Adhuc juvenis ad Virginem de Monserrate uisitandam perrexit voti causa, ex hinc oppidum Alchodii invisens, nostrum cænobium ingressus, ejus religionem miratus, ibi recipi postulavit; quod est adeptus in staru Laicali, & anno tyrocinii expleto, professionem emisit die 20. Februarii anno 1610, & vivens inter rara virtutis testimonia, pie decessit in eodem eænobio anno 1648: ut refert. N. Jorda tom. 2. hist. Valent. cap. 29. fol. 128.

NONO KALENDAS MARTIJ.

XXI.

A. In Africa memoria S. Sitifensæ monialis, quæ à barbaris Wandalis rapta est é monasterio, & dum in illorum domibus detenta esset, & multis opprobriis, & injuriis tractaretur, Deus, illius injuriam ulturus, immisit super barbaros plura supplicia, sed meritis hujus S. Monialis, Deus manum é suppliciis levavit: quo viso à barbaris, rursus eadem monasterio est suo restituta, ubi vixit, & obiit sanctissime. *B.* Apud Treviros in cænobio Vallis Magnæ triumphus glorioſus S. Germani martyris, qui diu sub disciplina S. Romarici vixit vigiliis, jejuniis, pœnitentiis, oratione, humilitate, & sui contemptu. Ex hoc cænobio in Luxovienſe transiit, & inde in cænobium Vallis magnæ, ubi præpositus creatus est à S. Waldeberto, & post aliquot annos cum Randoaldo socio Lancea Confossus, martyrio coronatus est; quorum corpora in Basilica S. Ursicini, & ordinis monasterio, quod S. Germanus ædificaverat, collocata sunt & corrigiæ, illorum inter reliquias cænobii repositæ sunt. *C.* In Italia obitus Ven. Simonis à Cruce, qui Neapoli habitu nostro indutus est in Congregatione Carbonaria, sed maiori zelo accensus, in observantiam Discalceatorum Italiæ transiit, ubi verbo, & exemplo plures ad meliorem frugem convertit peccatores; donec felici fato correptus, hac die ad sanctorum consortium transiit coronandus. *D.* Romæ in cænobio Discalceatorum glorioſa in cœlum transmigratio Ven. Josephi à S. Calixto Fratris Laici, qui inter rara exempla obedientiæ, & patientiæ degens, promeruit hac die, ut pie creditur, æternaliter coronari. *E.* Valentiæ in cænobio SS. Trinitatis oppidi Morellæ memoria Ven. Josephæ Sanches monialis, quæ à Religionis ingressu cæpit inter asperas pœnitentias vitam ducere. In oratione plures consumebat horas; floruit charitate, humilitate, & patientia. Postquam autem officia Magistræ adolescentularum, & Prioriſſæ prudenter expleſſet, gravi infirmitate correpta, & pie Christi verba repetens consummatum est, animam exhalavit. *F.* Alcyræ in cænobio S. Luciæ regni Valentini Ven. Cæciliæ Seguræ ibidem monialis, cujus vita prodigioſis extitit ornata virtutibus, præcipue humilitate, charitate, pœnitentia; abstinentia, duntaxat panis frustulis ficcis, & aliis monialibus restantibus vescebatur, & suam portionem quotidianam pauperibus ministrabat: somnum in hyeme in Cathedra capiebat in æstate in humo frigida, ubi tam brevem capiebat somnum, ut nocte plures per horas orationem protraheret. Tantis ergo virtutibus illustrata naturæ debitum satisfecit, & ut pie vixit, sic pie obiit. *G.* Ulyssippone celebris, & festiva processio Sacrati Brachii S. Joannis à S. Facundo, quod cum collocatum esset in cænobio S. Dominici, exinde pompa in effabili deductum est ad cænobium Gratiarum.

COM-

COMMENTARIA

AD VIGESSIMUM PRIMUM FEBRUARIJ.

A. S. Sitifenſa monialis fuit in Aphrica, ubi à Barbaris rapta, ſed iterum ſuo cœnobio reſtituta, ibidem ſancte obiit circa annum 426. De illa agit menſiomem S. P. Auguſt. in Epiſt. 122, & N. Portillo hac die in tomo 1. SS. fol. 391.

B. S. Germanus martyr Treveris natus eſt é familia Senatoria, pater enim illius erat Optardus; alios duos fratres habuit, ſcilicet Optamarum, & Numerianum, de quo agendum eſt die 5. Junii: mundo terga dedit; & dividens ingens per pauperes patrimonium, ſeptemdecim ætatis annos habens, ſub S. Romarico Auſtraſiæ Comite, & monacho Auguſtiniano, de quo 8 Decemb. monachiſmum amplexus eſt, cui poſtea adhæſit etiam Numerianus, & alii. Hic egregiis Germanus floruit virtutibus. Poſtea cum B. Chuano cœnobium Luxovienſe petiit, ubi tunc præerat S. Waldebertus, de quo 11. Maij: hinc fundato cœnobio Grandis Vallis, illius Abbas electus eſt. Poſt annos aliquot ſimul Randoaldo etiam monacho lancea ab impio impulſa interfecti ſunt: & cum à ſuis Fratribus quærerentur, ita reperti ſunt, & illorum corrigias ſumma cum reverentia ſervarunt. Accidit hoc martyrium circa annum 700. hac die. Agunt de his martyribus plures AA; præcipue Bollandus in Actis SS. hac die, & N. Jacob Font in Viridario SS. hac die fol. 547. Quod autem fuerint SS. Germanus, & alii citati noſtri Ordinis, patet, quia S. Romarici fuerant diſcipuli, qui noſtri Ordinis communiter vocatur Eremita, ut videndum eſt.

C. Ven. Simon à Cruce, qui ex noſtris tranſiit ad Diſcalceatos; hac die agit de illo N. Auguſtinus Arpe in Diario SS. fol. 98, citans Luſtra Diſcalceatorum; ubi tamen dicitur illum obiiſſe poſt aliquas dignitates in cœnobio Reſinæ die 11. Februarii anno 1629: ut ait Fr. Joannes Bartholomæus Luſtro 8. fol. 255. n. 107. cum autem mihi certe non conſtet, quis certius loquatur, ideo etiam jam de illo 11. Februarii actum eſt.

D. Ven. Joſephus à S. Calixto oriundus in terra Guzani Diœceſis Novarienſis, inter Diſcalceatos Provinciæ Romanæ profeſſus eſt die 16. Oct. ann. 1631, & in Religione dedit illuſtria ſuæ obedientiæ, & patientiæ exempla in ſtatu Laicali; obiit tandem pie die 21. Februar. ann. 1632, ſepultuſque jacet in cœnobio Romano S. Antonio. Ita refert Joannes Bartholomæus Luſtro 9. n. 5. fol. 299.

E. Ven Joſepha Sanches ad Lucem prodiit in Loco Morellæ regni Valentiæ, parentes habuit Gaſparem Sanches, & Catharinam Falionem, monialis facta eſt in cœnobio Sanctiſſimæ Trinitatis in ſua patria, ubi profeſſionem emiſit die 21. Februar. anno 1610, ubi ſatis virtutibus illuſtris, caducam vitam amiſit, ut cæleſtem inchoaret anno 1633. Agit de illa N. Jorda tom. 2. hiſtor. Valent. lib. 4. c. 14. fol. 447. n. 11.

F. Ven. Cæcilia Segura. Aleyræ in regno Valentiæ nata, parentes habuit Hieronymum Segura, & Catharinam Ximenam, ibi in cœnobio S. Luciæ profeſſionem emiſit die 21. Februar. anno 1614, ubi raram oſtendens ſanctimoniam, vixit, & obiit valde illuſtris anno 1678. Refert Jorda ubi ſupr. tom. 2. lib. 4. c. 8. num. 8. fol. 302.

G. Proceſſio Brachii S. Joannis à S. Facundo hac die Ulyſſippone facta eſt anno 1604. tempore Provincialatus nobiliſſimi P. Fr. Antonii à Reſurrectione, cujus induſtria miſſo ad Salmanticam P. Fr. Bartholomæo de Aſevedo, hic tam nobile S. Joannis Pignus adeptus eſt à Ven. P. Mag. Auguſtino Antolines tunc Provinciali, & poſtea Archipræſule Compoſtellano die 21. December 1603; quod pignus Ulyſſipponem ſacravit 1. Januar. ann. 1604, & præſentatis omnibus D. Michaeli de Caſtro Archipræſuli, feſtis diſpoſitis, die 15. Januarii, maximo cum triumpho malum in platea nova erectum eſt, & in vexillo Ordinis inſignia apparebant, & in malo ad certamen poeticum varia dicteria confixa ſunt. Archipræſul diem Proceſſionis feſtivum fecit, & à Vice-Rege D. Alphonſo de Caſtelbranco deſtinati ſunt omnes

juſtitiæ

justitiæ ministri, ut Processioni interessent: senatus omnes Processionis vias ornari præcepit. Vesperi mirabilis ignis machina insonuit, & fons vinum perenne fundens patuit volenti, & nocte ignem evomuit in atrio cænobii Gratiarum; & igni huic celeberrimo duo montes scilicet D. Nostræ de Monte, & Castelli æqualiter respondebant igne, buccinis, Lituis, tympanis, & crepitaculis. Die altera, scilicet 21. Februar. quæ incidit in Dominica sexagessimæ, exiit solemnissima Processio é cænobio S. Dominici cum omnibus Religiosorum communitatibus, portans singulares, & pretiosissimas figuras, currus triumphales, omnium scientiarum, & virtutum figuras in sanctis ordinis repræsentatas, simul in Patriarchis, & Prophetis; unde in processione repræsentabatur hymnus: Iste confessor: Interim Urbis Cymbala, & omnes in Tago navem sonitum mirabilem tribuere: In processione mirabiles saliebant Chorcæ, & omnia musicæ instrumenta. Per viam scutariorũ, aurariorũ, & novã usque ad Cathedralem processio devenit, inde ad cænobium Gratiarum magno, & incredibili deducta est concursu: & ita hic continuavit per octo dies, ubi quotidie festum solemne cum sermone habitum est, & in die ultimo solemnissima facta est processio, cui adfuit Archipræsul, Vice-Rex, quo S. Joannis festum solemniter concluſum est. Refert Petrus de Maris in vita S. Joannis à S. Facundo, Agiolog. Lusit. 12. Junii fol. 657, & N. Leal in m. s. ad Chronic. fol. 50.

OCTAVO KALENDAS MARTIJ.

XXII.

A. In Africa memoria B. Sebastiani monachi, & discipuli S. P. Augustini fatis noti à SS. Alipio & Paulino. *B.* In Religio juxta Sylvam Zoniacam inventio corporum BB. Henrici Segheri, & Gerardi Ridder nondum sacris initiati, martyrum, qui cum pro Christi fide ad finem Januarii trucidarentur, hac die inventi sunt, & illorum pignora honorifice sepulta sunt in choro municipii Duys borchensis. *C.* Siciliæ in cœnobio S. Salvatoris de Tusa obitus B. Christi Confessoris Salvatoris, qui in eodem cœnobio mirabili degit sanctimonia, & regulæ observantia. In pœnitentia flóruit singulari; semper enim induſia Lanea usus est, & subtus cicilium asperrimum ad carnis radicem portavit, & ferreis se se catenis oneravit; lectulo pauperrimo somnum capiebat, per bis septem annos nudis pedibus incessit: erga pauperes charitate flagravit, pro illis enim non erubuit mendicare. Pluribus claruit prodigiis; puerum enim jam mortis unguibus existentem ad vitam vocavit; impositione manuum quodlibet vulnus curabat; juvenem inter barbaros detentum. B. Virginis ope implorata, é diutina captivitate liberavit: oculum amissum puero restituit. Tandem tantis meritis, & miraculis glorioſus ad æternam requiem volavit hac die, sepultusque est in eodem cœnobio; & post mortem innumeris claret miraculis; postque sexennium corpus ejus inventum est incorruptum. *D.* In cœnobio Peruano D. Nostræ de Prato obitus Ven. Hyeronimæ à Matre Dei ibidem monialis, quæ à teneris solitudinis, & Religionis ardebat desiderio, sed à parentibus coacta duplici matrimonio copulata est, abhoc autem soluta, monialis facta est in cœnobio Pratensi in Peruana Provincia, ubi angelicam duxit vitam exercere, & de virtute ascendere in virtutem; in abstinentia fuit mirabilis, se se enim herbis pascebat amarissimis, in pœnitentia singularis, ad carnis radicem cingebatur ciliciis, & lamina aspera, & tunica setis equinis contexta: totas per noctes bis crudeliter se disciplinis verberabat; & per illas orationem protrahebat; & in illa plures à Deo susceptit favores: claruit humilitate, obedientia, paupertate, charitate: plura à dæmonibus perpessa, & à fœcibus vitæ purgata hac die ad superos volavit. *E.* In Gallia in reformatione de Abeville Ursulinarum depositio Ven. Joannæ Gardemonialis, quæ ferme tempus per omne orationi vacabat,

cabat, & in illa pluribus eſt ditata favoribus: cum autem mirabili vitam duceret ſanctitate, poſt ſeptem Religionis, & profeſſionis annos, ſumma cum pietate deceſſit; & poſt ejus obitum ſupra illius ſepulcrum luces apparêre ſæpius viſæ ſunt, & nonnulla per illam Deus opperatus eſt prodigia.

COMMENTARIA

AD DIEM VICESSIMUM SECUNDUM FEBRUARIJ.

A. B. Sebaſtianus Africanus diſcipulus fuit S. P. Auguſtini, & floruit circa annum 430, & magno in pretio hábitus eſt à SS. Auguſtino, ut conſtat ex ejus Epiſtola 145. Alipio, Paulino, & Therasia. De illo agunt NN. Elſſius in Encomiſtico lit. S, Portillo in m. ſ. & Jacob. Font in Viridario SS. hac die fol. 552; & alii.

B. B. Gerardus Ridder Clericus, & Henricus Zegherus laicus in Belgio juxta Sylvam Zoniacam ad finem Januarii anno 1587 trucidati ſunt: ſed hac die eorum corpora inventa ſunt, & ſepulta in choro Eccleſiæ municipii Duysborchenſis. De illis agunt Maigretius in Surculis Sacris cap. 24, Cruſen. in Monaſtico Auguſtiniano fol. 217; Herrer. tom. 1. Alphab. lit. G. fol. 290, Portillo tom. 1. die 30 Januar. Arpe die 22 Februar. in ſua Diario tom. 1. fol. 100, Elſſius in Encomiſt; Joſephus à D. Antonio tom. 1. Floris SS. die 30 Januar. fol. 305.

C. B. Vir Salvator de Tuſa in eodem cœnobio mirabilis in ſanctitate, & prodigiis extitit, & obiit de ſe clara reliquens teſtimonia anno 1618; ut referunt NN. Herrera tom. 2. Alphab. lit. S. fol. 386. Torelli Centur. 6. cap. 51. fol. 702, Elſſius in Encomiaſt. lit. S. Portillo hac die, tom. 1. fol. 392, & alii.

D. Ven. Hieronyma à Matre Dei monialis extitit in cœnobio Pratenſi Peruano, & obiit die 22 Februarii anno 1653, ut teſtantur NN. Cyprianus Herrera in Prologo vitæ S. Toribii; Portillo ubi ſupr. fol. 395. hac die, Villerin. tom. 3. lib. 35. fol. 111.

E. Ven. Joanna Garde monialis Urſulina Reformationes Abeville in Gallia, ubi anno 1618. ingreſſa eſt, & degens mirabili ſanctitate obiit hac die anno 1627; & poſt mortem claruit multis miraculis, ut refertur in Hiſtor. Gallica Urſulinarum 3. p. fol. 84.

SEPTIMO KALENDAS MARTIJ.

XXIII.

A. Hac die memoria B. Dorothæi à S. Germano confeſſoris mirabilis ſanctitatis viri de quo ejus ætas plura nobis ſcitu digna occultavit. *B.* In oppido vitigudinho Diœceſis Salmantinæ obitus Ven. Mariæ à Viſitatione monialis in cœnobio S. Toribii, ubi in omnibus claruit virtutibus, & adeo honores Religionis pertæſa erat, ut, cum ſupprioriſſa cœnobii eligeretur, morbo lethali ægrotaverit, & paulo poſt ſumma cum pietate hac die deceſſit. *C.* Tolentini in Piceno prodigium, quod D. Nicolaus de Tolentino operatus eſt hac die, nam ejus imago marmorea ſupra ejuſdem tumulum exiſtens, guttatim ſanguine manare cæpit; ſentiens, & fortaſſe indicans occaſum Eugenii Papæ Quarti, qui cum ſolemniter in ſacris diptychis collocarat, & qui hac die é vivis ſublatus eſt. *D.* Salmanticæ, in Hiſpania profeſſio *B.* Viri Didaci à Turre Fratris Laici, tempore B. Joannis Hiſpalenſis.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM TERTIUM FEBRUARIJ.

A. B. Dorotheus à S. Germano Ordinem ſuis virtutibus illuſtravit: eſt tamen incertum tempus, quo floruit, Marquez ait floruiſſe tempore unionis circa annum 1156, Cruſenius autem ait floruiſſe circa annum 1300: ideo de illo agens N. Delcampo in Cathalogo SS. Hiſpali impreſſo anno 1624 non aſſignat tempus. De illo tamen agunt Herrer. in Alphab. tom. 1. fol. 189. Torelli in Centur. 2. cap. 10. fol. 147, Elſſius in Encomiaſtico lit. D. & alii. His tamen addo in mea poteſtate eſſe hujus B. Viri imaginem in charta depictam cum radiis, & elogio præclaro.

B. Ven. Maria à Viſitatione orta in oppido Perenna in Caſtella; parentes habuit Joannem de Miranda, & Mariam Sirguero, monialis facta eſt in cœnobio S. Toribii de Vitigudinho, ubi ſancte obiit hac die anno 1661; cujus mater adeo S. P. Auguſtini devota fuit, ut cum illam, & alterum filium ad pectus lacte nutriret, ſemper ad Deum hæc verba daret: Domine, in tuo nomine has tuas nutrio creaturas, orans, ut illas Ordinis S. Auguſtini facias alumnas. Agit de illa N. Villerin. tom. 1. Solaris Auguſtin. lib. 8. tract. unico fol. 366.

C De ſudore S. Nicolai de Tolentino referunt N. Illuſtriſſimus Joſephus Sicardus in vita S. Nicolai, & Joannes Bonifacius Bagata Theatinus tom. 2. de Admiranda Orbis Chriſtiani lib. 5. cap. 2. §. 8, dicens: antequam é vita diſcederet Eugenius Quartus, qui ſanctum Nicolaum de Tolentino Sanctorum Cathalogo adſcripſit, imago ejuſdem ſancti viſa eſt ſudare, lacrymaſque emittere. Hæc ille: hoc accidit hac die, & anno 1447, in quo, teſte N. Onuphrio, obiit Eugenius Quartus.

D. Profeſſio B. Didaci à Turre Laici accidit hac die anno 1505 tempore B. Joannis Hiſpalenſis Priores cœnobii Salmantini. De illo iterum agendum erit die 27 Decemb. in quo die hic B. Vir in cælum translatus eſt, & hac die de illo agit N. Portillo tom. 1. fol. 399.

SEXTO KALENDAS MARTIJ.

XXIV.

A. Prope Granatam celebris fidei triumphus nactus à BB. Viris Joanne Munox, priore Xereſii, Franciſco de Aguilar, & altero ſocio, qui itinere à Mauris crudeliter interempti ſunt; quorum corpora poſt triginta dies ſine ulla corruptione reperta, in cœnobio Granatenſi ſolemniter tumulata ſunt, Miſſam celebrante Ven. Franciſco de Caſtro Verde Auguſtiniano, & ſermonem habente D. Fr. Laurentio de Figueiroa Epiſcopo ſeguntino, qui eos non ſemel martyres fuiſſe aſſeruit. B. In Provincia Peruana pretioſa mors Ven. Emmanuelis Mudarræ Fratris Laici, qui poſt varios fortunæ caſus in Indiis ad portum Religionis pervenit, ubi de ſe gratum Deo obtulit ſacrificium, Deus enim illius ſe conſtituit magiſtrum, & illius docuit manus ad prælium, quod & fecit Virgo Sanctiſſima, & talibus magiſtris, dictu non facile eſt, quantum in virtutibus profecerit; fuit in obedientia mirabilis, in pœnitentia rigidus, in oratione aſſiduus, in charitate mirandus, & præcipue erga Purgatorii animas, quas, quantum poterat, adjuvabat, & illæ illi gratæ apparebant; ut fuere illius Soror Bernarda Peres, & ſocius Fr. Andreas Contoral.

ral. Tantis tandem méritis, & aliis exornatus hac die felici fato ad ſuperos coronandus volavit. *C.* Valentiæ in Hiſpania in oppido cantavieja depoſitio Ven. Franciſci Clementis, qui poſt profeſſionem é Religione aufugiens, & per orbem vagus larvata facie cæpit in theatris perſonare, donec Ciracuſis repræſentans comædiam de converſione S. P. Auguſtini, adeo compunctus eſt, ut ſtatim, veluti cervus ſitibundus in Religionem redierit, unde ſuæ vitæ talis ſuit mutatio, ut obſtupefacti omnes dicerent: hæc mutatio dexteræ excelſi eſt. In oratione erat aſſiduus, diſciplinis, & jejuniis aſperrimus, in ſomno breviſſimus, erga pauperes charitate mirabilis; humo genuflexus quaſi perenniter videbatur, & ſic totum officium recitabat. Suis concionibus fructus fecit incredibiles; & cum aliquando prædicaret, breviter ſe retulit moriturum, & ſic hac die ſumma cum pietate deceſſit, & poſt ſeptem annos ejus corpus apparuit in corrumptum. *D.* Hiſpaniæ in oppido Gijon non longe ab urbe Salmantina natalis Ven. Chriſti famulæ Beatricis Mariæ, quæ in fundatione hujus cœnobii valde laboravit exemplo, erat enim in choro aſſidua, in obſervantiæ zelo mirabilis, otii hoſtis in fatigabilis, in patientia indicibilis. Cum autem ætatis annos attingeret octoginta, in feſto S. Mathiæ, cujus devotione flagrabat, ſingulari pace é medio ſublata eſt, & poſt mortem adeo pulchra facie apparuit, ut cæleſtem oſtenderit palmam meruiſſe. *E.* Malhorquii in cœnobio Monialium conſolationis tranſitus Ven. Joannæ Craſpi monialis converſæ, quæ in Religione magnis, & mirabilibus claruit virtutibus, claruit enim oratione, pœnitentia, humilitate, ſilentio, & obedientia: otio indixit bellum, quod ſibi é labore ſupererat, tempus vel orans, vel recitans, conſumebat. In modeſtia Angelus videbatur: nil dixit, nil fecit, quod à puritate foret alienum. Inpatientia fuit præ cæteris virtutibus ſingularis; licet enim per annos triginta in lectulo membris capta eſſet, hoc taliter perpeſſa eſt, ut nec queſtum, nec gemitum proferret de malo. His tantis ornata virtutibus, cælo, ſoloque mirabilis, é ſolo in cælum migravit hac die coronanda.

COMMENTARIA.

AD VIGESSIMUM QUARTUM FEBRUARIJ.

A. BB. Joannes Munos, & Franciſcus de Aguilar cum altero ſocio juxta Granatam ab impiis ſicariis in odium fidei interempti ſunt anno 1579; quorum corpora inventa magnum de ſe odorem exhalabant, & maximo cum honore ſunt tumulata in cœnobio Granatenſi. Eorum imagines extant depictæ in cœnobio Salmanticenſi martyrii Lauream indicantes. De illis agunt NN. Herrer. in Alphab. tom. 1. lit. F. fol. 231, & lit. S. fol. 405, Torelli Centur. 5. c. 58. fol. 586, Elſſ. in Encomiaſt. lit. I. Portillo tom. primo hac die, fol. 402; & alii, cum Leal in m. l. & Hiſt. Salmant. fol. 765.

B. Ven. Emmanuel Mudarra Toleti natus eſt: adoleſcens in Indias profectus poſt varia fortunæ diſcrimina, é quibus ope divina liberatus eſt, Religionem ingreſſus, ibi maxime in virtutibus profecit magiſtris Chriſto, & ejus Matre SS. donec ad cumulum ſanctitatis perveniens, illam intulit in cælis coronandum hac die ann. 1637. Plura de illo referunt NN. Bernardus de Torres tom. 2. Hiſtoriæ Peruanæ, Portillo tom. primo hac die; fol. 404; Joſephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 498.

C. Ven. Franciſcus Clemens Valentiæ natus eſt ex Aſcenſio Clemente, & Joanna Rodericia, habitum induit in cœnobio Valentino, & profeſſionem emiſit 26. Aug. 1619. In ſtudiis exiit Theologus, ſcriptuarius, poeta. Rhetoricus, & in linguis Latina, Græca, Hebraica, & Chaldaica peritiſſimus: ſed à dæmone inſtigatus à Religionis clauſtris ſit procul, hiſtrionis officium perorbem lervata facie exercere cæpit. Cæſarauguſtæ tamen repræſentans comædiam converſionis S. P. Auguſtini, & repetens illa verba: Tolle, lage &c. repente mutatus, lacrimis ſe fudit obortis, & ſurgens, tanquam ovis perdita, ad Religionis ovile iit præpes, unde veluti Saulus in Paulum mutatus, craſtris cæpit magno cum fervore prædicare: in cubiculo

ſe

se se claudebat, vel studiis, vel oratione occupatus: noctu in choro orationi vacabat, & se se disciplinis cruentis macerabat, vitæ præteritæ plorans insolentiam, vix enim somno per duas horas tradebatur. In charitate erga pauperes claruit. Ante obitum, illum prædixit prædicando. Obiit tandem Cantaviejæ die 24. Februar. ann. 1663, sepultusque est in illius parochia, & post septennium inventum est corpus ejus incorruptum. Refert omnia N. Jorda tom. 1. histor. Valent. lib. 2. c. 24. fol. 370.

D. Ven. Beatrix Maria in Urbe Burgensi vidit lucem, monialis facta est Valisoleti in cœnobio Incarnationis: ex quo ad plures assumpta est fundationes, tandem stetit in fundatione Gijon, ubi sancte vivens, sancte obiit hac die anno Domini 1688 ætat. & post obitum pulcherrima permansit. Refert Villerin. tom. 2. Solaris August. lib. 32. Additione 12. fol. 486.

E. Ven. Joanna Craspi in cœnobio Monialium Malhorqui titulo consolationis sub conversæ habitu professa est die 11. Februarii anno 1614, unde pie obiit hac die anno 1693, ætatis 83. Religionis 52. Agit de illa N. Jorda tom. 3. histor. Malhorq. lib. 1. c. 10. fol. 489.

SEXTO KALENDAS MARTIJ.

XXV.

A. In Hispania in monasterio S. Petri in Monte natalis B. Valerii Eremitæ discipuli S. Fructuosi Archipræsulis Bracharensis; cujus vitam conscripsit *B.* Lusitaniæ in cœnobio Villaviçosano transitus Ven. Bernardi Ohiguini Hiberni, & Episcæphi Elphinensis, ubi ab hæreticorum furore expulsus, in Lusitaniam pergens, in eodem cœnobio, omnibus virtutibus vitam duxit curuscantem; fulsit enim silentio, jejunio, oratione, & humilitate, donec tantis clarus virtutibus, ad superos, ut pie creditur, hac die translatus est. *C.* Ulyssippone transitus Ven. Emmanuelis à Conceptione, é nobili prosapia natus, qui in monachum attonsus in cœnobio Gratiarum, cum per aliquos annos in Ordine scientia, & virtutibus coruscaret, regali ope suffultus, Discalceatorum in hoc regno author fuit, & cum inde valde verbo, & exemplo prælucéret, plux meritis, quam annis, plenus, hac die pie obdormivit in Domino. *D.* Genuæ obitus Ven. Francisci Mariæ, qui Romæ inter Discalceatos habitum suscepit, & exinde cœpit omnibus clarére virtutibus, solitudinem amabat, humilitatem ostendit, colloquia abhorrébat; parum cum hominibus loquebatur, & cum Deo, de Deo; & ad Deum semper: erga B. Virginem, & D. Catharinam devotione inflammabatur. Tandem biennio infirmitatem perpessus, meritis plenus hac die pie decessit. *E.* In Hispania in cœnobio Orihuelæ memoria Ven. Hieronymi de Alcorisa, qui adolescens jam factus ibidem Deo per tria vota sacratus est, & cœpit exinde litteris, & virtutibus singularibus promicáre. Desiderio ardens animarum in Indias cum aliis profectus est, ubi suis concionibus innumeros ad fidem reduxit; & plenus tanta messe operum, & virtutum, cum illa adhorreum cœleste à summo hujus areæ terrestris cultore vocatus est. *F.* Pironæ Translatio S. Fursæi Abbatis, & Confessoris, à Sanctis Episcopis Eligio Novionensi, & ausberto Cameracensi facta quarto anno ab illius depositione; cujus corpus repertum est incorruptum, & infra aram maiorem maximo cum honore collocatum est, hubi usque ad præsens innumeris claret miraculis.

COM-

COMMENTARIA

AD VIGESSIMUM QUINTUM FEBRUARIJ

A. B. Valerius Eremita floruit circa annum 646. in monasterio S. Petri in Monte fundato à S. Fructuoso Archipræsule Bracharensi, de quo agendum est 16. Aprilis sub cujus disciplina vixit, & illius res gestas conscripsit. Quod autem S. Valerius fuerit Augustinianus, satis patebit, dum de S. Fructuoso præallegato. De illo agunt plures cum Tamayo in Martyrol. Hispan. & Acta SS. hac die in prætermissis fol. 485. In ejus sepulcro legitur hæc inscriptio Lionina.

In hoc cæmeterii jacet loco insigne valerii
Corpus, humo datum, sed anima ad astra volatum,
Assumpsit sancta; nam sufficit gloria tanta
Nostro huic Rupiano cænobio Petri montano.
Implebit sepulcri cavas venerabilis Abbas.
Ære septingentena tribus additis ad tricena,
Mense Februario, die, quo minus in Kalendario
Si pene perpendas, numeratus quanto Kalendas
Sequentis mensis, anno octavo Egicanensis.

B. Ven. Bernardus Ohiguinus Hibernus, in patria nostro habitu indutus est, & cum in Religione præclarum in litteris & virtutibus se se ostenderet, anno 1542 à N. Cardinali Hieronymo Seripando, tunc Ordinis Generali, creatus est, sui, in Hibernia Vicarius Generalis, & eodem anno die 5 Maii in actis consistorialibus per mortem D. Bernardi Ydonaill, fit à Paulo III. Episcopus Elphinensis in Ibernia: sed cum ab hæreticis á sua patria, & sede exulare cogeretur, in Hispaniam perrexit, & Lusitaniam petens, in hac Provincia benigne acceptus, in cænobio Villaviçosano usque ad obitum vixit non parva sanctitatis fama, taliter, ut illum N. Petrus Delcampo in Cathalogo SS. Ordinis Hispali impresso anno *1624* lit. B. inter Beatos numeret. Obiit ergo die 25 Februarii anno *1563*. De illo agunt NN. Illustris. Alexius de Menezes in Vit. SS. hujus Provinciæ fol. 38, Purific. in Chron. p. 2. fol. 207, & de Viris Illustr. lib. 1. cap. 21 fol. 25; & in Chronol. monastic. lib. 2. fol 155; Roman. in Centur. an. 1563, Critan. de Viris Illustrib. fol. 217, Pamphil. in Chron.

In signis fueras, & eris laudandus in ævum,
Dum solem aspiciat terra, poluſque solum.
Reginæ confessor eras, illaque favente
Fundator fueras Ordinis ipse tui.
Per Fratres eris ergo tuos laudatus ubique:
Laudandus Genitor, qui bonus extat, erit.

fol. *121*, Herrer. in Alphab. tom. 1. fol. *108*, Torelli in Sæculis tom. 8 ad an. *1563*. n. 18. fol. 445, Elssius in Encom. lit. B. Leal in m. s. lib. lit. C. fol. 68. Ex exteris Petrus Calvus Dominican. in lacrymis justorum p. 2. cap. 12 fol. 68, & Georgius Cardoso in Agiol. Lusit. hac die tom. 1. fol. 517; & alii plures.

C. Ven. Emmanuel à Conceptine Ulyssippone natus est ex nobili Petro Poeyros, & nostro indutus habitu, professionem emisit in cænobio Gratiarum die 4. Januar. anno 1642 sed anno 1654 cæpit fundationem Discalceatorum in Portugallia, ope Reginæ D. Aloysiæ conjugis Joannis Quarti, secum deferens excalceatis præclaros in scientia, & Religione Heróas; donec suam bene fundans, & firmans Congregationem, inter clara suæ Religionis, & virtutis testimonia, hac die obiit in pace anno *1682*, ætatis 55, & Religionis 40. Hæc omnia didici ex variis mihi notitiis concessis, plura de eo in medium proferent Discalceati: ideo de illo aliquando ceceni.

D. Ven.

D. Ven. Franciſcus Maria Genuenſis Romæ inter Diſcalceatos profeſſus eſt die 15 Auguſti an. 1606, in cænobio S. Nicolai, Genuæ obiit hac die 1623 poſt 16 annos in Religione ſancte peractos. De illo agit N. Joan. Bartholomæus Luſtr. 7 fol. 201 num. 23.

E. Ven. Hieronymus Alcorila in Hiſpania in urbe Orihulenſi natus eſt ex Franciſco Alcoriſa, & Joanna Gonçalves; in cænobio patriæ ſub Auguſtini, vexillo profeſſus eſt die 25 Februar. an. 1598: in Religione raro cum ſanctitatis vixit exemplo. Fuit etiam in litteris, & prædicatione egregius. In Indis, ad quos perrexit, ſuis concionibus valde profecit, multos enim ad frugem reduxit meliorem; donec meritis conſummatus, é mundi ergaſtulo ad cæli palatia vocatus eſt anno 1640: ignoratur tamen dies, quo obiit, & ideo illum in die profeſſionis appoſui. De illo late agit N. Jorda tom. 2. Hiſtor. Valentiæ lib. 3. cap. 55 fol. 151, & Bartholomæus Aguerra in lib. Illuſtrium virorum Orihuelæ.

F. Translatio S. Furſæi Abbatis, & conf. facta eſt hac die anno quarto poſt ejus obitum à SS. Epiſcopis Eligio, & Auſberto, circa annum 658. De illa agunt Sauſſai in Martyrolog. Gallico, & Bollandus in Actis SS. hac die in prætermiſſis.

QUINTO KALENDAS MARTIJ.

XXVI.

A. In Hiſpania tranſitus S. Victoris confeſſoris, qui inter Eremitas degens, de ſe omnium exemplar præbuit virtutum; floruit enim ſilentio, abſtinentia, patientia, & humilitate: in caſtitate veteri Joſepho ſimilis ſatis fuit; in charitate erga pauperes fuit alter Abraham: ſupra dæmonios mirabile exercuit imperium; in oratione erat aſſiduus, ob quæ pluries meruit Dominum, velut jam comprehenſor foret conſpicere. Claruit innumeris prodigiis. Suis precibus fontem vini in beneficium ſui populi fecit é manare. Plura ſpiritu prophetico prædixit. Cum tantis ergo eſſet méritis exornatus, ad ſanctorum hac die conſortium vocatus eſt anno 459. Corpus ejus poſtea translatum eſt ad cænobium Aremarenſe Ordinis ciſterſienſis, ubi de illo officium celebratur hac die. De illo agunt D. Bernardus tom. 1. fol. 88, Marcus Maximus an. 459, Tamay tom. 1 fol. 275, ex NN. Torelli tom. 2. an. 459 fol. 358, & Jacob Font in Viridario SS. Ord. hac die fol. 567, ubi probant noſtris ſpectare. *B.* Apud Indos natalis Ven. Alphonſi de Alvarado, qui ex Hiſpania profectus ibi adeo in virtutum exemplis profecit, ut omnibus admirationi eſſet: in charitate erga ægrotos fulſit mirabiliter: ſuis concionibus plures ad fidem reduxit: in pœnitentiis fuit aſperrimus, in abſtinentia mirabilis, in honorum contemptu glorioſus, Provincialatus enim munus, quod raro cum exemplo exercuit, ſuſcepit coactus: tempore, quod ſibi ſupererat, orationi vacabat, vel nocte, vel die: Erga SS. Sacramentum devotione claruit; donec virtutibus glorioſis plenus, ad illarum præmium volavit. *C.* Ulyſſipone in cænobio Gratiarum natales Ven. Alphonſi de Alhoſvedros Fratris Laici, dono lacrymarum, orationis fervore, mentis candore, ac animi humilitate ſingularis, quem populus tali venerabatur obſequio, ut illum per plateas euntem pueri turmatim occurrentes, ſanctum proclamarent, corrigiam, habitum manuſque ejus certatim oſculantes. Tandem ſenio confectus perenniter in cellula detinebatur, de quo interrogatus reſpondebat, id facere, ut parietes illos ob Dei amorem cuſtodiret. Obiit tandem inter nimia ſuorum deſideria cum ſumma pietate. *D.* In oppido S. Mathæi regni Valentiæ tranſitus Ven. Marcellæ Borras monialis S. Annæ, ubi Religionis obſervantia, oratione, & pœnitentia floruit, triduo enim in hebdomada, ſe pane, & aqua reficiebat: adeo cultos divini zelo arſit, ut omnes ſuos reditus in illius perfectionem conſummeret, & plura ſuis ſumptibus utenſilia offerret

ferret pretioſa; donec tantis meritis cumulata, ad illum, qui benefacta reſpicit, & coronat in cælis, hac die, ſuſceptis pie ſacramentis, volavit. *E.* Hac die Elevatio corporis S. Ansberti Epiſcopi, ut in monaſterium Fontanellæ, unde monachale amplexus eſt inſtitutum, transferretur,

COMMENTARIA

AD VIGESSIMUM SEXTUM FEBRUARIJ.

A. S. Victor confeſſor in Bethica natus eſt in territorio urbis antiquæ Arecenæ, mundo terga vertens, habitum Auguſtinianum aſſumpſit in cœnobiis Ordinis in Bethica fundatis à N. S. Leporio Epiſcopo uticenſi, ut ait Ausbertus 2. p. anno Chriſti 406. & liberatus Abbas Benedictinus in Chron. ſic. S. Leporius Epiſcopus *U*ticenſis in Hiſpania S. Auguſtini monachus conſtruxit in Bethica duo monaſteria. Cum ergo S. Victor maxima ibi ſanctitate floreret, & maximis miraculis coruſcaret, in pace quievit hac die anno 459. De illo agunt AA. ſuppracitati.

B. Ven. Alphonſus de Alvarado in urbe Pacis Auguſtæ in lucem prodiit; & noſter factus eſt in cœnobio Salmantino: in Indiis verbo, & exemplo coruſcavit, & méritis clarus ad laborum præmia ſuſcipienda volavit anno 1576, ut refert N. Portillo hac die tom. 1. fol. 422.

C. Ven. Alphonſus de Alhos Vedros Luſitanus, Laicus ſanctitate clarus obiit Ulyſſipone anno 1576. De die autem obitus incertum eſt, N. Leal ait vel obiiſſe die 26 Februarii, vel 15 Septemb. NN. autem Purificat in Chronol. monaſtica fol. 89, & Arpe in Diario SS. tom. 2. fol. 145 agunt de illo 5. Septemb. De illo agunt Herrera tom. 1. lit. A. fol. 23, Torelli in Centur. 5. cap. 41 fol. 566; Torelli tom. 8 an. 1576 fol. 623. n. 3. Elſius &c.

E. Ven. Marcella Borras ortum habuit in oppido Benicarlo territorii Valentini, ex Sebaſtiano Borrás, & Dorothea Esbri, in prædicto cœnobio habitu monaſtico induta profeſſa eſt 20 Nov. an. 1637, & exinde ſuæ vitæ præclarum præbuit teſtimonium, & obiit ſancte die 26 Februarii anno 1681, ut refert N. Jorda tom. 2. Hiſtor. Valent. lib. 4. cap. 13. fol. 440. num. 26.

E. Translatio corporis S. Ansberti Epiſcopi ad monaſterium Fontanellæ, ubi Eremiticum inſtitutum eſt amplexus, ut dum de eo, dicendum eſt, hac die facta eſt. Agit de illa Bollandus hac die; §. 4. fol. 346.

QUARTO KALENDAS MARTIJ.

XXVII.

A. Hiſpali in Hiſpaniæ natalis S. Leandri ejuſdem civitatis Epiſcopi, cujus prædicatione, & induſtria Wiſogothorum gens, ad juvante Recharedo eorum Rege ab Ariana impietate ad Catholicam fidem converſa eſt. *B.* In Africa depoſitio S. Navigii confeſſoris, & M. P. Auguſtini Fratris; ejuſdemque ſanctitatis imitatoris. *C.* Ibidem S. Nebridii confeſſoris diſcipuli S. P. Auguſtini, qui licet aliquando incideret in errorem credentium Chriſtum habuiſſe corpus phantaſticum, tamen breviter converſus eſt; & litteris deditus, præclaros in illis progreſſus fecit. Mediolanum petiit ſtudeorum deſiderio, ubi S. P. Auguſtini auditor fuit, cujus amicitia ſpeciali jucumdabatur, & tali erat præditus ingenio, ut illum erudiens Auguſtinus, ab illo

illo erudiretur, ob Navigii enim argumenta artem judiciariam Auguſtinus dereliquit, & alias Academicorum fallacias deteſtatus eſt. Cum eodem Auguſtino Baptiſatus eſt, & ſub ejus diſciplina, ſive monachus, ut alii dicunt, ſive Tertiarius, ut volunt alii, ſanctiſſime vixit, donec meritis cumulatus, in cælum migravit; anno 490, hac die colitur. *D.* In Barchinone obitus Ven. Joſephi Simonis, qui voto facto ingrediendi illam Religionem, cujus prius vidiſſet fratres; noſtros prius vidit, mox Barchinæ cænobium petiit, & habitu adepto, poſt profeſſionem ſtudiis, & virtutibus plurimum claruit ſe ſe enim aſperis macerabat diſciplinis; fuit mirabilis charitate erga pauperes, & animas Purgatori, pro quibus illius ſuffragia poſtulantibus plura offerebat ſacrificia. Tandem mirabilis ſanctitate hac die obiit, & illius exequiæ maxima cum pompa celebratæ ſunt. *E.* In Hibernia depoſitio S. Cungani Abbatis, diſcipuli, & nepotis S. Columbæ, cui morienti adfuit S. Ytha. *F.* Panormi in cænobio S. Nicolai tranſitus Ven. Juſtini à SS. Sacramento Diſcalceati, qui inter ſuos raro ſanctitatis exemplo claruit; erat enim æqui obſervantiſſimus, & erga B. Virginem ardebat devotione: ſuis concionibus fuit alter Apoſtolus in zelo animarum, ſex, & viginti quadrageſſimas Sicilhæ magno cum fructu prædicavit: donec tantis méritis coruſcans, ſuſceptis piè ſacramentis vitam exuit caducam, ut inciperet immortalem hac die, repetens illud Pſalmi 121: lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: cujus corpus triduo fuit populo expoſitum, & veluti eſſet vivum, ſanguinem fundebat, & interim quatuor illud habitibus ob reliquias à populo avulſas indutum eſt: & ob devotionem populi in ſuffragium illi tres miſſæ cum muſica celebratæ ſunt, & fama eſt, ulla per illum Deum prodigia operatum eſſe. *G.* In Gallia in Reformatione Urſulinarum de Renes depoſitio mirabilis Amaureæ Trochel monialis, quæ in Religione vixit nota ſanctitatis; claruit enim abſtinentia, oratione, & rara obſervantia: illi plerumque manes Purgatorii Suffragia poſtulantes apparebant, & illas ſolabatur dicens: ite ſi mihi venia concedatur, pro vobis communicabo. Claruit dono lacrymarum, prophetiæ ſpiritu, & ſpirituum cognitione: obiit ſancte hac die, & in vita, & poſt mortem claruit prodigiis. *H.* In Gallia in Reformatione Urſulinarum de Laval pretioſa mors Ven. Franciſcæ de Breant monialis, cujus vita claruit oratione, ſilentio, & ſolitudine, & in ejus ore hæc erant verba perennia: Jeſum amare, pati, ſperare, tacére, tanquam animam in ſolitudine; tandem cum raro virtutis odore hac die felicifato animam ſuo tradidit creatori. *I.* In cænobio Incarnationis civitatis legionenſis tranſitus Ven. Mariannæ à Cruce monialis, quæ poſt ſæculi nuptias in eodem cænobio Chriſto dicata eſt: claruit humilitate, modeſtia, pœnitentia, bis enim in die ſe ſe diſciplinis macerabat: in cibo fruſtulis panis ab aliis derelictis utebatur: pannis aſperis, & cilicinis induebatur. Lectulum ſibi fuit crux qua humeros ſuſtentabat. In oratione adeo elevabatur, ut exiens vultum traheret inflammatum: erga infirmas ardebat charitate. Prioriſſæ munus rara cum prudentia, monialium, & cænobii utilitate exercuit, biennio vero tranſacto, gravi morbo correpta, fato felici hac die deceſſit, relinquens clarum ſuæ ſanctitatis teſtimonium. *L.* In Civitate Malhorquina Translatio corporis Ven. Eſperancæ Borras Ordinis Mantellatæ, raris ornatæ virtutibus, & prodigiis; quæ Translatio facta eſt poſt undecim ab illius óbitu annos hac die in locum honoratiorem; in qua nonnulla prodigia Deus per illam operatus eſt.

COMMENTARIA

AD VIGESSIMUM SEPTIMUM FEBRUARIJ

A. S. Leander in Hiſpania ex nobiliſſima proſapia natus eſt: factus adoleſcens Hiſpali in cænobio Eremitico monachiſmum eſt amplexus; & poſt ſex annos à profeſſione ſacris ordinibus initiatus eſt, & in eodem cænobio Præſulem egit; & de ſe omnium virtutum præbuit exemplar; ob quæ præſul Hiſpalenſis creatus eſt. Ubi mira ſunt quæ fecit; plures ad fidem convertit, inter eos fuit S. Hermenegildus Rex à Patre Leovigido Emeritenſis creatus: ob quod S. Leander exu-

lare coactus eſt uſque ad conſtantinopolim, unde cum S. Gregorio Magno magnam contraxit amicitiam, & ab illo pretioſa munera ſuſcepit. Sed revocato exilio in Hiſpaniam rediit magna populi Lætitia, & Concilium Tertium Toletanum coegit anno 589, ubi ex noſtris triginta duo, quorum unus extitit S. Eutropius poſt Epiſcopus Valentiæ, reperti ſunt, ubi Arriana lues penitus conculcata eſt. Tandem octogenario maior, tantis meritis gloriam, in cæleſtem patriam hac die ad requiem vocatus eſt anno 603. De S. Leandro agunt Beda, uſuardus, Adon, & Martyrolog. Romanum, Baron. in Annalib, & tom. 7, & 8, & plures alii. Ex NN. vero Torelli in Sæculis tom. 2. ann. 546, Jorda tom. 2. Hiſtor. Valentiæ lib. 3. c. 18. fol. 75; Jacob Font in Viridario SS. Ordinis hac die fol 568, Arpe in ſuo Diario SS. tom. 1. fol. 117; & alii plures, qui lato calamo S. Leandrum noſtri, non Benedictini, Ordinis fuiſſe, quod patet ex liberato Abbate Gerundenſi, qui anno 403. ait: S. Paulinus, qui poſt fuit Nolanus Epiſcopus, monachus Eremita, & Diſcipulus S. Auguſtini, ab eodem B. P. mittitur ex Africa ad Hiſpaniam, ut in ea introducat ſuum monachatum. Barcinonæ, Gerundæ, Tarraconæ, Ilerda, Bilbili, Cæſarauguſtæ, Calagurri, Emeritæ, & in aliis Hiſpaniarum urbibus monaſteria Auguſtiniana erexit. Et idem anno 418 ait: florent admirabili ſanctitate per id tempus in Hiſpania Monachi S. Auguſtini. Idem aſſerit Fr. Petrus Calvus in Lacrymis Juſtorum lib. 2. c. 12. videatur circa hoc N. Leal in Chronic. Examine 5. fol. 591, ubi oſtendit, quantum in Hiſpania monachiſmus Auguſtinianus propagatus eſt.

His tamen ſe ſe opponunt Caſſinenſes, autumantes omnes Abbates Hiſpaniæ ſui Ordinis fuiſſe, & ſic S. Leandrum, & plures ſanctos illius ætatis ſibi arrogant. Sed audiant duo, primum eſt, quod in Concilio Tarraconenſi celebrato anno 516 ante ortum S. Benedicti ſic dicitur. Monachi monaſterio foras egredientes, ne aliquid miniſterium Eccleſiaſticum præſumant agere, prohibemus, niſi forte cum Abbatis imperio: ergo ante S. Benedicti Ordinem jam in Hiſpania Abbatis nomine monachi utebantur: & ſic non eſt ſui Ordinis ſtemma ſpeciale. Secundum eſt, quia Ordo S. Benedicti Hiſpanias non eſt ingreſſus niſi anno 910, ut conſtat ex privilegio Regis Ramiri Regis Legionenſis edito anno Chriſti 946, & ex altero Sancii Aragoniæ Regis publicato anno Chriſti 1070. quæ privilegia referunt NN. Jorda tom. 2. ad Cælum vitæ S. Leandri, & Jacob Font ibidem, & alii. Cum autem Caſſinenſes nullum habeant fundamentum in concuſſum, ut noſtra proſternent, jure merito S. Leandrum, & alios inter noſtraſtes numeramus. Addo, quod in noſtro cænobio Cartagenæ Flos Sanctorum Lingua Græca compoſitus, conſervatur, ubi expreſſe dicitur S. Leandrum, & Fratres Ordinis Auguſtiniani fuiſſe.

B. S. Navigius S. P. Auguſtini Frater, quo prius ad fidem converſus eſt; comeſſuit S. M. Monicæ, Romam, & alibi peregrinantis: monachalem vitam ſequutus eſt, & poſtea, aſſumpto S. Auguſtino ad Epiſcopii dignitatem, electus eſt præſul in monaſterio Horti, ubi ſanctitate, & meritis clarus in pace quiêvit anno 389. De illo agunt S. P. Aug. Cruſen. Aloviſianus, Staibanus, Herrer. in Alph. tom. 2. fol. 157, Torelli Centur. 1. cap. 5. fol. 45. & in Sæculis tom. 1. Font Jacob in Viridario SS. folio 153, Elſſ. in Encomiaſt. lit. N. Arpe in Diario SS. hac die fol. 110. tom. 1. & alii plures.

C. S. Nebridius S. P. Auguſtini familiaris, ſub Auguſtini diſciplina vixit, vel monachus, ut aſſerit Herrera, vel Tertiarius, ut cum pluribus autumat N. Joſephus à D. Antonio in ſuo Iman fol. 31. n. 1. Obiit tamen ſancte anno 409, & die 27 Februarii illius memoria celebratur. De illo agunt S. P. Aug. in confeſſion. lib. 6. cap. 7, & lib. 9. cap. 4. Delcampo fol. 254, Roman. in Chron. Herr. in Alphab. tom. 2. fol. 157, Torelli in Sæculis tom. 1. an. 389, & Centur. 1. cap. 11. fol. 49, Jacob Font ubi ſup. fol. 217, Arpe in Diario hac die fol. 108, & alii plures ex NN.

D. Ven. Joſephus Simon Barchinone natus ex Joanne Simone, & Eulalia; cum eſſet duodecim annorum factus inter milites numeratus eſt, ubi in varia incidens diſcrimina, votum Religionis fecit, & Barchinone inter noſtros admiſſus profeſſionem emiſit die 20 Aprilis anno 1628, & ſtudiis deditus, in omni ſcientia exiit cum admiratione conſummatus. In virtutibus autem maxime claruit. Mira ſunt, quæ fecit, quæ longo indigent calamo referenda: obiit ſanctiſſime hac die an. 1675. De illo late agit N. Jorda tom. 3. Hiſtor. Catalauniæ

lib. 2.

lib. 2 cap. 13 fol. 392, & cap. 18. folio 410. n. 18.

E. S. Cunganus in Ibernia floruit sub disciplina S. Columbæ Abbatis sui avunculi: & sic spectat nostro Ordini, ut probandum est in vita S. Columbæ die 9. Junii, ubi, de illo Deo dante, agendum est. De S. Cungano, præter alios agunt Acta SS. Bollandi die 27 Februarii in prætermissis, Torelli Centur. 1. cap. 70 fol. 99, & alii plures.

F. Ven. Justinus à SS. Sacramento, Panormi natus inter Discalceatos professus est 20 Decemb. an. 1644 verbo, & exemplo fulsit, & obiit pie hac die an. 1700 in cœnobio S. Nicolai ætatis 75 Religionis 56; & post obitum claruit prodigiis. Agit de illo Fr. Barthomæus Lustro 21 fol. 630.

G. Ven. Amaurea Trochel Ursulina in Reformatione Gallica de Renos, quæ prius inter clarissas degens, ob infirmitatem egressa habitum dimisit, & Carmelitanæ Religionis habitum exoptans, illum non est assequuta; inter Ursulinas admissa, ingenti fulsit sanctimonia etiam prodigiis confirmata, quibus apud omnes nomen glorioſum nacta, é vivis excessit hac die anno 1637, & prodigiis post obitum claruit, quæ late referuntur in Chronic. Gallic. Ursulin. fol. 151. Hæc autem, & omnes aliæ de quibus in hoc opere fit mentio, ad nostram spectant Religionem ad minus, ut Tertiariæ, ut Deo dante dicendum est die 21 Martii, dum de B. Angela Brixia illarum fundatrice egerimus.

H. Ven. Franciſca de Brean, vel à S. Bernardo Ursulina, professa Galliæ in monasterio Lavalensi, quæ post varias fundationes, transacta mirabili sanctimonia vita obiit in Domino hac die anno 1662, ut dicitur in Chron. Ursul. fol. 114.

I. Ven. Mariana à Cruce monialis in monasterio Incarnationis Urbis Legionensis nata est in civitate Oviedi ex Antonio de Heredia, & Anna Maria Valdea. Jam nubilis in matrimonium data est, sed conjuge breviter defuncto, Sæculi amaritudinibus terrefacta, in prædicto cœnobio monacha attonsa est, & professionem emisit anno 1669, & exinde magnis cæpit clarere virtutibus, quibus satis ditata hac die, inter summa monialium desideria, felici fato quievit anno 1677. Refert N. Villerin. tom. 2. Solaris Augustin. lib. 27. tract. 3. fol. 316.

L. Translatio corporis Ven. Esperancæ Borras mantellatæ Malhorquinæ, quæ sancte obiit die 28 Octob. an. 1613, cujus corpus tumulatum est in cœnobio nostro de Succursu, ubi plurimis claruit miraculis; hac tamen die ejus corpus in locum potiorem solemni pompa translatum est anno 1624, & in hac Translatione nonnulla prodigia visa sunt. Agit de hoc N. Jayme Jorda in ejus vita tom. 3. lib. 1. Histor. Malhorquinæ cap. 5. fol. 480. numer. 21.

TERTIO KALENDAS MARTIJ.

XXVIII.

A. In monasterio Jurensi felix transitus S. Romani Abbatis, & fratris S. Lupicini qui cum fratre edomo paterna aufugiens, ne matrimonii jugum subire cogeretur, ibidem cœnobio constructo vitam traduxit cum fratre Angelicam; erat enim oratione continuus, quam satanas impedire cupiens, super eum ingentia pondera jaciebat. Ille autem, & frater satanæ arma formidantes, eremum deseruere, sed consilio fœminæ cujusdam confortati, in eremum rediere, ubi contemptis satanæ insidiis, inter orationes jejunia, & pœnitentias satanam protrivêre: & multos ad sudalitatem suam cognita illorum sanctimonia, conjunxere sub regula, & habitu Lirinensi, scilicet Augustiniano. Cum autem in sanctis operibus vitam transiret, miraculis in vita, & post mortem glorioſus, hac die ad superos volavit. *B.* Remis in Gallia depositio S. Romani Episcopi, & confessoris, qui cum esset

Vigilii Papæ conſobrinus, Monachus Jurenſis factus eſt ſub S. Romano, & poſtea primus Abbas cænobii Mentuniaci à ſe conſtructi in Diœceſi Trecenſi. Cum vero eximio virtutum ſplendore claréſceret ad archiepiſcopatum Remenſem provectus, eandem Eccleſiam apoſtolico fervore gubernavit; donec egregiis exornatus méritis hac die in cælum migravit. *C.* In eodem monaſterio Jurenſi memoria S. Sabiniani Diaconi, & monachi, qui ſub S. Romano, mirabili ſanctimonia claruit, quam caſtitate excellenti, & mirabili in dæmones poteſtate clarificavit. *D.* Pannoniis in agro Auriquiano feſtum S. Romani Abbatis, qui monachiſmum amplexus in cœnobio emeritenſi à N. S. Nunto fundato, ob devaſtationem Maurorum in Luſitaniam perrexit, & ſiſtens in Provincia Tranſtagana, monaſteriis ædificatis, ſanctitate, & miraculis glorioſus, in cælum migravit, & ibi in Eccleſia ſui nominis magno populi concurſu celebratur. *E.* In Provincia Mexicana memoria B. Alphonſi de Borja, qui nobiliſſimo genere ortus in Indias ex Hiſpania profectus, vixit rara pœnitentia, & profunda humilitate, intemerataque pudicitia, illam aduſque ad ultimum ſpiritum conſervans. Multum inter gentiles verbo, & exemplo profecit, donec præcognita ſui obitus die caducitatem exuens mortalem, ad immortalem vitam translatus eſt. *F.* Hiſpaniæ in monaſterio Matricalenſi tranſitus B. Marinæ, viduæ, quæ poſt ſæculi nuptias, adeo virtutibus claruit, ut non ſemel illi apparéret cælorum Regina, præcipiens, ut in Eremitorio S. Hilarii apud Matricalem ſibi Virginum monaſterium conſtrueret, adjiciens in illo plures Chriſti Sponſas ad cæleſtis Agni nuptias ſuas lampades eſſe ornaturas, & in gaudium ſui Domini intraturas. Quod fecit B. Marina, & ibi ſub S. P. Auguſtini inſtituto ſe, & pluries bene dirigens, ad Sponſi cœleſtis thalamum properavit. *G.* Pictavis revectio ſeu Repoſitio corporis S. Radegundis ex Francorum Regina ſanctimonialis, & Abbatiſſæ ex quintiaco monaſterio, quó Graſſantibus Normanis pridem fuerat delatum. *H.* Aragoniæ in urbe Jacenſi depoſitio Ven. Bartholomæi de Foncalda ejuſdem urbis Epiſcopi, qui poſt ullas Ordinis dignitates à Philippo Quarto Jacenſis Præſul creatus eſt, & poſtea Hueſcenſis, quas Eccleſias ſumma cum prudentia Gubernavit; erat enim humilis, affabilis, & erga pauperes valde liberalis, & virtutum, litterarumque protector ſingularis: tantiſque meritis clarus ſancte obiit hac die, corpuſque ejus in ſua Sede, cor autem in noſtro ejuſdem urbis cænobio tumulatum eſt. *I.* In cænobio conceptionis oppidi Beniganim regni Valentiæ depoſitio Ven. Paulæ ab Spiritu Sancto monialis in omni virtutum genere præclaræ; floruit enim animi candore, obſervantia, charitate, patientia, obedientia, oratione, & continua Dei præſentia; quibus virtutibus præparans ſe ad nuptias cæleſtes, in illius adventu, qui accidit hac die, in thalamum Virginum prudentum admiſſa eſt. *L.* Salmanticæ in Hiſpania in cænobio Recollectarum natalis Ven. Mariæ à S. Joſepho ibidem monialis, ubi in omni virtutum genere claruit, & illis exornata hac die ſumma cum pietate deceſſit. *M.* Novariæ felix tranſitus B. Guilelmi Amidani Cremonenſis, qui in Religione claruit doctrina, erat enim Theologus, & juris conſultus celeberrimus, ut ex ejus ſcriptis innoteſcit, & non minus morum ſanctitate clarus: ob quæ totius Religionis Generalis electus eſt; cumque ſuum munus prudentiſſime adimpleſſet, ita Clementi Sexto Pontifici placuit, ut eum inter purpuratos Patres numerare decreviſſet: quod tamen munus accipere recuſavit, plus exoptans corpus S. P. Auguſtini ſuis alumnis concernit: ſed ab eodem Pontifice creatus eſt Epiſcopus Navarienſis, quo munere conſtitutus, miram prudentiam propalavit; Clericorum vitam moreſque optimis decretis inſtituit, plurimis ſublatis abuſibus canonicoſque Regulares Eccleſiæ S. Mathæi prope Novariam ad puriores mores traduxit. Novariæ, & Cremonæ monaſteria Ordinis ampliavit, & auxit. Secum in domo Epiſcopali duodecim fratres Ordinis perenniter habere voluit, cum quibus omnia monaſterii munia adimplebat, & omnes Ordinis Hoſpites benignite ſuſcipiebat. Tandem innumeris meritis cumulatus, juſtorum fato hac die deceſſit; ſepultuſque eſt in noſtro cœnobio Papienſi, quod ipſe à Papa Joanne XXII. noſtratibus impetrarat.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM OCTAVUM FEBRUARIJ.

A. S. Romanus Abbas in Gallia apud Sequanos prodiit in lucem circa annum 400, & primus ibi monachismum amplexus est anno 435, & anno 444. Sacerdotio initiatus est, & clarus miraculis decessit die 28. Februarii anno 460, ut late probant NN. Cardinalis Noris in Vindiciis August. seu in Histor. Pelag. lib. 2. c. 3, Augustinus Lubbini in Notis Martyrol. & Arpe in Pantheo Elogio 13. fol. 40: ex quibus corrigendi sunt plures AA. etiam ex nostris asserentes S. Romanum obiisse annno 565. Quod autem S. Romanus fuerit Augustinianus patet, quia certum est in suo monasterio Jurensi observari Regulam Tarnatenses, seu Agaunensis cœnobii, ut clare, & inconcusse probat N. Cardinalis Noris, sed hujus regula erat Augustiniana, ut probatur ex suis capitibus: sic Regula Agaunensis intria, & viginti capitula digerebatur; & regulam S. P. Augustini ad verbum continebat; nam caput 14. Regulæ Agaunensis conflabatur ex cap. 1, 2, & 3. Regulæ Augustinianæ; caput 15. uniebat quartum, & 5. nostræ Regulæ; caput 16. conformia posteriori capitis quinti nostræ Regulæ parti; tradebat caput 17. est apud Augustinianam 6, & 7. priorem partem continebat; caput 18. reliquam septimi, & priorem octavi Augustinianæ Regulæ continebat; caput 19. constabat ex cap. 9, 10, & 11. nostræ Regulæ: caput 21, & duo versus capitis 22. sub unico decimo tertio Augustiniano continebatur: ast omissum caput 12. Regulæ Augustinianæ, quia ibi de lotione in balneis agitur; quæ tamen lotio tempore S. P. Augustini omnibus utriusque sexus familiaris erat, sed postea hic mos in Monachis obsolevit. Reliqua pars capitis 22. constabat ex cap. 15, 16, & initio 19. Regulæ Augustinianæ; caput 23 exhibebat caput 20, 21, 22, 23, & 24. Regulæ Augustinianæ; & in fine erant ultima Augustinianæ Regulæ verba: ut autem vos in hoc libello possitis inspicere &c. Priora capita Regulæ Agaunensis, quæ in Regula Augustiniana non reperiuntur, agebant de modo recipiendi tyrones, recitandi, & distinguendi precibus horas, de quibus in Regula Augustiniana non agitur; verum certum est S. Patrem Augustinum Africanis monachis de rebus, illis etiam leges dedisse; nam capite 4. ait: orationibus instate horis, & temporibus constitutis: erant ergo etiam apud Augustinianos statuta orandi tempora, quæ dispositio perveniens ad Agaunenses monachos temporis vetustate collabens, ad nos non pervenit.

Ex quibus satis infertur S. Romanus, & suos monachos vixisse sub Augustiniana Regula, & sic inter nostrates jure merito numerari; ut numerant NN. Petrus del Campo in Cathalogo SS. Ordin. impresso Hispali anno 1624. lit. R, Ludovicus ab Angelis in vita S. P. Aug. lib. 4. c. 18, Antonius à Purificatione 1. p. Chron. lib. 2. tit. 1. §. 6, Torelli in Sæculis tom. 2. anno 565, & in Appendice tom. 5, Roman. Portillo tom. 1. fol. 433. Jacob Font in Viridario SS. Ordin. fol. 576. Arpe in Pantheo Elogio 13. fol. 40, & in Diario SS. tom. 1. fol. 115; Josephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 516; & alii plures etiam ex exteris.

B. S. Romanus ex monasterio Jurensi S. Romani extractus, Archipræsul Remensis creatus est anno 530, & virtutibus, & miraculis glorioſus hac die in cœlum migravit anno 533, tribus, & septuaginta annis post S. Romanum suum magistrum. De illo agunt Andreas Saussai in Martyrologio Gallico hac die, & Acta SS. Bollandi tom. ultimo Februarii fol. 748.

C. S. Sabinianus Diaconus monachus Jurensis fuit sub S. Romano: de illo agunt Saussai ubi supra, & Bollandus hac die in prætermissis, & in vita S. Romani cap. 5. fol. 741.

D. S. Romanus Emeritensis vere Monachus extitit, ut constat ex Chartula inventa juxta reliquias SS. in altari Virginis, & creditur vixisse sub instituto S. Nunti, qui ex Africa, veniens ibi monasterium ædificavit anno 1580, qui certe fuit Augustini

guſtini monachus; ut aſſerit Barnabas Morenus in notis Pauli Diaconi; ubi ait: omnes noſtri AA. aſſerunt fuiſſe Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, ex eo tantum, quod ex Africa venerat. Idem aſſerunt Hyeronimus Romanus de la Higuera, & Georgius Cardoſo in Agiologio Luſitano tom. 3. 17. Maij, Padilha Cent. 6. cap. 50, Leayſa in Concil. Hiſpalenſi: unde ſatis conſtat etiam S. Romanum noſtri fuiſſe inſtituti, ut aſſerunt NN. AA. ſcilicet Herrer. tom. 2. Alphab. fol. 329; Purificat. in Chronol. monaſtica hac die fol. 34. Leal in Chronic. fol. 591, attamen ibi confundit S. Romanum Jurenſem cum hoc Emeritenſi, & alii plures. De illo cecinit quidam.

Te celebrem toto mundo miracula reddunt:
Attamen haud maius te, puto, mundus habet.
Gallia multa tulit vernantia lilia; ſed te
Cum tulerit, melius gallia ferre nequit.

E. B. Alphonſus de Borja ex oppido Arandæ natus eſt ex nobiliſſimo Petro de Borja, & Conſtantia Quemada, habitum aſſumpſit ſalmanticæ tempore Prioratus S. Thomæ de Villanova, & ſub magiſterio ſancti viri Ludovici de Montoia, & ibi profeſſus eſt die 28 Februarii anno 1534. Mox in Indos profectus propagandi Evangelium accenſus deſiderio, ibi magnos proventus fecit. Fertur obiiſſe caſtiſſimus, & ſanctus obiit anno 1542, & corpus ejus in Mexicano cænobio tumulatum eſt. Agunt de illo Delcampo in Catalogo SS. Herrera tom. 1. Alph. fol. 19. Elſſius in Encom. lit. A. Torelli tom. 8. ad ann. 1542, ubi de eo late agit Calamo, Portillo hac die tom. 1, SS. fol. 430.

F. B. Marina Diaz Matricalenſis ex oppido Arevalo, cum viduali continentia ſancte floruiſſet, Virgo SS. illi apparuit præcipiens, ut monaſterium matricalenſe pro Virginibus ædificaſſet, quod fecit; & tandem ſancte obiit circa annum 1356. De illa agunt omnes noſtri AA. Cum Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 54, Torelli in Cent. 2. cap. 92, fol. 227, & in Sæculis; Delcampo in Cathalogo SS. lit. M.

G. Repoſitio Corporis S. Radegundis Gallorum Reginæ, quæ obiit 13 Aug. an. 590, hac facta eſt die ex quintiaco monaſterio in Pietavorum ſedes, ut dicitur in Analibus Aquitaniæ, & à Sauſſai in martyrologio Gallico. Die 13. Auguſti oſtendendum eſt illam ad noſtrum Ordinem ſpectare.

H. Ven. Bartholomæus de Foncalda Cæſer-Auguſtæ natus eſt ex Bartholomæo de Foncalda, & Mariana Virto, in cænobio patriæ inter noſtros admiſſus, ibi profeſſionem emiſit 15 Julii anno 1612. Fuit doctiſſimus, & lector veſperarius in academia Cæſar-Auguſtana, bis Provincialis, Epiſcopus Jacenſis, & poſtea Hueſcenſis. Obiit tandem magna ſanctitatis opinione hac die anno 1674. Agit de illo N. Jorda tom. 3. Hiſtor. Aragoniæ lib. 2. c. 1. fol. 100. num. 66, & cap. 11. fol. 176 num. 3.

I. Ven. Paula ab Spiritu Sancto in oppido Beniganim orta eſt ex Franciſco Alminana, & Maſiana Thomaſa Hiſpanis, in cænobio Ordinis in patria admiſſa eſt die 25 Octob. anno 1611, ubi de ſe magna dedit ſanctitatis teſtimonia, quibus obiit hac die anno 1656, ut de illa referunt NN. Villerin. in Solari Auguſt. tom. 3. lib. 39 tract. 3. fol. 210, Jorda tom. 2 Hiſtor. Valentiæ lib. 5 cap. 13. fol. 566 num. 15.

L. Ven. Maria à S. Joſepho Salmanticæ nata eſt ex proſapia comitum de Amayuelas, ex D. Garcia Manrique de Lara, & D. Franciſca Barrientos, in cænobio Ordinis, in patria monacha facta eſt, & ibi ſancte obiit die 17 Octob. an. 1679, & per errorem hac die de illa fit mentio. Agit de illa N. Villerin. tom. 2 lib. 32. tract. 7. fol. 451.

M. B. Guilelmus Amidanus Cremonæ primam aſpexit lucem noſtro dans nomen ordini doctrina, & ſanctitate claruit: fuit à confeſſionibus galeatii de Vicecomitibus primi Mediolani Domini. Poſt Varias ordinis dignitates anno 1326. die 28. Februar. poſt Alexandrum à S. Elpideo electus eſt Ordinis Generalis Florentiæ. Purpuram ſibi à Joanne XXII. oblatam recuſavit: ſed à Clemente VI. Creatus eſt Epiſcopus Novarienſis anno 1341, die 25. Julii, ſed poſt 17. regiminis annos, plenus pietatis operibus, & de ſua Religione bene meritus hac die obiit mundo, ut in cœlum abiret,

abiret ſepultuſque eſt in noſtro cœnobio Papienſi ejus effigies eſt in palatio Epiſcopali inter inſignia Geulphicæ, & Gibellinæ partis, inter illas ſcuto mediante, ut moneret ſe nulli partium ſtuduiſſe, imo tanquam Pater curaviſſe in unum coire diſſidentes. De illo agunt ex NN. B. Jordan. Caxo l. 1. de Vit. PP. c. 13, & 18. Anaſtaſ. Pamphil, Cruſen. Cardinal. Scripandus Herrer. de Serton. 11, & Reſponſ. Pacifica 5. n. 676, Elſſius fol. 257. Franciſcus Ribera in Vita S. P. Aug. lib. 5. c. 19. fol. 449, N. Leal Purificat. 7. Exam. 4. fol. 670, Jacob Jorda in Excellent. Ordinis lib. 3. c. 15. fol. 414, & Torelli in Sæculis, & in Centur. Ex exteris Sixtus Senenſ. lib. 1. Biblioth. 3. Poſſevin. tom. 1. Apparatus ſacri, Ughellus in Italia Sacra tom. 4. fol. 715.

PRIDIE KALENDAS MARTIJ.

XXIX.

A. In Civitate Papienſi Translatio ſecunda corporis Sancti P. N. Auguſtini ex Inſula Sardinia, opera, & induſtria piiſſimi Regis Longobardorum Luithprandi; quod quidem in Eccleſia S. Petri in cælo Aureo, nunc S. Auguſtini, maxima populi veneratione requieſcit, & colitur. B. Apud Helvetios in monaſterio S. Galli depoſitio S. Victoris Hiſpani, qui inter ejus monachos admiſſus, cum ſe nobilitate, & ſcientia inflaret, é monaſterio aufugit, ſed ad illud breviter reverſus ſeria pœnitentia peccata ſuæ plorans juventutis, poſtea ſumma ſanctitate, & miraculis glorioſus hac die in cælum migravit. C. Segorbii in cœnobio S. Martini tranſitus Ven. Mariæ à S. Joſepho monialis, de qua fertur, quod cum aliquando ante Chriſti imaginem de nonnullis queretur; ad illam Chriſtus voce clara reſpondit, ſi me tenes, quid aliud curas? Altera vice cum ſacerdos illi ſacram hoſtiam eſſet porrecturus, é manibus ejus hoſtia proſiliens in os Ven. Joſephæ intravit. Pluribus aliis favoribus, & apparitionibus ditata eſt; donec lethali morbo oppreſſa hac naturæ debito ſatisfecit, relinquens ſuæ ſanctitatis clara teſtimonia.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESSIMUM NONUM FEBRUARIJ.

A. Translatio corporis S. P. Auguſtini ex Inſula Sardiniæ ad Civitatem Papienſem facta eſt anno 725 à piiſſimo Luithprando Decimo Octavo Longobardorum Rege, & illud magno Epiſcoporum, procerum, & plebis in templo S. Petri in cælo Aureo collocavit; & in noſtro Ordine ab annis plurimis hac die celebratur, & olim in tota Eccleſia celebrabatur, ut conſtat ex Miſſali Romano apud me exiſtente, impreſſo Cæſar-Auguſtæ anno 1552, ubi folio 160 habetur eadem, quæ apud nos hodie de eadem Translatione Miſſa celebratur. De hac Translatione agunt plures ex exteris, & noſtris, & præcipue Jacob Font in Viridario SS. fol. 583, Joſephus à D Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 436, Portillo in tom. 1. fol. 439.

B. S. Victor Hiſpanus apud Helvetios in monaſterio S. Galli vixit, & obiit rara ſanctitate anno 459 hac die: de quo agunt Henricus Murenus in Helvetia, ſacra fol. 201, Bollandus in Actis SS. hac die. Dum de S. Gallo die 16 Octob. oſtendemus utrumque ad noſtros pertinêre.

C. Ven. Maria à S. Joſepho Segorbi in lucem prodiit, ex Joanne Andrea, & Magdalena Munox, in cœnobio Segorbienſi S. Martini monialis facta, ibi rara ſanctitate, & mirabilibus cœli vixit, & obiit favoribus cumulata hac die anno Domini 1673. ætatis 74, & Religionis 39. Agit de illa N. Villerin. tom. 3. Solaris Auguſtiniani lib. 41 tract. 2 fol. 259.

MAR-

MARTIUS.

KALENDAS MARTIJ.

I.

A. In Wallia Britaniæ Provincia natalis. S. Davidis Archiepiſcopi Menwenſis, cujus natalis ante triginta annos à S. Patritio prædictus fuit, & cum adhuc in materno clauſus eſſet ventre, cohibuit Sanctum Patritium, ne prædicaret, quaſi foret incapax ante ipſum prædicandi. Natus eſt ergo ex regio ſanguine, & poſt annos aliquos ſub S. Patritio habitum ſuſcepit, & magno fervore cæpit prædicare. Archiepiſcopus factus, munus perfectiſſime exercuit, donec multis monaſteriis conſtructis, & ſenio, & méritis confectus, octavo Kalendas Martii, ab Angelo admonetur moriturus Kalendis Martii, quo die, veniente cum multitudine Angelorum Domino, obiit ſancte, clarus in vita, & poſt obitum multis miraculis. *B.* In Gallia tranſitus S. Albini Epiſcopi Andegavēſis, qui cum monaſticam vitam ſanctiſſime exerceret, ad Epiſcopatum evectus eſt, claruit familiaritate S. Cæſarii Epiſcopi, donec innumeris méritis, & miraculis glorioſus hac die in cælum migravit. *C.* Peruſiæ paſſio glorioſa S. Herculani Epiſcopi, & martyris, qui ex converſatione monaſteri ad ſacerdotales Ordines evectus, ad Peruſinam ſedem elevatus eſt, qui poſtea in teſtimonium fidei ſub impio Gothorum Rege Totila diminutus eſt in capite præciſo; quod poſt quadraginta dies ita corporis conjunctum eſt, ut nullum præciſionis ſignum appareret. *D.* Compoſtellæ tranſitus S. Rodeſindi Epiſcopi, & confeſſoris, qui ex Eremita Auguſtiniano ad Caſſinenſes tranſiit, & inde à Mundonettenſi Epiſcopatu ad compoſtellanum promotus ſanctitate, & miraculis clarus in cælum translatus eſt; quem poſtea Cæleſtinus Tertius anno ſui Pontificatus quinto in ſanctorum Cathalogo adſcripſit. *E.* Mediolani memoria B. Lanfranci de Settala, qui hac die Bononiæ in unione electus fuit totius Ordinis Generalis, ob rarum ſuæ virtutis teſtimonium, & poſt annum ſui regiminis duodecimum non ſine evidenti ſanctitatis opinione denatus, ſepultus eſt in templo S. Marci à Siniſtro aræ maioris latere. *F.* Capuæ in cænobio S. Mariæ Magdalenæ depoſitio B. Ludovici capuani viri mirabilis litteris, & virtutibus; cum ergo eximius Verbi Divini præco eſſet, & præcipue charitate erga Deum, & proximum coruſcaret; hac die in cælum multa virtutum meſſe oneratus, aſcendit coronandus. *G.* Apud Indos natalis Ven. Andreæ Lopez de Torres, qui ex Hiſpania profectus, poſt varia juventutis ſuæ diſcrimina, divinitus inſpiratus, Religionem ingredi decrevit: Dominicanos, Franciſcanos, & Mercenarios pulſavit, ab omnibus repulſam perpeſſus eſt, ſed forte audiens in noſtro cænobio Limenſi ſermonem converſionis S. P. Auguſtini, illo ſic motus eſt, ut ſtatim habitum poſtulavit, & illum nanciſcens ſub laicali ſtatu, ſtatim de ſe optimum Deo obtulit ſacraficium; nimia humilitate claruit, incredibili pœnitentia, ſe ſe enim ponderoſis catenis oneravit, lectulo arundineo ad ſomnum uſus eſt, multis ſe ſe diſciplinis maceravit, in cibo parcus, in labore infatigatus, in patientia mirabilis, in oratione conſtans, in obedientia promptus: plures in oratione paſſus eſt exctaſes; ſpiritu prophetiæ claruit, cordium ſecreta penetravit.

Aliquando

Aliquando orans ante Sanctiſſimum Sacramentum, cur illum ad Religionem perduxerat? E Sacrario hanc vocem à Domino audivit: huc te perduxi, ut mundi perditionem deplores. Et iterum quærens: per quæ peccata plus offendebatur? Ad eum Dominus: perverſitas multorum, qui ſuas ſponſo in cœnobiis clauſas perturbabant. Cum autem octoginta, & amplius annos rara degeret ſanctimonia, incredibili patientia in morbis, & ærumnis, poſt duos ægritudinis annos inter magna ſuorum deſideria ad ſuperos volavit; & populo expoſitus multa operatus eſt prodigia, inter quæ hoc narratur, quod cum devotus quidam illius manum apprehenderet poſtulans, ut illius eſſet memor ante Deum; tunc. Ven. laicus, & ſi defunctus, devoti manum coram omnibus mirantibus conſtrinxit. *H.* Valentiæ in Hiſpania obitus Ven, & incomparabilis viri Jacobi Lopez, cujus natalem ante duo ſæcula S. Vincentius Ferrera vaticinatus eſt; cujus, & infantia prodigioſis cæpit clarere virtutibus: noſter factus, litteris conſummatus plus fuit in virtutibus, præcipue puritate, ſimplicitate, & affabilitate erga omnes, obſervantia obedientia; otio bellum indixit, vel enim orans, prædicans, confitens, legens, ſtudens, viſitans ægrotos, & afflictos conſolans tempus tranſibat. Se jejuniis, ciliciis, catenis, diſciplinis carnis domabat pruriginem; adeo enim caſtus fuit, ut in toto ſuæ vitæ periodo veluti puer trium annorum foret; & ſic veluti hortus amænus redolebat: ob quod Sanctiſſima Virgo illum annulo Sponſæ ſubarrhavit, & Angeli illum per lumbos cingulo aureo vievêre. Claruit prædicatione, ubi ſua verba erant radii clariſſimi: innumeros ad meliorem frugem reduxit. Cum aliquando prædicaret in oppido Vinhares, & de pauca fide auditores argueret, dixit, Spiritus Sanctus in confirmationem hujus veritatis adveniet; & ſtatim perfeneſtram Eccleſiæ ingreſſa eſt columba formoſiſſima, & ſinuoſo volatu per Eccleſiam circumiens, in capite Ven. Jacobi uſque ad ſermonis terminum ſuperſedit, & tunc iterum volatu celeri diſparuit. Cum aliquando infeſto S. Annæ prædicaret, ſermoni interfuere B. Virgo, & illius dilecta proles Chriſtus Jeſus, qui ad Matrem, finita concione dixit: Mater, quàm bene de Avia mea Fr. Jacobus prædicavit! Alia vice illi prædicaturo apparuit S. Vincentius Ferrera dicens: Fr. Jacob, non tuum, quem fers, ſed meum, quem tibi in fundam, prædicabis ſermonem. A B. Virgine fuit ſuo puriſſimo recreatus, unde illi tanta in verbis contigit dulcedo: cordium ſecreta etiam interiora cognoſcebat. Tandem innumeris cæli favoribus ditatus, & omnibus ingradu heroico coruſcans virtutibus, & pluribus clarus prodigiis, & prophetico ſpiritu glorioſus, ſuperatis omnibus ſatanæ inſidiis, ad tantorum meritorum bravium hac ipſa die in cælum coronandus migravit. *I.* In cœnobio S. Julianis in regno Valentiæ depoſitio Ven. Franciſcæ Munox monialis, quæ claruit humilitate, charitate, obedientia, oratione, pœnitentia, & cæteris virtutibus, quibus ornata hac die ſancte deceſſit. *L.* Pariſiis in Reformatione Urſulinarum obitus Ven. Mariæ Magdalenæ, quæ ateneris adeo devota fuit ut dicere ſoleret infantula, plus mori, quam Deum offendere optare. In Religione claruit obſervantiæ Zelo, Charitate erga pauperes, quos tanquam fratres, & ſorores recipiebat, inſatiabilem habebat famem orandi, obediendi, patiendi, ſe mortificandi, & humiliandi, & omnes alias virtutis exercendi; & adeo à parentibus aliena, ut quamvis prioriſſa foret, neptim ſuam inter moniales ſuſcipere detrectavérit. In tribus ultimis cujuſque menſis diebus, ea omnia, quæ faceret ante mortem, faciebat. Hac tam pia, & utili præparatione, illius adventum non formîdans, illius aſpectum reſpexit exultans, & cum Sponſo illam ad nuptias vocante ad illius thalamum hac die feliciter properavit. *M.* Apud Burdigalam in cœnobio Urſulinarum natalis Ven. Margaritæ Berti, cui à teneris Deus omnium myſteriorum plenam præbuit notitiam: claruit in virtutibus, præcipue in oratione, in qua illius animam Deus pluribus ditavit chariſmatibus, quibus abundans hac die à mundi exilio ad cæli patriam coronanda migravit. *N.* Bononiæ in cœnobio S. Mariæ Magdalenæ Ordinis tunc Eremitarum Translatio corporis B. Imeldæ monialis Auguſtinianæ, facta ad cœnobium intra urbem ad novam Eccleſiam monialium S. Dominici ſub eodem titulo S. Mariæ Magdalenæ. *O.* In Mauritania Inventio corporis B. Thadæi Canarienſis Luſitani, qui inter illas barbaras gentes in magnum fidei noſtræ teſtimoniam in magna veneratione habetur, ob innumera prodigia, quibus cæcam Mahomethi turbam Deus ſua providentia, & miſericordia intendit illuſtrare, ad excuſandas in illorum peccatis excuſationes. *P.* Translatio S. Euſtaſii Abbatis

COMMENTARIA

AD DIEM PRIMUM MARTIJ.

A. S. David. Hibernus é regio ſanguine natus, cujus natalis ante triginta annos prævisus eſt à S. Patritio Hiberniæ Primate; ſub cujus monachatu poſtea ſuſceptus, factus eſt Abbas monaſterii Menevenſis, quod certe erat Ordinis Auguſtiniani, fundatum ab eodem S. Patritio ut ait Joannes Toneus Marnavitius in ſacra Columba fol. 45. ſic: nulli dubium eſſe poterit Hibernos monachos niſi à S. Patritio profluxiſſe, quem Patritium à Martino rudimenta monaſtica longe ante Benedicti tempora hauſiſſe, Probus in ejuſdem vita teſtis habetur. Videatur Herrer. tom. 2. Alph. à fol. 231, dum de S. Patritio. S. vero David ob egregias virtutes creatus eſt Archipræſul Menevenſis in Wallia Britaniæ Provincia, ubi plura Ordinis conſtruens monaſteria, vita, & ſanctimonia glorioſus, Angelo de obitu ante ſex dies monente, ætatis 147, obiit ſanctiſſime hac die anno 544. in civitate Menevenſi, cujus anima, Chriſto, & Angelis comitantibus, in cælum aſſumpta eſt. Agunt de illo acta SS. hac die, & alii ex exteris; ex NN. B. Joannes Capgraphius in Vita S. Hiberniæ, Jacob Font in Viridario SS. die 9. Februar. in Vita S. Telionis fol. 476, & die 13. Februar. in Vita S. Modomnoci fol. 517, & die 31. Januarii in Vita S. Aydani fol. 399. & alibi.

B. S. Albinus Epiſcopus Andegavenſis; prius ſub Auguſtiniana diſciplina floruit; dein præſul factus, hac die ſanctimonia, & miraculis clarus migravit in cælum anno 540, & poſt mortem claruit miraculis. De illo agunt Acta SS. hac die, ubi probant, illum Benedictinis non poſſe pertinere, inquiunt enim fol. 55. num. 4. cum adhuc eſſet in Galliis ignota regula, inſtitutioque S. Benedicti anno 529, & anno 543. à S. Mauro illuc allata eſt. ex NN. Critana acriter probat illum noſtris ſpectare.

C. S. Herculanus Epiſcopus Peruſiæ, noſtris prius Ordinis monachus anno 547. hac die à Totilæ Gothorum Regis imperio capitis præciſionem ſuſtinuit, & teſtimonium fidei adauxit glorioſum. Agunt de illo Acta SS. Henſchenii tom. 1. Martii fol. 47, ubi inconcuſſe confutantur Benedictini, illum ſuum eſſe aſſerentes: & illum noſtris attinere aſſerunt ex NN. Mayayus in Patriarchatu, & Elſſius in Encomiaſtico Auguſt. lit. H.

D. S. Rodeſindus Luſitanus natus eſt juxta civitatem Portuenſem die 26. Nov. anno 907. ex nobiliſſima familia ex Souzas, parentes habuit Gutterem de Aria, & Aldaram, quæ Roſendum interceſſione S. Michaelis adepta eſt. Qui poſtea Auguſtiniano habitu in monaſterio Dumienſi, & Epiſcopus illius Diœceſis factus, rejecta dignitate in Gallæciam perrexit, ubi inter Benedictinos aſſumptus eſt in monaſterio Cellænovæ ſub obedientia Tranquillæ illius cænobii Abbatis premi; unde ad Compoſtellanam Sedem promotus, ibi obiit ſanctitatis illuſtris die 1. Martii anno 977. De illo agunt plures AA, ex exteris, & ſunt Henſchenius in Actis SS. hac die, & D. Emmanuel Caetan. in lib. Epiſcoporum fol. 211. ubi tenet prius noſtri Ordinis fuiſſe; ex NN. Hieronimus Roman in ejus vita, Ludovicus ab Angelis in Horto Portugalliæ §. 55. in vita Aldaræ matris S. Rodeſindi Antonius à Purificat. de viris Illuſtrib. lib. 1. c. 3. fol. 6, & in Chronolog. monaſt. die 1. Martii fol. 36, Torelli tom. 3. anno 977. fol. 400, Arpe in Diario SS. hac die fol. 114.

E. B. Lanfrancus de Settala Mediolanenſis in congregatione B. Joannis Bonigeneralis ann. 1252, tamen totius Ordinis Generalis in unione facta ab Alexandro 4. electus eſt die 1. Martii anno 1256. in cœnobio Romano S. Mariæ de Populo. Præfuit, & profuit verbo, & exemplo, obiitque ſancte circa annum 1264. in cænobio Mediolanenſi S. Marci, ibique eſt ſepultus indextera facelli maioris, in ſepulcro elevato hoc elogio: Hic ſita ſunt oſſa B. Lanfranci ſeptalæ mediolanenſis, qui ob magnum virtutum ſplendorem toti Auguſtiniano Ordini præfectus primus, ita ſegeſſit, ut omnia penitus collapſa, in priſtinum ſtatum redegerit, obiit anno Domini

mini 1264. Ab anno 1466. in cœnobio S. Petri de Arena prope Genuam: extat illius imago in altari S. Nicolai cum titulo, & radiis Beatorum, & apud me exſtat illius pictura antiqua cum inſcriptione, & radiis Beati cum celebri elogio.

Nec prætereundem eſt in tempore B. Lanfranci floruiſſe in Ordine S. Nicolaum de Tolentino, B. Bartholomæum Palazzolum B. Ambroſium de Florentia, B. Paulum Secundū, B. Hugolinum de Mantua, B. Cheſium de S. Miniato, B. Fidericum Ratiſponenſem, B. Ægidium Romanum, B. Angelum de Frucis, Beatum Erthinodum de Gotha, Beatum Antonium de Ravena, B. Clemen de Auximo, B. Auguſtinum de Terano, B. Florentinum, B. Dorotheum à S. Geminiano, B. Finum de Piza, B. Galvanum de Volaterra, B. Lupum de Suriano, B. Martinum de Verſellis, B. Henricum de Urimaria, B. Philippum Parmenſem, B. Guilelmum Sengahan, B. Auguſtinum Triumphum, & alios, quos refer N. Marques in Origine Ord. c. 19. §. 11, & Anton. à Nativit. mont. 2. cap. 3. §. 4. fol. 308.

Ex exteris Robertus in Gallia Chriſtiana, Ughellus in Italia ſacra tom. 4. fol. 53, 54. ubi ait, quod gens Septala orta eſt ex Albinis Poſthumes Romanis vel à Clodio Albino ſeptimii ſocio imperii, Sic dicti, quia per ſeptem gradus ad Cæſaream dignitatem pervenit. Sic poſteri ejus ſeptem alas pro Gentilitii ſtemmate ſumpſere. Vel à Julio Septala 11. viro Romano: vel ex Septa Mauritaniæ Metropoli, aut ex Septalia Macedoniæ, vel ex Septala Armeniæ minoris, civitatibus. Vel à memoria ſeptem nobilium virorum fratrum, qui ſub Maximino Cæſare in Septala Armeniæ urbe pro Chriſto paſſi ſunt. Ex hac familia fuerunt S. Senator Archiepiſcopus Mediolanenſis, anno 480, & Henricus, ibi etiam Archiepiſcopus anno 1211, & alii plures Heroes adducti ab ipſo Ughello ubiſupra, dum de S. Senatore. fol. 53.

De B. Lanfranco agunt NN. Delcampo in Cathal. SS. Herrer. tom. 2. fol. 4. Elſſius in Encom. lit. L. Torelli in Centur. 2. c. 43. fol. 154; & in Sæcul. tom. 4. fol. 690, & plures alii cum Arpe in Pantheo Elogio 38. fol. 112. Cruſen. Empoli, Plenevaunt.

F. B. Ludovicus Capuanus floruit ſcientia, & ſanctimonia circa annum 1400. De illo agunt Julius Cæſar capacius in Hiſtoria Neapolitana tom. 1. lib. 2. cap. 17, illum vocans doctrina, & admirabili ſanctitate clarum, & Henricus Baccus Germanus in Hiſtor. Neapolit. edita anno 1618 fol. 40, illum vocat; Sanctum Luduvicum, & Ughellius in Italia Sacra tom. 6. de Eccleſia Capuana fol. 475. num. 35. ſub Epiſcopo Athanaſio Vindoci, ait: tunc temporis volaſſe in cælum duos Beatos Capuanos, quorum unus erat B. Raymundus Generalis Ord. S. Dominici, S. Catharinæ Senenſis confeſſarius, & B. Ludovicus Capuanus Ord. Eremit. S. Auguſtini, qui floruit doctrina, & ſanctitate. Etiam de illo agunt acta SS. hac die inprætermiſſis. Ex noſtris de illo agunt Delcampo in Cathal. SS. Pamphil. in Chronic. fol. 70, Coriolanus, Herrera tom. 2. Alph. fol. 6; Torelli in Sæcul. tom. 6. ann. 1400. fol. 362, ubi de illo late agit, in Centur. 3. cap. 51. fol. 290, Elſſ. in Encom. Joſephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 522, & alii.

G. Ven. Andreas Lopes ortus eſt in oppido de Guadalcanar infinibus Caſtellæ; juvenis in Indias perrexit, & poſt varia vitæ diſcrimina in Provincia Méxici mónachus ſub ſtatu Laicali aſſumptus eſt; in cujus vita plura ſcitu digna enarrantur; obiit tandem ſanctimonia, & miráculis glorioſus hac die anno 1657. De illo late agit N. Bernardus de Torres, teſtis ocularis in Chron. Peruana lib. 4. cap. 10, cujus vita apud me eſt. De illo agit N. Portillo die 30 Septembr. ſed ignoravit diem obitus.

H. Ven. Jacobus Lopez, vir æterni nominis, fuit enim ſcientia, & ſanctimonia clariſſimus, de quo dicere poſſum illa Naſonis Epigrammata lib. 1. Triſt.

Tot bona ſuſtinuit, quot in æthere ſidere lucent,
Parva que quot ſiccus corpora pulvis habet:
Multa que credibili tenuit maiora, ratamque,
Quamvis acciderint, non habitura fidem.
Si vox infragilis, pectus mihi firmius eſſet,
Pluraque cum linguis pluribus ora forent.

Non tamen idcirco complecterer omnia verbis,
Materia vires exſuperante meas.

Illius tamen vitam aliquando mirabilem his carminibus, quæ infra do, concinui.

I.

Audiat, quiſquis pia facta tendit
Scire ſanctorum: canimus Jacobum;
Cælites interfuit ille magni
Culmen honoris.

II.

Antequam terris homo naſceretur,
Dicitur, cælo referente, dudum
Eſſe prædictus, celebrandus ejus
Ortus ut eſſet.

III.

Fuſus ad lucem, bene ſingularis
Signa virtutis dedit almus infans;
Cerneres annis puerum tenellis
Mente ſenilem.

IV.

Sæculi pompas renuens doloſi,
Inter Aſutas aquilæ Lybiſſæ
Nactus eſt ſedem, Patris eſtque Magni
Caſtra ſecutus.

V.

Litteris navans operam, profundus
Doctor evaſit, ſtupor ejus ævi:
Sic Valentinis Sóphiam ſacratam
Veſpere legit.

VI.

Forte cum magnis theſibus præeſſet,
Viſus eſt ipſum prope conſidère
Præſidis fungens vice Laureatus
Doctor Aquinas.

VII.

Grata dicentis nimium Jacobi
Lingua permanſit, bibit ore poſtquam
Virginis Chriſti Genitricis almæ
Dulce coloſtrum.

VIII.

Spiritus Sanctus ſpecie columbæ
Illius ſupra caput aſſidère
Fertur, ut roſtris pia prædicantis
Dicta probaret.

IX.

Sæpe Phæbæas jaciens. Lucernas
Viſus eſt: totus rutilabat aſtris;
Crebrius ſtellas, polus ut coruſcans,
Ore vomebat

X.

Cum foret roſtris aliquando dicens,
Adfuit Virgo ſociata Chriſto,
Quem Puer Jeſus celebravit illum
Recta loquentem.

XI.

Caſtus à cunis fuit, & modeſtus,
Sic erat longe redolens ut hortus
Floribus plenus: prope quos odorem
Vinceret omnem.

XII.

Carnis haud ſenſi ſtimulos rebellis,
Angeli poſtquam duo de ſupernis
Cingulo exauro, foret ut pudicus,
Membra ligarunt.

XIII.

Ex eo nunquam venus eſt triumphum
Nacta; vincentem miſeros ſubegit:
Vixit, humano veluti caréret
Plaſmate prorſus.

XIV.

Virgo cæleſti ſacra puritate
Mota, ſe ſponſam tribuit Jacobo,
Annulo ſponſum pretioſiore
Sponſa ſubarrhans.

XV.

Angelus ſemper ſibi, Pulchritudo
Qui vocabatur Domini, ſodalis
Adfuit: ſeptem ſimul & perennes
Ante Tonantem.

XVI.

Vivus interris, ſimul & peremptus
Splenduit ſignis nimiis Jocobus:
Angelos inter ſua mens ad aſtra
Scandere viſa eſt.

XVII.

Quid moror tandem? Pelagia valebit
Quis procelloſi numerare guttas?
Vita portentis, maris inſtar, extat
Plena Jacobi.

XVIII.

Sæculi noſtri decus ò verendum
Sede cum regnes ſupera, roganti
Dexteram præbens, fac ut aſtra rectos
Greſſibus intrem.

Noſter ergo Ven. Jacob Lopez in Regno Valentiæ natus eſt die 16 Julii an. 1616 parentes habuit Jacobum Loperium, & Appolloniam Dorotheam: quindecim annorum factus noſtro eſt habitu indutus die 21 Noveb. an. 1631. Mirum eſt quantum in litteris, & ſanctimonia profecit, donec méritis cumulatus in cælum migravit die 1. Martii an. 1670 ætatis 54. ejus vitam lato Calamo ſcripſit N. Jorda tom. 1. Hiſtoriæ Valentiæ lib. 2. cap. 27. à fol. 378 uſque ad 442, Joſephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. hac die fol. 623; Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 118, Villerinus in Solari Auguſtin. pluribus in locis, & Joannes Baptiſta Balleſter Clericus in Compendio vitæ ejuſdem Ven. Jacobi.

I. In cænobio S. Juliani Regni Valentiæ Ven. Franciſca Munox nata eſt Onuphrio Munox, & Franciſca Aſſio, & habitu monialium aſſumpto, ibi profeſſionem emiſit 17 Octob. an. 1620, & cum ſancte in Religione vixiſſet, obit in Domino die 1. Martii anno 1683, ut in ejus vita refert N. Jorda tom. 2. lib. 2. cap. 5 fol. 268 num. 8.

L. Ven. Maria Magdalena, ſeu Beron Pariſiis orta eſt 10 Septemb. an. 1581 ex quodam medico, & Elcenora Mau, habitum induit Urſulinarum in die S. Martini Epiſcopi anno 1612, & in Religione claruit raræ ſanctitatis teſtimoniis, & obiit 1. Martii an. 1657 ætat. 75. Relig. 44. Agitur de illa in Chronic. Urſulinarum in Chronico Gallico fol. 21.

M. Ven. Margaritta Berti Urſulina in cænobio de Chartas obiit magno cum virtutis ſplendore die an. 1645 ætat. 55. Hiſtor. Urſul. fol. 7.

N. Translatio B. Imeldæ Virginis, noſtrique Ordinis monialis in cænobio S. Mariæ Magdalenæ in Civitate Bononienſi facta eſt hac die anno 1566: nam cum tale cænobium ſub Ordine Auguſtiniano permanſiſſet ab anno 1259, & *B.* Imeldæ ibi occumbere an. 1503, & ibi permaneret uſque ad an. 1505; tunc cænobium tranſiit ad S. Dominici moniales, quæ intra urbem aliud conſtruentes cænobio eodem titulo S. Mariæ Magdalenæ, ſecum etiam corpus N. B. Imeldæ tranſtulere; non quia ſui eſſet Ordinis, ſed quia ſub illarum erat poteſtate. Agunt de hac Translatione acta SS. Henſchemii in 1. die Martii, in prætermiſſis, & die 12 Maii, dum de B. Imelda fol. 183; & conſtat ex epitaphio ipſius Sepulchri, & N. Joſephus à D. Antonio tom. Floris 12 Maii, Torelli, & alii.

O. Inventio corporis B. Thadæi Canarienſis accidit hac die an. 1525, ut refert N. Portillo in m. ſ. & hujus Hiſtoriam late referunt NN. Marq. in Chron. c. 19. §. 4. Joſephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 38, & alii apud eum.

P. Translatio S. Euſtaſii Abbatis, de quo 29 Martii, hac die celebratur à Floraro in m. ſ. & in actis SS. in prætermiſſis.

SEX-

SEXTO NONAS MARTIJ.

II.

A. In Anglia in Provincia Londiſſi natalis S. Ceaddæ Epiſcopi Merciorum, & Lindisfarorum, fratris S. Ceddæ, qui cum prius monaſticum obſervaret inſtitutum S. Collembæ in monaſterio Lindisfarnenſi ſub S. Aydano vocato ex Inſula Hy à S. Oſvvaldo Rege cum aliis mónachis, ibi ſanctiſſime vixit, poſtea Archipræſul Eboracenſis, & tandem Merciorum creatus, jam annis, & méritis plenus, vocatus angelico cantu ante ſex dies in Cælum hac die coronandus deceſſit, in vita, & poſt obitum miraculis glorioſus. *B.* In Anglia triumphus B. Georgii à Roſa ex regio Anglorum ſanguine prognati, qui tempore inſani Henrici Octavi, nolens Romani Pontificis authoritatem abjurare, nec Regis prætenſam Cathedram venerari, cum alio Fratre ſene in odium eccleſiæ trucidatus eſt. *C.* Cæſar-auguſtæ in Hiſpania obitus Ven. Franciſci de Gamboa viri celeberrimi in Cathedra, & roſtris: poſt multas in Ordine dignitates, Archipræſul Cæſar-auguſtanus creatus eſt, quod munus prudentia, ſcientia, & diſcretione, gubernans, & ſemper maiorem Dei gloriam procurans inter ingentem ſui gregis ſolicitudinem, cui largis eleemoſynis auxiliabatur, bonis operibus plenus in pace quiêvit. *D.* Neapoli in cœnobio Diſcalceatorum obitus Ven. Marci à S. Anna Fratris Laici, qui in Religione claruit raro ſanctitatis exemplo, charitate erga infirmos, & ſumma devotione erga B. Virginem, cujus cultum in ſuo cœnobio valde promovit: ſenio tandem, & méritis plenus hac die piiſſime quiêvit, & poſt obitum, tanquam ſi vivus eſſet, ſanguine liquido manavit, quod prodigium juſſu Cardinalis Caraccioli Neapolitani Præſulis examinatum eſt. *E.* Hiſpaniæ in cœnobio monialium de Beniganim natalis Ven. Vincentiæ á S. Franciſco, valde exemplaris, claruit oratione, chori aſſiduitate, & ſolitudine, unde à cœlo plures recepit favores: in abſtinentia, & jejuniis, fuit mirabilis, per quæ pudicitiam ſervavit illibatam. Tandem abſoluto ſuæ vitæ curriculo, pie deceſſit hac die. *F.* In Gallia in Reformatione Urſulinarum de Pontiu felix depoſitio Ven. Mariæ á S. Barbara, quæ pœnitentia, & oratione fulſit; in hac enim omnes, quot dantur gradus, cucurrit. Erga Paſſionem Chriſti fuit devotiſſima, & in illius hebdómada plus corpore, & anima uſque ad deliquium patiebatur. In quadam Palmarum die Chriſtus omnia illi ſuæ Paſſionis loca demonſtravit. B. Virgo illi ſæpius apparebat, & de illa loquens, inter illius laudes, & ſui lætitiam languebat. Rozarium illius quotidie recitabat, & illius coronam una ante obitum hora perſolvit, & ad omnia illius feſta præparabatur, & á Chriſto audiit, ſe velle, ut Matrem ſuam pro ſui aſylo ſumeret. Erga D. Joſephum erat devotiſſima, quem viæ interioris patronum elegit, & ille illam multis apparitionibus ſolabatur. Dicebat, ſe à nemine in terris exiſtenti poſſe offendi, quia offenſis jucumdabatur. In ſomno, & victu fuit parciſſima; claruit ſcientiæ myſticæ infuſione; adeo ſibi Chriſtus familiaris erat, ut adhuc in humanis exiſtere videretur. Obiit tandem ſancte hac die, & é ſepulchro exit odor jucundus, & ibi prodigiis clarére refertur. *G.* Valentiæ in cœnobio S. Juliani natalis Ven. Mariæ Emmanuelæ Torres monialis 2. Maij, quæ in Religione vixit mirabili humilitate; ſomnum capiebat ſuper nudam tabulam, & culcitam tegulæ. Ciliciis, diſciplinis, & jejuniis rigoroſis macerabatur, & lanis induebatur. In oratione aſſidua erat, in ſilentio, & cæteris Religionis obſervantiis promptiſſima fuit. Noctes per omnes crucem bájulans viam crucis per clauſtra cœnobii currebat nudis pedibus: Incathedris ex funibus contextis ſedébat, & utenſiliis paucis, & pauperrimis utebatur. Omnes ſuos redditus non paucos in Eccleſiæ

siæ ornamentis lubens consumebat, & in adjuvandis sororibus indigentibus, taliter ut inops viveret, ut alios tegeret. In puritate, in actibus, in vita erat cœlestis. His, & aliis bonis actibus exornata in morbum ex pœnitentiis contractum incidit, quo confecta lethaliter, singulari devotione, & pietate animam suam suo tradidit creatori. *H.* Romæ Electio S. Gelasii monachi Africani, & Augustiniani in Summum Pontificem, post obitum S. Felicis Papæ Tertii, ubi sedit annos 4, menses 8, dies 19.

COMMENTARIA

AD DIEM SECUNDUM MARTII.

A. S. Ceadda frater SS. Ceddæ, Cymbili, & Saulini, qui omnes in Anglia ex nobili prosapia nati monasticam vitam amplexi sunt in monasterio Lindisfarnensi sub S. Aydano cœnobii fundatore, qui ex monasterio Scottorum, quod fundatorem suum in Insula Hy agnoscit S. Columbam, cum aliis monachis venit á S. Osvvaldo Rege vocatus, ac secundum regulam S. Columbæ cum illis vixit, & alios vivere docuit: inter quos S. Ceadda cum suis fratribus vixit: qui cum postea foret Abbas Lestingahensis; postea Archipræsul Eborensis creatus est; & inde factus est Episcopus Merciorum, & Lindisfarorum in Provincia Londiffi, ubi partes perfecti Præsulis adimplens, prænonitus ab Angelo de obitu ante septem dies, hac die sancte decessit anno 672; sepultusque est in Ecclesia S. Mariæ, & inde translatus est in Ecclesiam S. Petri, ubi plurimis claret miraculis. Agunt de illo Henschenius in Actis SS. hac die, & N. Jacob Font in Viridario SS. in vicla S. Ceddæ 7. Januarii fol. 158, ubi probat omnes nostri fuisse Ordinis, & clare colligitur de Henschenio, ubi supra, ait enim num. 10. Verum hactenus ex omnibus necdum unicum scimus, qui ea collatione de regula S. Benedicti amplectenda, actum fuisse scribat: verum quidem est, quod illa monasteria sequentibus temporibus una cum suis institutis susceperint regulam S. Benedicti. Hæc ibi.

B. B. Georgius á Rosa juvenis ex regio Anglorum sanguine cum altero fratre sene jussu Henrici Octavi martyrio coronatus est ann. 1537. Referunt Georgius Maigretius in Surculis sacris. c. 16, Herrer. in Alphab. tom. 1. fol. 289, Simplicianus á S. Martino in lib. SS. Ord. fol. 671. Torelli in Sæculis tom. 8. ann. 1537. fol. 209. n. 4. & Centur. 4. cap. 73. n. 2. fol. 469. Portillo tom. 1. hac die, fol. 448. Elff. in Encom. lit. G. & alii. De hoc B. Circumferuntur imagines radiis coronatæ hoc elogio. *B.* Georgius á Rosa ordinis S. Augustini, genere regio oriundus, qui cum Romani Pontificis authoritatem abjurare nolet, neque Regis prætensam cathedram adorare, martyrio in Anglia officitur anno 1537.

C. Ven. Franciscus de Gamboa natus est in Diœcesi Pamplonæ, ex Martino Segurola, & D. Juliana Gamboa: professus est Salmanticæ 9. Aprilis ann. 1618. Fuit acutissimi ingenii, unde exiit Regius prædicator, S. Inquisitionis Qualificator, Castellæ Provincialis, Lector Scoti, S. Thomæ, & omnes usque ad primarium gubernavit, confessor D. Joannis de Austria, Episcopus Pacensis, postea Coriensis, & Archipræsul Cæsar-augustanus, nominatus á Philippo 4; quod munus summa cum prudentia exercuit, & inter bona opera debito naturæ satisfecit in principio Martii anno 1674, sepultusque jacet in cœnobio Cæsar-augustano. Agunt de illo NN. Jorda tom. 3. c. 11. fol. 779, & Benedictus de Aste in vita Ven. Hieronymi Alaviani, & alii.

D. Ven. Marcus à S. Anna Neapoli natus, & cum annos viginti implesset inter Discalceatos habitum Laicalem; assumpsit anno 1622, die 29 Aprilis, et usque ad obitum sancte vixit. Decessit in cœnobio Nicolai die 2. Martii an. 1681 ætat. 79. Refert Fr. Joan. Bartholom. Lustro 18. n. 72 fol. 509.

E. Ven. Vincentia à S. Francisco Valentiæ orta est; in cœnobio S. Ursulæ in patria monialis facta; unde ob egregias virtutes, assumpta est ad fundationem cœnobii Beniganim, unde pie denata est die 2 Martii an. 1612. De illa agunt NN. Villerin. tom. 3. lib. 39. tract. 2. fol. 503; Jorda tom. 2. lib. 5. Histor. Valentiæ c.

12.

12. fol. 358 n. 17.

F. Ven. Maria à S. Barbara Urſulina de Pontiu in Gallia, ubi mirabili ſanctitate vixit, & obiit hac die anno 1649, ut dicitur in Chronic. Urſulin. fol. 148.

G Ven. Emmanuela Torres floruit in cænobio S. Juliani Valentiæ, & obiit 2. Maii anno 1696: unde iterum in illa die agendum eſt de illa, quia per errorem de illa facta eſt hac die. De illa agit late N. Jorda tom. 2. lib. 4. cap. 13. fol. 271.

H. Electio S. Gelaſii Africani in ſummum Eccleſiæ Paſtorem hac die contigit an. 492. quod autem S. Gelaſius noſtræ pertineat Religioni aſſerunt ex NN. Ambroſius. Staiban. de Taranto in Templo Eremitico fol. 198, Anton. à Purificat. tom. 1. Chron. lib. 1. tit. 10 §. 1. fol. 139, Torelli tom. 1. ad an. 389, Jacob Jorda in excellentiis Ordin. lib. 1. cap. 15. fol. 81; Petrus Delcampo in Cathal. SS. Ordinis lit. G, & probandum eſt die 21 Novemb.

Ode Carminis Jambici in laudem S. Gelaſii.

Nitente luce clarior Gelaſius
Apoſtoli ſupremam dignitatem adit;
Sedetque in alto culmine, hic ut dividat
Quæ ſplendida Auguſtini é ſole lumina
Exhauſerat felicius beatior.
Dat Africæ, Parenti nomen, & decus,
Dum Romæ habenas flectit, orbi, & imperat,
Quod Annibal, vel efferæ Carthaginis
Sævo duces bello inclyti haud é vicerant.
Felicior ſed Roma tanto Præſule,
Qui monſtra pellit hæreſum, & conſiſtere
Ullo in loco paſſus non eſt, ſed fulminans
Ab arce ſumma tela, quæ configerat,
In orcum relegavit peſtem noxiam.
Nimiſque felix Ordo Auguſtinenſium
Eremitarum à primis incunabulis,
Qui filium futurum Patrem gentium
Sinu vix ortus é fæcundo protulit.

QUINTO NONAS MARTIJ.

III.

A. In Africa memoria S. Bonifacii monachi diſcipuli S. P. Auguſtini in cænobio Horti, ſed cum ab aliquibus ſæcularibus falſo accuſaretur, à S. P. Auguſtino juſſus eſt Nolam tendere ad reliquias S. Felicis Martyris, unde illius accuſatores à dæmonibus poſſeſſi ſunt, & illum defendentes liberi permanere, & S. Bonifacii claruit innocentia: poſtea ob egregias virtutes Epiſcopus Caldeaquenſis creatus eſt, unde ſumma cum prudentia Epiſcopium gubernans ni, ſancte quiêvit. *B.* In Gallia In cænobio Meletenſi infinibus Arverni natalis S. Caluppani monachi, ubi cum mira abſtinentia transigeret, quotidianam cum Fratribus operam explere non poterat; quod ægre ferentibus Prælato, & Fratribus, in Erémum ſeceſſit, ubi in concavo lapide ſedem fixit: inde tamen á dæmone fortiter eſt tentatus, ſed illum fugavit his verbis. Tu ne es ille, qui primum parentem de paradiſo projeciſti, qui Cainum fratricidio cruentaſti, qui Pharaonem, ut Dei populum perſequeretur, armaſti! Diſcede à ſervis Dei, de quibus ſæpe ſuperatus diſceſſiſti. Tu es enim in cain projectus, in Eſau ſupplantatus, in Juda ſuſpenſus, & Dominicæ Crucis virtute contritus. Conde caput, & ſub Crucis ſignaculo humiliare, quia tibi non eſt portio cum ſervis Dei. His dæmon dictis cum amplius tentare non eſt auſus. Et S. Caluppanus Dei in operibus erat aſſiduus, otio bellum indicens: fontem in loco precibus ſuis à Deo eſt nactus, cum autem mirabili ſanctitate floreret hac die prope quinquagenarius in cælum migravit. *C.* In Britania armorica depoſitio S. Winvaloci Abbatis, qui cum ad S. Patritium proficiſci vellet, S. Patritius illi apparuit, & ab eo edoctus in eremum

ſeceſſit.

ſeceſſit cum undecim diſcipulis S. Patritii, & poſt triennium landevenecum venit, ubi conſtructo cœnobio ſub S. Similiano ſancte vixit. Dum enim aliquando Jeſum informa pauperis leproſi videret, vix illius nares contigit, illum agnovit, & à Jeſu meruit audire: non me erubuiſti, ſerve mi, nec ego te erubeſcam in regno meo in regno Patris mei: hæreditas tua mecum eſt. Cum autem ſanctiſſimam vitam; & miraculis illuſtrem ageret, hac die ad ſuperos volavit. *D.* Neapoli in Eccleſia Conceptionis depoſitio Ven. Marci Antonii de Camos, qui mortua uxore, mundi fragilitatem inſpiciens, noſtro indutus eſt habitu. Floruit humilitate, affabilitate, ſolitudine, oratione, obedientia, ſilentio, Charitate, & ſtudio ſacrarum litterarum, inquibus exiit doctor conſummatus. Plures in Ordine dignitates exercuit ſumma prudentia. Nonnulla fundavit cœnobia. Creatus eſt à Philippo Tertio Archiepiſcopus Tranenſis Neapoli, ſed dum ſe Romam itúrum parat, ante conſecrationem pie hac die deceſſit; cujus mors ſancta fuit, & omnibus lacrymabilis, ſepultuſque eſt in cœnobio D. N. de Spe Hiſpanorum Neapoli cum glorioſo elogio. *E.* Cæſar auguſtæ in Hiſpania tranſitus Ven. Simonis Martines Infauſti, viri doctrina, & ſanctimonia clari, nam præter alias virtutes inſignis extitit charitate erga pauperes, & infirmos. *F.* Romæ in cœnobio S. Nicolai tranſitus Ven. Bartholomæi à S. Thereſia Fratris Laici Diſcalceatorum, qui ab ingreſſu in Religione floruit pœnitentia, abſtinentia, jejuniis, & oratione, quibus ornatus virtutibus, pie hac die deceſſit. *G.* In oppido S. Mathæi regni Valentiæ obitus Ven. Agathæ Paſtoris monialis in cœnobio S. Annæ, quæ in Religione mirabili floruit obſervantia, & ſanctis exercitiis, erant enim hæc, oratio, jejunium, diſciplina, & opera charitatis; chori aſſiſtentia, ſumma in injuriis patientia, quibus præparata virtutibus, Sponſi adventum cum accenſis lampádibus hac die læta recepit. *H.* Valentiæ in cœnobio S. Juliani depoſitio Ven. Bernardæ Figuerés monialis, quæ licet prius monialis foret S. Franciſci, tamen ob mirabilem viſionem, qua vidit ſe à S. P. Auguſtino avelli à S. Franciſci látere, tranſiit in noſtrum S. Juliani cœnobium, ubi mirabili ſanctitate vixit, & conſummata in brevi pie creditur deceſſiſſe. *I.* Romæ defunctio Ven. Franciſci Mellini, Romani, qui cum lateranenſis Baſilicæ Canonicatu potiretur, dignitate contempta, vitam melius inſtituturus, ad noſtra clauſta confúgit, ubi in virtutibus mirabiles progreſſus fecit. Præco Verbi Divini factus, tali concionabatur ſpiritu, & populi commoditate, ut certatim omnes illum vitia incutantem indefeſſa aviditate audirent: ob quæ Martino Quinto fuit charus, & ab illo pluribus donatus eſt honoribus, ut tandem Senogallienſem Epiſcopum in agro Piceno illum creavit. Cum ergo in conſiſtorio electiones Eugenii Quarti cum multis alsiſteret, tabulario, quod erectum erat, corruente, inter trabes lethaliter oppreſſus, hac die, mortem oppetiit, ſepultuſque eſt in noſtra Eccleſia de Populo, in Sacello S. Nicolai, ſuorum gentilium.

COMMENTARIA

AD DIEM TERTIUM MARTII.

A. S. Bonifacius monachiſmum amplexus eſt in Africa ſub S. P. Auguſtino in cœnobio Horti, unde aſſumptus eſt in Epiſcopatum Caldequenſem, & ibi ſanctus deceſſit circa annum 429. De illo agunt omnes noſtri AA. cum Portillo tom. 1. hac die fol. 449.

B. S. Caluppanus apud Avernos floruit in monaſterio Meletenſi, ubi clarus virtutibus, & miraculis quinquageſſimo circiter ætatis anno in cœlum migravit hac die circa annum 576. De illo agunt Sauſſai in Martyrol. Gallico hac die, Henſchenius in Actis SS. hac die, & alii. Eum noſtratibus pertinere aſſerit Cathalogus SS. Ordinis, & infertur ex Henſchenio, dum aſſerit ante SS. Benedictum floruiſſe in Gallia quamplura cœnobia monachorum. Cum ergo S. Benedictus obierit, ut ipſe ait anno 546, & S. Caluppanus jam eſſet monachus, & obierit ann. 576, clare conſtat, non fuiſſe ſui Ordinis; ordo enim S. Benedicti non ita magneti eſt ſimilis, ut vix apparens quoſcumque monachos ad ſe adducat.

C. S. Winwalocus Abbas in Britania e

doctus á S. Patritio, in erémum secessit, ubi sancte decessit. Claruit circa an. 530. De illo agunt Acta SS. Henschenii hac die, & N. Jacobus Font in Vita S. Rioci die 12. Februarii fol. 510. ubi probat utrumque nostris pertinére.

D. Ven. Marcus Antonius de Camos Barchinone natus é nobilissima prosapia matrimonium contraxit, sed mortua consorte, & filiis, mundo dans terga, Romæ habitum suscepit ætatis 38, & professionem emisit an. 1583; postquam in litteris, & virtutibus valde profecit; doctor enim fuit laureatus Barchinone anno 1588. Fuit egregius Verbi Divini declamator: post varias in Ordine dignitates, electus est Archiepiscopus Tranensis Neapoli, sed ante consecrationem pie obiit, & abiit hac die an. 1606, & in sepulcro gloriosum tenet elogium. De illo agunt late NN. Herrera tom. 2. Alphab. lit. M. fol. 85, Crusen. in Monastic. p. 3. c. 44, Masiot in Compendio Catalauniæ fol. 87, Jorda tom. 3. lib. 2. c. 10. fol. 385. ex exteris D. Cæsar Eugenius in sua Neapoli Sacra fol. 576; & D. Antonius Nicolaus in Biblioth. Hisp. tom. 2. fol. 67.

E. Ven. Simon Martines Cæsar-augustæ natus est ex Martino Martines, & Elisabetha Rea, in cœnobio patriæ habitu nostro indutus professionem emisit 9 Junii ann. 1600: in litteris, & virtutibus, longe claruit, & pie decessit Cæsaraugustæ hac die ann. 1643. De illo agit N. Jorda tom. 3. Histor. Aragon. lib. 2. cap. 1. fol. 99. n. 63.

F. Ven. Bartholomæus à S. Theresia in Diœcesi Comensi natus est ann. 1596. ex Andrea, & Francisca Bernesconti; Romæ in cœnobio Discalceatorum substatu Laicali susceptus est die 15. Octob. ann. 1643, & ibi pie obiit hac die ann. 1673. ætat. 83. Agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 17. fol 471. n. 44.

G. Ven. Agatha Pastor in lucem prodiit in oppido S. Mathæi regni Valentiæ ex Joanne Baptista Pastore, & Eleonora Moratoria; in cœnobio S. Annæ in patria monialis facta est, & tribus se se votis ligavit 27 Octob. an. 1610, ubi annis, & méritis onerata hac die se mortalem esse cognovit anno 1662. De illa tractat. N. Jorda tom. 2 Histor. Valentiæ lib. 4. c. 13. fol. 435.

H. Ven. Bernarda Figuerés in oppido Albalat regni Valentiæ lucem primam aspexit, sanctimonialis nostra facta est in cœnobio S. Juliani, mota celebri visione, qua vidit monialis ejusdem cœnobii ipsam in janua recipientes, & S. P. Augustinum elatere S. Francisci recipientem in filiam. Cum autem post ingressum toto Deum corde dilígeret, & viam virtutis perfecte sequeretur, post quinque professionis menses, hac die pie decessit anno 1683. De illa mentionem facit N. Jorda tom. 2. lib. 4. cap. 3. fol. 269. num. 9.

I. Ven. Franciscus Mellini Romani filius Suaccii Mollini Pernæ, & frater Joannis Baptistæ Cardinalis, ab Urbano V I. factus est Basilicæ Lateranensis Canonicus; sed solitudinis amator, inter nostrates in cœnobio de Populo admissus est. A' Marthino V. creatus est Episcopus Senogallienſis. A Ladeslao Neapolitano Rege meruit, ut ordini constrúeret monasterium celebre S. Joannis Baptistæ in vico Carbonario. Ob ruinam tabularii in Electione Eugenii IV. fato cecidit supremo hac die, anno 1431. ætatis 55. sepultusque est in Ecclesia de Populo, in cujus tumulo cernitur hoc epitaphium.

Sacra Senogalliæ Franciſci Antiſtitis oſſa
Hoc ſita ſunt tumulo, Mellina é gente creati
Hic ſapiens, fortiſque Pater, cultorque decóris,
Pacis amator erat, & ſervantiſſimus æqui.
Occidit Eugenii tranquillo in tempore quarti
In Conſiſtorio, dictu mirabile, primo.

De illo agunt ex NN. Torelli tom. 6. anno 1431. fol. 622. Herrera in Alphab. litt. F. de Prælatis, Elssius in Encom. fol. 213. Ex exteris Ughell. in Italia Sacra tom. 2. fol. 875.

QUAR-

QUARTO NONAS MARTIJ.

IV.

A. Saxoniæ memoria B. Ludolphi de Camoslaria, qui fuit magnæ prudentiæ, & ſanctæ converſationis, rigoroſus in regimine, devotus in oratione; ſedulus in ſtudio, & ſacra lectione, & ſolicitus in libris ad Ordinem comparandis. Miſſam quotidie devote celebrans, indie Nativitatis Domini, mittens, ut moris eſt particulam ad Pax Domini, vidit de ſub labio calicis abintus guttas claras erumpere, & ad ſanguinem Sacramenti defluere, & ſe ibi admiſcere. Obiit tandem ſanctus anno 1342. *B.* Salmanticæ in Hiſpania obitus B. Joſeph de Parada, magnæ obſervantiæ viri; claruit chori aſſiſtentia, ſolitudine, oratione, pœnitentia, paupertate, abſtinentia, & zelo divini honoris, & charitate erga ægrotos, quorum ulcera lingens mirabiliter ſanabat; ambitionem penitus ab horruit. Cum ergo vitam duceret ſanctiſſimam, hac die in cælum migravit; & poſt obitum nonnullis claruit miraculis. *C.* In Anglia depoſitio S. Ovvini confeſſoris, diſcipuli S. Ceaddæ, qui cum prius fuiſſet S. Edilrudæ Reginæ Æconomus, omnia terræ commoda contemnens, monachiſmus amplexum eſt in cœnobio Leſtinghenſi, ubi valde fulgens virtutibus, conſummato vitæ curriculo hac die ad præmium ſibi in cælo præparatum migravit. *D.* Apud Comum memoria B. Hélenæ Comenſis, quæ ibi ſanctimonia, & miraculorum gloria deceſſiſſe narratur. *E.* Valentiæ in Hiſpania obitus Ven. Mathæi Perez Epiſcopi Chriſtopolitani, viri ſcientiarum ſupéllectile ad ſtuporem exornatus, qui poſt varias ſuæ Provinciæ dignitates, mortuo ejus avunculo B. Jacobo Lopez creatus eſt Epiſcopus, & cum ſumma prudentia per ſexdecim annos ſuam régeret Eccleſiam, peſte fauciatus, ſed méritis, & virtutibus plenus, hac die in cælum migravit. *F.* Ibidem natalis Ven. & S. Viri Franciſci Sallellis, viri ſanctitate præclari, & in ſcientiis conſummati, & in zelo, & augmento Religionis nulli ſecundi, qui cœnobium Valentinum, & alia fundavit: & de ſe ſemper raræ ſanctitatis redderet teſtimonia, hac ipſa die é terreno ergaſtulo ad cæli palatia migravit. *G.* Ibidem memoria Ven. Stephani Gatelli viri devoti, & erga omnes ſua modeſtia exemplaris; cujus induſtria à Clemente Octavo ſeptuaginta, & octo reliquias ſanctorum ſuæ Religioni impetravit: donec inter virtutis exercitia pia magna cum ædificatione hac die é vivis deceſſit. *H.* Romæ in cœnobio Diſcalceatorum tranſitus Ven. Zachariæ à S. Petro Fratris Laici, quia adeo in obedientia excelluit, ut etiam ſui ſuperioris juſſis non expectatis, illorum nutus prævenire ſtudéret; & adeò Deiparæ devotione claruit, ut illud unum agere videretur, quomodo illius gratiam poſſet promereri. Tandem cum magna inter ſuos, & extraneos opinione ſanctitatis, hac die hominem exuit, ut gloriæ dotes glorioſus indueret. *I.* Valentiæ in Hiſpania in cœnobio S. Gregorii natalis Ven. Annæ à Cruce, fœminæ obſervantiſſimæ, exemplaris, humilis, pœnitentis, charitativæ, & plurimæ orationis; ob quæ poſt ſexennium á profeſſione omnium ſororum placito in Abbatiſſam electa eſt, quod munus prudentiſſime exercuit; donec tranſactis ſancte in Religione quinquaginta annis, ſumma ſpiritus tranquillitate obdormivit in Domino hac die. *L.* Galliæ in civitate Burdigalenſi natalis Ven. Joannæ Revier monialis Urſalinæ, quæ ab ingreſſu in Religione ſe fecit ſpeculum perfectionis; claruit enim zelo, humilitate, oratione, ubi ſæpius inter exſtaſes videbatur. Raram cum ſuo Angelo Cuſtode contraxit familiaritatem, qui illi aliquando, vel in forma magnæ lucis, vel ſolis, vel globi coruſcantis, vel ſtellæ rutilantis apparére narratur. Cum ergo gravibus morbis angeretur, in quibus raram oſtendit patientiam, hac die ſancte denata eſt. *M.* Apud Burdigalas in cœnobio Urſulinarum depoſitio Ven. Mariæ Berti, quæ

S. P. Auguſtini ſpiritu flammato in unſa, ſe ſe virtutum omnium fecit exemplar; claruit enim Religionis zelo, charitate erga pauperes, & ſumma in morbis patientia: cum autem tantis meritis eſſet in brevi cumulata, hac die pie deceſſit.

COMMENTARIA

AD DIEM QUARTUM MARTIJ.

A. B. Ludolphus de Camoslaria floruit in Provincia Saxoniæ tempore B. Jordani de Saxonia circa annum 1342. Præter alia, in quibus claruit, erat in regimine rigoroſus. Hic excitari poteſt quæſtio, quid amplius in Præſulibus debeat prælucere, an rigor, an manſuetudo? Pro utroque ſtant ſui defenſores. Qui reſolutionem ampliſſimam, & meo videri, veram reperire deſideráverit, videat librum, cui eſt titulus: Idea perfecti regiminis Moguntiæ, impreſſus ann. 1675, ubi per totum res clare reſolvitur. De B. Ludolpho agit N. B. Jordanus, qui ſupr. lib. 2. Vitas Fratrum c. 18. fol. 146, Herrer. tom. 2. Alph. fol. 5; Torelli Centur. 2. c. 87. fol. 222, & tom. 5. in Sæculis fol. 408, ubi illum ponit. 19. Junii, Portillo eâdem die; ſed quia certo non conſtat, hac illum die obiiſſe, ideo hac de B. Ludolpho egi, quia, ut refert Herrera, hac die illi Generalis anno licentiam ad confeſſarium eligendum. In mea poteſtate eſt hujus Beati imago titulo, & radiis, & elogio depicta.

B. B. Joſephus de Parada Salmanticæ natus ex Petro de Parada, & Maria de Velaſco in patria habitu indutus profeſſionem emiſit 20 Decemb. an. 1577: floruit magnis virtutibus; & prodigiis: in cœnobio Salmantino ſancte deceſſit die 4. Martii an. 1619, corpuſque ejus extat in medio Sacelli S. Laurentii. Agunt de illo Herrer. tom. 1. Alph. fol. 415, Torelli in Centur. 6. cap. 55. fol. 706; Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 123, Portillo tom. 1 fol. 451.

C. S. OWinus floruit in Anglia cum S. Ceadda, de quo 2. Martii ſub diſciplina S. Aydani diſcipuli S. Columbæ, & obiit ſancte hac die circa annum 680. Unde clare conſtat noſtris, & non Benedictinis ſpectare, ut ſatis probat Henſchenius in Actis SS. die 2 Martii, dum de S. Ceadda, & die 4 Martii, dum de S. OWino.

D. B. Hélena de Como monialis floruit ſanctitate, & miraculis, ut teſtantur Pamphil, Stramb, Elſſ. in Encom. lit. H. Annus, in quo floruit, non refertur. Cum autem cœnobium Comenſe incéperit anno 1455, dicendum eſt paucis, poſt annis floruiſſe ſimul cum B. Magdalena de Albericis, quæ obiit anno 1465.

E. Ven. Mathæus Perez nepos fuit B. Jacobi Lopez Epiſcopi Chriſtopolitani, in cujus locum poſt varias in Ordine lecturas, & dignitates ſuffectus eſt an. 1491: & regens ſumma prudentia, & ſanctitate Epiſcopium, ſancte deceſſit hac die anno 1707, ſepultuſque eſt in cœnobio Valentino cum ſuo avunculo. De illo agunt Herrera in Alph. tom. 2. fol. 78; Torelli tom. 7. an. 1507 fol. 574; Jorda tom. 1. lib. 1. cap. 23 fol. 164 n. 47, & lib. 2. c. 11. fol. 253, & cap. 33 fol. 478. n. 10, & cap. 36 fol. 496 n. 11.

F. Ven. Franciſcus Salelles Catalauniæ ortus eſt, Clauſtra Auguſtiniana ingrediens, illa glorioſis augmentis, & mirabili ſanctitate ampliavit, donec annis, & meritis exornatus hac die ſancte deceſſit, anno 1310. ætate centenarius. Et anno 1369. authoritate Ordinarii ejus exuviæ collocatæ ſunt in ſarcophago marmoreo, & elevato: & anno 1678. translatæ ſunt ad Clauſtrum, & in eodem Sarcophago requieſcunt in Sacello Deiparæ Aſſumptæ cum præclaro Elogio. De illo agunt omnes noſtri cum Jorda tom. 1. lib. 2. c. 4. fol. 206; Herrer. tom. 1. fol. 247.

G. Ven. Stephanus Gatell. in lucem prodiit in oppido Caſtellon de Planas reggni Valentiæ ex Antonio, & Anna Gatell. habitum ſuſcepit Valentiæ de Succurſu 4. Martii ann. 1581. in manibus eximi Doctoris Michaelis Salonii tunc Prioris. Vixit raro ſanctitatis exemplo, & obiit in cœnobio patriæ ann. 1629, ut refert N. Jorda tom. 2. Hiſtor. Valentiæ lib. 5. cap. 10. fol. 44.

H. Ven. Zacharias à S. Petro Aprutinus de terra Leoniſſæ ſpoletanæ Diœceſis

fis, inter Diſcalceatos aſſumptus valde in virtutibus profecit: ejus erat ſimplicitas incredibilis, humilitas profundiſſima, obedientia exactiſſima, oratio aſſidua, & ferventiſſima, devotio in Deiparam mirabilis. Romæ ſancte obiit ann. 1633. Circa diem dubium eſt, N. Herrer. tunc Romæ exiſtens, ait obiiſſe 4; Joannes Bartholomæus Diſcalc. Luſtro 9. n. 32. fol. 303. ait 14. Martii, & ita aſſerit elogium ejuſdem Ven. poſitum ad picturam illius, quæ eſt in quadam tabella Ven. in cœnobio Eborenſi Diſcalceatorum. De Ven. Zacharia præter citatos agit N. Arpe tom. 1. SS. fol. 127.

I. Ven. Anna à Cruce in Cantabria orta eſt, poſt habitus ſuſceptionem in cœnobio Valentino S. Gregorii, ibi tribus votis ligata eſt 15. Decemb. anno 1609, ubi pie deceſſit hac die ann. 1659. Agit de illa N. Jorda tom. 2. lib. 4. c. 15. fol. 459. n. 12.

L. Ven. Joanna Revier inter Urſulinas Burdigalenſes aſſumpta eſt ann. 1608, ubi rara ſanctitate vixit, & obiit hac die ann. 1647, ætat. 67. Chron. Urſul. fol. 9.

M. Ven. Maria Berti inter eaſdem ibi recepta eſt ann. 1613; & breviter conſummata, tempora explevit multa, nam clara virtutibus hac die obiit ann. 1620. Agit de illa Hiſtoria Urſulinarum fol. 5.

TERTIO NONAS MARTIJ.

V.

A. Arelate in Gallia S. Vigilii Epiſcopi, qui cœli deſiderio inflammatus, in Lirinenſe cœnobium, ut cervus ad ſtagna, cucurrit, ubi monachiſmum ſecutus, ob eximiam ſanctimoniam Abbas electus eſt, & breviter á populo Arelatenſis Archipræſul, quam ſedem prudentiſſime gubernavit, ubi ſe ſe oſtendit cœli chariſmatibus refertum: continue illi, & Angeli, & Cœlites apparebant. Claruit puritate, manſuetudine, miſericordia, patientia, vigilantia, pœnitentia: tres á ſerpente quodam inrerfectos, reddidit ſuis precibus redivivos; aliis multis claruit miraculis: donec ſui obitus præſcius hac die ſancte ad ſanctos volavit, & ſtatim domus; in qua obiit, cœleſti flagravit odore, & cum ad ſepulchrum ferretur, fœminam quandam ad vitam revocavit. B. Hac ipſa die tranſitus S. Tharaſiæ uxoris quondam S. Paulini, quæ, poſtquam vir ſuus amplexus eſt Auguſtinianum inſtitutum, ipſa quoque illud inter moniales amplexa eſt, ubi ſanctis operibus cumulata, inter cœlites poſt obitum meruit collocari. *C.* In cœnobio Recanatenſi in Italia à memoria B. Hyeronimi Recanatenſis, de Gerarduccis, qui ab ingreſſu Religionis S. Nicolai de Tolentino aliquando in dicto cœnobio exiſtentis, verus factus eſt imitator, præcipue paupertate, humilitate, & obedientia. In componendis diſcordiis erat ſingularis; de eo refertur, quod, cum aliquando profeciſceretur ad componendas diſcordias inter Firmanos, & Eſculanos, Truenti flumen, quod vadari non poterat, ſtrato ſuper aquas pallio, tanquam in phaſello trajecit. Inter ſpecioſitatem virtutum ſpiritum ſuo tradidit Creatori: cumque in pheretro expoſitum eſſet populo cadaver juſſu Prioris, ut aliquod in ſuæ ſanctitatis teſtimonium prodigium perpetraret; ecce prodigium, manum ſubſtulit, & emanica faſciculum recentiſſimis, & odoriferis floribus contextum abſtulit, & illum obtulit Priori. Corpus poſtea terræ mandatum circunſtantium nares ſolet cœleſti odore recreare; & hujus Beati feſtum quotannis in Dominica ſecunda Quadrageſſima celebratur. *D.* Barchinone in cœnobio S. P. Auguſtini depoſitio Ven. Joannis de Villanos, qui ab ingreſſu Religionis in omnibus claruit virtutibus: otio bellum indixit, ſe multis pœnitentiis, & jejuniis maceravit; in oratione erat aſſiduus: in obſervantia votorum fuit ſingularis. Etſi ſacriſta eſſet, in choro erat aſſiduus: officium parvum Deiparæ quotidie recitabat tanta devotione, ut

aliquoties

aliquoties ſuſpenderetur : quotidie ad matutinum ſurgebat ; quod Deo ita placuit, ut aliquando inter Angelos noſtro indutos habitu matutinum recitaret ; quæ res illi pluries accidit, quoties ob aliquam cauſam communitas ad illud recitandum non ſúrgeret. Lignum aridum inhumo plantans dicto ſemel Pater Noſter, & Ave Maria, fructificare fecit. Meritis tandem, & prodigiis clarus hac die in cœlum corodandus migravit. *E.* Ulyſſippone in cœnobio Maiori obitus Ven. Joannis à S. Jacobo viri clauſura ſingularis, & multis virtutibus exornati ; erat enim pauperrimus, & in choro aſſiduus, in cella neminem permittebat intrare, & ſi Prælatus intrabat, ille egrediebatur. In Indiam profectus, multum ibi ſuis profuit virtutibus. In Lixbonam rediens, nimia ſe oratione recreabat; ſic erat in chorum promptus, ut ad primum campanæ ſignum pérgeret in chorum. Nunquam ad facta poſt ſe videnda, ſe ſe convertit: numquam é monaſterio exivit. Cum foret Vicarius Prior hujus conventus, vocatus á collectore, non eſt auſus é cœnobio exire, exiit tamen rurſus appellatus, de quo á collectore quæsîtus, reſpondit, non veniſſe ſtatim, quia cœnobii januam ignoraverat. Senio confectus, & morti proximus dixit: Virgo Deipara, & P. Auguſtine, bene mihi modo apparêre poterâtis, ſicut mihi in præterita infirmitate apparuiſtis; cæterum vobis breviter hanc ſolvam viſitationem. Tandem inter dulcia colloquia animam pie hac die exhalavit. *F.* In Bethica in cœnobio monialium Antiquariæ titulo Matris Dei, depoſitio Ven. Marianæ de Corduba ſanctimonialis, quæ orta ex nobiliſſimo ſanguine comitum de Cabra, quæ mundum, dotes, & redditus opulentos deſpiciens, erant enim pluſquam tres mille ducatus, duodeviginti annorum facta, ibi monialium vitam eſt amplexa; & breviter valde in virtutis profecit exercitiis, & præcipue in patientia, qua diuturnum morbum, & cæcitatem paſſa eſt; quo tempore ſolus Deus cæteros ſui ſenſus rapiebat, à quo plures recepit favores copia tali, ut pluries proferret illa: Domine, ſatis eſt: cur me tantum deliciis reples, & viſitas? Exiguum cor meum eſt ad hæc tanta ; mihi deſunt vires, ut tantis diter beneficiis. Sæpius ab Evangeliſta Dilecto ſynaxim recepit. A Chriſto meruit quinque vulneribus, manibus, latere, & pedibus, inſigniri, quæ ſatis purpurata apparebant. Ab eodem de ſua ſalvatione certior facta eſt. Tandem tot virtutibus, & méritis cumulata hac die felici exiti ad Sponſi thalamum properavit. *G.* In cœnobio Svicæ in inſula Malhorquina depoſitio Ven. Franciſcæ Serræ monialis converſæ, quæ in Religione valde coruſcavit humilitate, obedientia, oratione, & pœnitentia, quibus, & allis virtutibus ad Sponſi adventum præparata, cum illo ut Sponſa prudens feliciter hac die receſſit. *H.* In cœnobio Segorbienſi S. Martini obitus Ven. Joſephæ á S. Joanne monialis, quæ adhuc in domo paterna, ſe ſe in ſomnis videns defunctam, & monialibus habitu nígro indutis circúmdatam, inter noſtras moniales cœnobii S. Urſulæ recipi poſtulavit, & recepta eſt duodequadraginta annorum facta: ubi tantis ſe ſe ornavit virtutibus, ut fundatrix ad cœnobium Segorbienſe eligeretur, quod fundavit raro exemplo, & egregiis virtutibus, pœnitentia, oratione, ubi de Deo multa beneficia nacta eſt: tam præſentem habebat Deum, ut plus videretur cœleſtes, quam terreſtes habitare caſas. Cœleſtem ſponſum in forma fontis irrigui, unde flumina formabantur turgida, & mirabili ſcaturigine ſua animam irrigantia, introſpexit: ex qua viſione ſuper illam ſævi cecidêre labores, in quibus valde ſua apparuit patientia. Claruit humilitate; charitate, & in clauſura cellæ celebres Thebaidæ vicit Anachoretas. Tandem innumeris cœli favoribus ditata, hac die in cœlum é terra tranſtulit habitaculum. *I.* Avenione in Gallia natalis Ven. Urſulæ de Igozi monialis Urſulinæ, quæ ſpiritu claruit glorioſo ; ſemper enim in ore habuit illud Evangelii: omnem arborem non ferentem fructum tollet eum, ut fructum plus afferat: quo mota ſe ſe pœnitentiis, ciliciis, & aliis virtutibus exercebat; continuæ orationi vacabat, ubi irriguis ſe ſe profundebat lacrymis; donec divino amore inflammata, dicens: veni, mi Deus, veni, dulcis Domine, quando hæc erit hora felicior? & repetens dulcia ad Deum colloquia magno cum ſanctitatis odore hac die ad Sponſum properavit. *L.* Salmanticæ in Hiſpania in cœnobio Recollectarum mors pretioſa Ven. Mariæ ab Expectatione, quæ in vita matrimonio ligata, inter illius ligamina tanquam in monaſterio degebat. Viro defuncto inter noſtras moniales ſuſcepta eſt; ubi in novitiatu ſalutem amittens, illam S. Franciſci Xaverii interceſſione recuperavit. Poſt inde in omnibus ſe ſe exercuit virtutibus in gradu heroico, & præcipue in obedientia. Illam Deus ditavit mirabili

rabili ſcripturarum notitia, ut ſibi, & proximo prodeſſet. Tandem gravi morbo correpta, feliciter hac die ſpiritum ſuo ſuum tradidit Creatori. *M.* Hac die elevatio prodigioſa B. Alexandri de Oliva tunc Ordinis Generalis in Cardinalem titulo S. Suzanæ á Pio Secundo.

COMMENTARIA

AD DIEM QUINTAM MARTIJ.

A. S. Virgilius in Aquitania natus, in Lirinenſi monaſterio monachiſmum amplexus eſt, ubi cum mirabili ſanctitate floréret, ad præſulatum Arelatenſem aſſumptus, ibi méritis, & miraculis clarus in cœlum volavit hac die an. 640. De illo plura refert Henſchenius in Actis SS. hac die; & plures ex NN. ſcilicet, Torelli tom. 2. an. 596 fol. 505, Portillo tom. 1. fol. 458. Joſephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 719.

B. S. Tharaſia uxor S. Pauli Epiſcopi Nolani, quæ, cum vir ſuus monachus Auguſtinianus fieret, inter moniales adſcripta ſancto fine quiévit hac die, ut aſſerunt Artur de Monſtier in ſuo Gynæceo, & Henſchenius in Actis SS. in prætermiſſis hac die: & ſub noſtra vixiſſe regula, & habitu, aſſerunt ex NN. Critana in Epitome Hiſtor. §. 2. cap. 9. Elſſius lit. T. Torelli tom. 1. in vita S. Paulini anno 431 folio 624, & in Centur. 1. cap. 17. fol. 54 dum de S. Paulino, Joſephus á D. Antonio in ſuo Iman fol. 32. n. 4, Jorda tom. 3. Hiſtor. Catalauniæ lib. 1. cap. 3. fol. 274; & alii.

C. B. Hieronymus de Recanate, dictus de Gerarducciis in Religione floruit mirabili ſanctitate; erat enim Angelus pacis: inter prodigia obiit ſanctus hac die an. 1347; & quotannis Recanatæ de illo feſtum celebratur in Dominica ſecunda quadrageſimæ, & eliguntur quatuor viri, & totidem fœminæ ad pacem inter cives conciliandam. De illo agit martyrologium Recanatenſe: ex NN. Delcampo in Catalogo SS. Ord. lit. H. Herrer. tom. 1. Alph. fol. 332. Elſſius in Encomiaſt. lit. H. Torelli in Centur. 3. cap. 13. fol. 256; & duo Epiſcopi Pamphil, & Gelſominius; Arpe in Diario SS. hac die fol. 121. tom. 1. Joſephus á D. Anton. tom. 1. Floris SS. fol. 518, Portillo in tom. 1. die 25. Februarii fol. 419.

D. Ven. Joannes de Villamos ortus eſt in oppido de Villamos Catalauniæ Diœceſis comenenſis; Barchinone habitum ſuſcepit, & exinde in omnibus cæpit clarére virtutibus, & inter illas ſancte obiit hac die anno 1603. Refert N. Jorda tom. 3. cap. 6. fol. 374.

L. Ven. Joannes á S. Jacobo Uliſſippone obiit pie hac die an. 1641. Refert N. Leal in m. ſ. in libro lit. C. fol. 180.

F. Ven. Mariana de Corduba é nobiliſſimo genere orta, erat enim filia D. Didaci de Corduba, & D. Liviæ Senaræ neptis comitum de Cabra. Cum eſſet duodeviginti annorum, in monaſterio Antiquariæ in Bethica, fundato anno 1520, monialis facta eſt, & cum per viam virtutis pulchris pedibus incederet, caput in cœlum intulit coronandum hac die, quæ incidit in quarta maioris hebdomadæ anno 1609. de illa agunt NN. Portillo tom. 1. hac die fol. 454, & Joſephus á D. Antonio ubi ſupra fol. 669.

G. Ven. Franciſca á Serra Malhorquina, quæ aſſumens habitum in cœnobio S. Mariæ Magdalenæ vocata eſt cum aliis duabus ad fundationem cœnobii S. Chriſtophorii Ivicæ, ubi rara ſanctitate floruit, & obiit hac die anno 1604, ut refert N. Jorda tom. 3. lib. 1. cap. 10. n. 10. fol. 490.

H. Ven. Joſepha á S. Joanne Gandiæ orta eſt, quæ á teneris totam ſe Deo dicavit, & cum eſſet triginta, & octo annorum habitum ſuſcepit in cœnobio monialium S. Urſulæ in urbe Valentiæ die 16 Aprilis anno 1611, & ibi taliter ſe geſſit, ut eligeretur fundatrix cœnobii Segorbienſis, ubi mirabili ſanctitate vixit, & obiit hac die an. 1637. De illa agunt NN. Villerin. tom. 3. lib. 40. tract. 2. fol. 232; Jorda tom. 2. Hiſtor. Valentiæ lib. 5. cap. 20. n. 3. fol. 682.

I. Ven. Urſula Igozi inter Urſulinas Avenionenſes floruit ſanctitate, & obiit hac die anno 1642, ut refert Chronic. Urſulinarum fol. 79.

L. Ven.

L. Ven. Maria ab Expectatione Matriti nata eſt, quæ, licet invita hymæneos celebravit; ſed viro defuncto, cœleſtis Sponſi nuptias celebravit in cœnobio Salmantino Recollectarum, ubi ſuæ ſanctitatis viva, & mortua clara dedit indicia: obiit pie hac die anno 1681, ætatis 61. De illa agit N. Villerin. tom. 2. lib. 32. in Additamento 7. tract. 1. fol. 457.

M. Elevatio N. B. Alexandri de Oliva tunc Generalis ad Purpuram cardinalitiam titulo S. Suſannæ à Pio ſecundo Pontifice Maximo anno 1460. De illo agit N. Herrera tom. 1. Alph. fol. 14; Elſſ. in Encom. Arpe in Pantheo Elogio 66. fol. 208, ubi hanc elevationem collocat die 13. Martii.

PRIDIE NONAS MARTIJ.

VI.

A. In cœnobio Piſano memoria B. Fini de Buris, viri raræ ſimplicitatis, & integritatis cujus induſtria noſtro Ordini conceſſum eſt á Principibus Scaligeris cœnobium Veronenſe S. Euphemiæ. *B.* In Provincia Limenſi tranſitus Ven. Joannis Morejon, qui in Indias profectus, verbo, & exemplo multum profecit; erat enim in magna apud omnes æſtimatione; ob ſuam pœnitentiam, obedientiam, cæteraſque virtutes. Cum aliquando quendam iret in ſabbato de confeſſione auditurus, quoddam flumen trajiciens, in medio naufragium pertulit, & quæſitus inter undas, non eſt inventus in illis; tranſactis diebus tranſiit Sacriſta cœnobii, quem Ven. Morejon voce lugubri, & ſi mortuus, appellavit; Sacriſta vero vocem ſequutus, quamvix nox eſſet, quinque luces feretri inſtar aſpexit, & tunc exferetro hæc audivit, ut hæc Fratribus ſuis nunciaret, ut ab illis in loco ſepeliretur ſacrato. Diluculo advenêre Fratres, & lucibus viſis, & aquis paulatim decreſcentibus, corpus exanime inter aquas reperere, & illud in cæmiterio Fratrum ſolemni pompa tumularunt. *C.* Salmanticæ in cœnobio Conceptionis obitus Ven. Marianæ á S. Joſepho, quæ in Religione de ſe gratum Deo fecit holocauſtum, & ita virtutibus contra ſatanam ſe ſe armavit, ut illius inſidias illuderet. Claruit Sanctiſſimi Sacramenti devotione: tandem ſufferens rara patientia gravem ægritudinem, pie hac die deceſſit. *D.* In Segorbienſi cœnobio S. Martini depoſitio Ven. Catharinæ á S. Dominico, fœminæ raræ obſervantiæ, ſingularis ſolitudinis, continuæ orationis, mirabilis erga infirmas charitatis, continuæ in choro aſſiſtentiæ, egregiæ in laboribus patientiæ, magnæ devotionis erga Deiparam, donec annis, ſed plus méritis plena, ad requiem, quam ſuis benefactis promeruerat, hac die vocata eſt. *E.* Alchodii in cœnobio S. Sepulchri tranſitus Ven. Matris Thereſiæ de Jeſu, cujus vita fuit perenniter Chriſti paſſionem meditari; & ſe acriter angebat pœnitentiis, totum enim corpus quatuordecim circúmdedit ciliciis, & ultra hæc in tergo aliud ponderoſius, & pœnalius deportabat. Communiter, & præcipue in Quadrageſima pane duntaxat, & aqua reficiebatur, poſt ſolis occaſum. In oratione erat perennis, in qua viſa eſt é capite ſolis radios emittere: fulſit prætèrea abſtinentia, charitate, humilitate, patientia: plures diáboli inſidias ſuperavit; donec, armata Sacramentis, hac die é vivis pie deceſſit. *F.* In Gallia in cœnobio de Brieux tranſitus Ven. Renatæ á S. Joanne Baptiſta, quæ ibidem inter Urſulinas raro raræ ſanctitatis exemplo vixit, vitam enim totam inter amorem, & fervorem erga Chriſtum protraxit, cumque uſque ad obitum ita perſeveraſſet, felici fato hac die denata eſt.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM SEXTAM MARTIJ.

A. B. Finus de Buris de Pisa vir fuit magnæ simplicitatis, & integritatis: plenus bonis actibus sibi in cœlo sedem promeruit. Tempus suæ existentiæ ignoratur, alii enim asserunt floruisse circa annum 1226, alii 1256, & his non dissonat N. Marques, alii 1262. inter quos sunt Crusen; Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 224. Præter citatos de illo agit N. Torelli in Centur. 2. c. 16. fol. 152. Admanus habeo imaginem hujus Beati radiis glorioſis depictam cum suo Elogio.

B. Ven. Joannes Morejon ex nobili genere est ortus Metimnæ Duelli; in Indias profectus anno 1567. Limæ inter nostrates assumptus est. Post professionem ad cœnobium Arequipense est missus, & hinc ad Chuquisacense ann. 1579, & postea ad oppidum Guaquiream, sed cum vocatus esset confessionem ægroti auditurus, & flumen Antabambam noctu transiret, præceps inter illius aquas submersus est. Quæsitus tamen non est inventus, sed transeunte Petro Sacrista, illum vocavit, & monuit, ut a Fratribus in loco tumularetur sacrato, & secunda feria, casus enim sabbato contigerat, repertum corpus magnis splendoribus, solemniter in cœnobio Guarquicensi tumulatum est circa annum 1580. De illo agunt NN. Calancha lib. 4. c. 12. fol. 860, Herrera tom. 1. fol. 401. Elst. in Encomiast. lit. I; Portillo tom. 1. fol. 467. Josephus à D. Antonio tom. 3. fol. 716.

C. Ven. Mariana à S. Joseph orta est in oppido Metimnæ cœli, & á fonte lustrali nomine Lucianæ dicta est: quod tamen in Mariannam mutavit in ingressu cœnobii Salmantini Conceptionis ob Ven. Mariannam à S. Josepho ibi Prioriſſam Cum autem in Religione raro sanctitatis degisset exemplo, pie in Domino obdormivit hac die anno 1654, ætatis 61. De illa agit late N. Villerin. in suo Solari tom. 2. lib. 17. tract. 4. fol. 17. De altera Ven. Marianna à S. Josepho agendum est die 15. Aprilis.

D. Ven. Catharina à S. Dominico in lucem prodiit Balbonæ prope Segorbium in Hispania; habuit parentes Franciscum Rodillam, & Elisabetham Ferret, monasterium S. Martini ingressa est 8. Septemb. ann. 1618, & quoad in Religione vixit, claruit raro virtutum exemplo, cum quo decessit hac die anno 1680, ætatis 84, & Religionis sexaginta supra duo. Agit de illa N. Viller. tom. 3. lib. 41. tract. 2. fol. 257.

E. Ven. Theresia de Jesu Alchodii in auras emissa est suis parentibus Christophoro Gisberto, & Vincentia Semperæ, bene educata abillis, vix octo ætatis habens annos, cœnobium S. Sepulchri Alchodii ingressa est die 28. Octob. ann. 1658, & tria Deo vota promisit 4. Februar. anno 1667; & cum semper per viam salutis incederet mirabili exitu ad complectorii horas vitam complevit ac die anno 1685, & 35. ætatis. Agunt de illa NN. Villerin. tom. 3. lib. 36. tract. 2. §. 4. fol. 151. Jorda tom. 2. fol. 510.

F. Ven. Renata à S. Joanne Baptista inter Ursulinas de Bricux in Gallia floruit sanctitate, quam usque ad supremum spiritum servavit: obiit enim pie hac die anno 1647. ætatis 26. Refert ejus vitam Chronicon Ursulinarum fol. 58.

NONIS MARTIJ.

VII.

A. In Provincia Valeriæ depoſitio S. Equitii Abbatis viri ſanctiſſimi, qui cum ingreſſus juventutem ingentibus concupiſcentiæ fluctibus quateretur, & Deum oraret, ut á fædis ſeſe pruritibus liberaret; nocte quadam ſibi Angelus apparuit, á quo mirabiliter eunuchiſatus, numquam amplius motus eſt expertus ſenſuales; manſit enim, veluti ſexum in mortali corpore non haberet, ob quæ ſicut ante viris, ita poſtea præfuit monialibus; quarum quædam, in horto lactucam cum comæderet, quin illam ſigno crucis ſigno benediceret, á ſatana protinus arrepta eſt: vocatus advenit equitius, ut ſatanam ejiceret: Dæmon clamabat: quid feci? Sedebam ſupra, lactucam monialis acceſſit, & me non videns, illam apprehendit: quid ergo mali feci? Attamen Equitio imperante, ſatanas monialem deſeruit. Cum ergo Equitius ſanctiſſimis moribus, & egregiis claréret prodigiis hac die in Cœlum migravit. *B.* In cœnobio S. Crucis in Monte Falco memoria B. Chriſtinæ, ſeu Bizzolæ monialis, quæ, cum ſe nimis optaret inter ejuſdem cœnobii moniales numerari, & ob ſuam paupertatem nanciſci non valéret, tandem á B. Clara admiſſa eſt, ob inſignem, quam habuit, viſionem vitis cujuſdam in illo duntaxat cœnobio Germinantis, & extra illud marceſcentis, quæ viſio accidit in die Paraſceves. Chriſtina vero illius devoti diei, & ſui nominis non immemor, & divini amoris ſauciata jaculis, ſancte degens, ad ſponſi caſtiſſimi amplexus feliei fato decedens volavit. *C.* Valentiæ in Hiſpania memoria Ven. Auguſtini de Arboleda, qui in Religione claruit ſcientiis, & virtutibus: fuit enim laureatus in academia Valentina, & ſubſtitutus in Cathedra veſpertina. Libri præcipui, quibus ad ſtudium utebatur, erant oratio, & contemplatio divinorum myſteriorum, & præcipue Paſſionis, & crucis: & ante unam in cubiculo ſuo exiſtentem ſæpius in veniebatur abſorptus; & ſæpius é ſuo ſonabant ore: adoramus te, Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum. Ante ſtudium, prius aliquantulum orabat. Se ſe pœnitentiis, & ciliciis macerabat, & quotidie bis ſeſe diſciplinis cruentabat: non lineis, ſed lanceis veſtibus tegebatur: crebra jejunia, & plura panis, & aquæ ferebat: ad omnia matutina ſurgebat, & poſt illa orationi vacabat. Multoties, & ſi magiſterio laureatus, in refectorio, ſilentio, modeſtia, & humilitate profunda ſerviebat: ægrotos frequentius, illos conſolaturus, viſitabat. In obedientia fuit mirabilis, & ita pauper, ut nil, præter crucem, libros, ſcabellum, & menſam, & lectulum paupertimum, in cella haberet: adeo caſtus fuit, ut in actis, moribuſque ſuis ſpeculum eſſet pudicitiæ. Quamvis á Religione eſſet gradu magiſterii decoratus, uſque ad obitum lecturam frequentavit. Cum materiam de Beatitudine concluderet, diſcipulis prædixit, ſe breviter obiturum, & cum mors appropinquaret, repetens ſumma teneritudine Pſalmum: lætatus ſum in his, & canticum: Nunc dimittis, inter ingentia ſuorum deſideria rara cum opinione ſanctitatis deceſſit: & illi ſua juſta celebrata ſunt cum magna ſolemnitate, & magno populi concurſu. *D.* In eodem cœnobio tranſitus Ven. Franciſci Conil, viri humilitate, modeſtia, devotione, pœnitentia, & oratione clariſſimi; ſed præ cæteris proximi charitate refulſit; nam cum civitas Oſcenſis peſte laboraret, & ob mortuorum abundantiam omnes fugerent ſacerdotes, ille imperterritus, armatus charitate, ægrotis Sacramenta miniſtravit: donec tot méritis exornatus, ad á ſe tantis titulis méritam coronam feliciter translatus eſt. *E.* In cœnobio Valentino S. Juliani depoſitio Ven. Eſperancæ á S. Auguſtino, monialis converſæ, in cujus vita floruit humilitas profunda, charitas fervens, ſilentium mirabile, paupertas ingens, puritas angelica, obedientia prompta, pœnitentia rigoroſa, oratio continua. Adeo in Deum abſorpta ambulabat, ut ferens aliquando in ſcapulario nonnulla ova, in clauſtro oculis in cœlum elevatis abſorpta ſit, & licet ova in humum caderent, illæſa permanſêre. Aliquando orans ante Crucifixi imaginem

poſt

post sumptam sinaxim, mirabilem á Christo favorem susceptit; imago enim Crucifixi, separans é Cruce brachia, illam est amplexa. Spiritu prophetiæ claruit: nam cum monialis quædam ab illa panem peteret ad chrastinum, tunc petenti apparenter sospiti dixit Ven. Esperança. Cur panem ad crastinum petis? Scis ne te mane victuram! Iteranti autem moniali pro panis largitione, repetiit Ven. Esperança: vade, & te Deo veraciter commenda, cras enim pane non indigebis; & rem exitus comprobavit, nam crastino monialis eadem fato repente interiit. Esperança méritis consummata inter rara pietatis opera sancte decessit. *F.* In cœnobio Matricalensi memoria Ven. Mariæ Belon monialis raræ sanctitatis, quæ genuflexa decessit, & ita á sororibus reperta est. *G.* Ulissippone in cœnobio S. Monicæ obitus Ven. Mariæ á Præsentatione, quæ ob virtutum specimen electa est prima Priorissa Monialium Recollectarum in oppido vulgariter Grillo nuncupato fundatorum á Regina D. Aloysia; cujus electio á cœlo confirmata est, nam eo temporis in choro S. Monicæ quædam pulcherrima columba per aëra volans in Cathedra Ven. Mariæ diutius incedit. Claruit prudentia in regimine, in quo sæpius miraculose provisionem sui monasterii experta est. Erga pauperes insigni emicuit charitate, quam Deus sibi gratam esse aliquoties demonstravit. Fuit in choro assidua, & se se rigidis maceravit pœnitentiis. Paupertatis amans nihil suum æstimavit. Fertur de illa secreta cordium penetrasse. Cuidam novitiæ graviter ægrotanti á Domino salutem impetravit, ut vota Communitatis haberet, ut profiteretur. Post 11 annos rediit in monasterium S. Monicæ, ubi amplius in suæ antiquitatis loco non insedit. Consanguineorum colloquia abhorrebat. Oculis orbata, ibidem piissimum expertá est decessum hac die inquadam sexta feria quadragessimæ, repetens illa Christi verba: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? In ejus exequies inventum est, ceram in pondere nihil esse diminutam, sed prius habuisse.

COMMENTARIA.

AD DIEM SEPTIMUM MARTIJ.

A. S. Equitius Abbas floruit in Provincia Valeria, ubi sanctissime obiit hac die circa annum 580; ut de illo refert Henschenius die 7. Martii. Illum autem fuisse nostri Ordin. asserunt NN. Ludovicus ab Angelis in Chron. m. s. lib. 1. cap. 2. Torelli tom. 2. fol. 432. Purific. p. 1. lib. 2. tit. 5. §. 4. fol. 225. & alibi pluries: & patet; quia S. Equitius erat antiquior S. Benedicto, ut affirmant Baronius tom. 7. an. 581, Azor tom. 2. lib. 5. cap. 43, Suares tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. in cap. 2. n. 9. & plures ex eisdem Benedictinis: quommodo ergo poterat esse Ordinis nondum existentis? quod autem nostræ pertineat Religioni patet, quia post transitum S. P. Aug. an. 430. nostri Eremitæ ex Africa ad partes plures transmarinas prodiere, & una ex illis fuit Italia, & Provincia Valeriæ; hæc enim Africæ proximior erat, ut cum pluribus probat N. Purific. in Antidoto tract. 3. cap. 9. fol. 106, & ibidem sæpius: ergo maiori titulo nostris, non vero Benedictinis, & multo minus Basiliis adhuc in Græcia permanentibus, pertinet S. Equitius. Nec obstant rationes Fr. Ægidii á S. Benedicto contra dicta blaterantis, Responsione 3. fol. 249. equibus contra seipsum submministrat efficax argumentum.

B. B. Christina, seu Bizzola monialis fuit in cœnobio de Monte Falcho tempore B. Claræ, ubi mirabili sanctitate vixit, & obiit circa annum 1300. De illa agunt NN. Herrera tom. 1. fol. 93. Roman. Centur. 10. fol. 58. sub anno 1297, ubi ait natam fuisse in agro signano, Elssius in Encom. Portillo hac die tom. 1. fol. 471.

C. Ven. Augustinus de Arboleda in lucem venit in Castello Garciæ Munox tegni Valentiæ, ubi in cœnobio Valentino monachismum professus, litteris, & sanctitate claruit, & obiit mense Martii anno 1577. De illo plura referunt Herrer. in Alph. tom. 2. fol. 534, Jorda tom. 1. in Histor. Valent. lib. 2. cap. 13. fol. 260.

D. Ven. Franciscus Conil, Valentiæ ortus est, & ibi nostram sodalitatem amplexus sancte decessit anno 1564. Referunt

NN. Herrera tom. 1. fol. 228, Torelli tom. 8. an. 1564, fol. 459. n. 15. & Centur. 5. cap. 7. fol. 523, Elsius in Encom. lit. F. Jorda tom. 1. lib. 2. cap. 13. fol. 259.

E. Ven. Esperança á S. Augustino Valentiæ orta est, & ibi in cœnobio S. Juliani inter moniales assumpta inter conversas, multis virtutibus clara, in cœlum migravit hoc mense an. 1646. Refert N. Jorda tom. 2. lib. 4. cap. 2. fol. 261.

F. Ven. Maria Belon floruit sanctitate in cœnobio Matricalensi, ut referunt NN. Herrer. tom. 2. lit. M. dum de monasterio Matricalensi fol. 148, & Portillo 28 Martii in vita Ven. Annæ á Vega.

G. V. Maria à Præzentatione Ulyssippone primam aspexit lucem ex nobilissima prosapia de Guardas, & Tragæos. In cœnobio S. Monicæ monialis facta rara claruit modestia, prudentia, & virtutum splendore: ob quæ à Regina D. Aloysia die 17. Aprilis 1663. electa est una ex quinque monialibus, scilicet, Philippa à S. Joanne, Anna Paes, Brite à Sylva, & Joanna de Tavora, ut initium dedissent suo monasterio Monialium de Xabregas. Cum autem Soror Philippa à S. Joanne post dies octo ab electione in Priorissam obiisset, V. Maria coacta est ejus loco succedere; quod munus prudentissime exercens; post undecim annos in monasterium S. Monicæ reversa est anno 1675. Vix autem hoc monasterium ingressa est, quasi subito luminibus se se orbatam aspexit, quam tamen excalceatæ, quas deseruit, charitative tractarunt, illi pecuniam, panem, aquam, poma, & alia id genus mittere non cessabant, illam enim ut sui matrem venerabantur. Obiit tandem piissime die 7. Martii anno 1681. in feria sexta post Dominicam secundam quadragesimæ. Hæc, & alia plura refert Fr. Augustinus à S. Maria N. Excalceatus in histor. m. s. ejusdem monasterii.

OCTAVO IDUS MARTIJ.

VIII.

A Toleti in Hispania obitus S. Juliani, prius monachi, in monasterio Agaliensi, & postea ejusdem sedis Archipræsulis post S. Quiricum, ubi sanctitate fulgens; hac die in cœlum coronandus migravit. *B.* In Hibernia transitus S. Mochannæ de Eusmanscire monachi sanctissimi, quem S. Columba ad Buelli fluminis cataractas monasterio præfecit, & ibi sanctimonia clarus ad superos hac die volavit. *C.* Apud Turcas triumphus glorioſus duorum BB. Michaelis Angeli á S. Geminiano, & Josephi; qui cum prius in Iliceto sanctorum domo vitam sancte duxissent, desiderio fidei dilatandæ accensi, Turcarum plagas penetrarunt, ubi contra Mahomethi falsa dogmata prædicantes, primus palo per intestina immisso, & in extremo florescente, martyr glorioſus occubuit, altervero inter crudelia tormenta victoriam á satanæ ministris reportavit. *D.* In Provincia Limensi mors Ven. Ludovici Alvares de Toledo, viri egregiæ nobilitatis, qui in Indias Hispaniæ profectus Provinciam Quintensem fundavit; ubi rara sanctitate vixit, præcipue virginitate, quam usque ad obitum feliciter custodivit. Cum ergo Provinciam gubernasset, & illam visitaturus procederet, ante ingressum parvuli torrentis orans, surrexit, dicens: Credo, quod somniavi, me suffocandum in hoc amne: somnis nulla danda fides, sed in omnibus voluntas Dei in me impleatur. Ingreditur torrentem; & dum egreditur præcipi casu interga decidit, & in lapide contusus summersus est clamans: Jesus, & Maria mecum sint: & locus adhuc hodie in veneratione habitus, torens monachi sancti nuncupatur. Corpus ejus, licet aliquando latens, inventum est pulchrum, & incorruptum: tumulatum est Truxilli in Sacello Angelorum in concavo altaris, & post annos quindecim inventum est incor-

ruptum

ruptum. *E.* Romæ in cœnobio Diſcalceatorum depoſitione Ven. Joſephi à S. Agnete converſi, qui in Religione pluribus claruit virtutibus, inter quas egregia fuit ejus affabilitas in Fratres, & compaſſio in egenos. Labia ejus claram in Deum pietatem ſpirabant: donec ſanctis operibus, & pudicitia clarus, hac die pie deceſſit. *F.* In Eborenſi cœnobio Pueri JESU depoſitio Ven. Philippæ Correa ibidem monialis, in qua ſatis coruſcarunt ſimplicitas, humilitas, dignitatum contemptus, patientia in laboribus, miſeratio erga pauperes, quos de manuum ſuarum labore ſuſtentabat. Erat Sanctiſſimi Sacramenti devotiſſima, & in ejus feſtitivitate convivium toti dabat communitati monialium. Cum animam efflaret, oculus fixit in crucifixi imagine, & ex iſta ad morituram ſplendor exit lucidiſſimus, qui circumſtantes excæcavit, & interram proſtravit: quæ in ſe reverſæ, illam jam mortuam conſpexére; & poſt viginti, & duos annos ejus caput integrum repertum eſt, & ex oſſibus ſingularis odor dimanabat. *G.* Carcaſſonæ in Gallia obitus Ven. Cæciliæ à S. Franciſco Urſulinæ, quæ; quo advixit, ſolum de Deo loquebatur; erat inſuper ſilentii amatrix, & verborum inutilium fugatrix; & ſic monialibus ſæpe repetebat hæc verba: ſorores, ſolum de Deo, & nihil aliud loquamur. Tandem hac die ſancte de exilio in patriam cœleſtem volavit. *H.* In Gallia in Reformatione Urſulinarum de Treguier natalis Ven. Mariæ ab Angelis, quæ in Religione raro vixit ſanctitatis exemplo: cum de Deo loquebatur, corde, loquebatur tam fervido, ut audientium viſura penetraret. In choro prima erat, & ſibi pœna non parva erat, ab inde quavis cauſa dimoveri. Circa ægrotantes erat eximiæ charitatis: ſe ſe quotidie veſpertinis, & matutinis horis flagellabat. Ardebat devotione erga Sanctiſſimum Sacramentum, & Deiparam, in cujus feſtivitatibus vigilias jejuniis panis, & aquæ celebrabat, & cunctos adhortabatur, ut Deiparæ devotionem ſervarent. Cum ſuo Angelo Cuſtode, continuam familiaritatem promeruit. Cum eſſet Prioriſſa in cœnobio de Lanion, in regimine ſe ſe oſtendit affabilem, docilem, & ſincéram; ex quo ſuo tempore maxima inter ſorores fuit concordia, taliter, ut diceretur, cœnobium Lanionis eſſe domum unionis. Obiit tandem magno ſanctitatis odore hac die, & cum in ſuo cœnobio adhuc cæmiterium non eſſet, rogati ſunt noſtri Fratres cœnobii Lanionis ut illam tanquam S. P. Auguſtini vellent in ſuo tumulare monaſterio, quod pompa ſolemni confectum eſt. *I.* Prope Compoſtellam in oppido Viſionislætæ, pretioſa mors Ven. Paulæ Antoniæ à S. Auguſtino monialis in cœnobio S. Chriſtophori, cujus vita plus angelica, quam humana fuit, & hoc non obſtante ſæpe repetebat hæc verba: timeo, ut ob mea peccata Deus & hoc cœnobium, & populos circunſtantes flagellet. Ante obitum admonita à quodam Religioſo, ut plures ſpei actus efficeret; reſpondit: Pater jam mihi omnia pepercit peccata, ut mihi paulo ante revelavit: & juſſa, ut nondum moreretur, donec à ſuo confeſſario Indulgentiam plenariam impetraret, viva permanſit; ſed præſente confeſſario, & illi Indulgentiam applicante, ſtatim ſumma cum pace expiravit.

COMMENTARIA

AD DIEM OCTAVAM MARTIJ.

A. S. Julianus floruit tempore Wambæ, & Emigii, Hiſpaniæ Regum: in monaſterio Agalienſi monachiſmum amplexus, gradatim ad Cathedram Toletanam aſcendit poſt obitum S. Quirici circa ann. *681.* claruit oratione, unde & ſibi, & aliis, plura bona contraxit. Eximia in pauperes benignitate excelluit, quos veluti parens opere, & ſermone fovebat. In litibus componendis fuit inſignis: in divino cultu, & cæremoniis ſervandis fuit perſtudioſus. Nonnullis interfuit conciliis, ſcilicet, *12*, *13*, *14*, Toletanis. Plura docte ſcripſit, inter quæ relucet Prognoſticon. Cum ergo præfuiſſet Eccleſiæ Toletanæ ferme decem annos, ſanctimonia, & ſapientia clarus, in cœlum aſcendit hac die anno *690*, ſepultuſque eſt in templo S. Leocadiæ, ſed in Hiſpaniæ vaſtatione ad Ovetum translatum fuiſſe narratur. De illo quotannis in Eccleſia Toletana officium Duplicis maioris celebratur.

bratur. Ejus vitam ſcripſit Felix ſucceſſor ejus in præſulatu. Plures de illo agunt. Ex NN. Jorda tom. 3. lib. 1. c. 6. n. 33. fol. 262, ubi illum inter noſtrates enumerat.

B. S. Mochanna de Euſmaſncire floruit ſub tempore S. Columbæ in Hibernia, cujus fuerat diſcipulus, & ab eo Abbas factus in monaſterio juxta flumen Buellum. De illo agunt colganus hac die, & Acta SS. Henſchenii in prætermiſſis.

C. BB. Michael Angelus, & Joſephus à S. Geminiano in Iliceto Senenſis ſanctitatis imporio ſub Auguſtini vexillo floruerunt: inde in Turcas profecti ibi ambo glorioſo martyrio, primus palo per inteſtina infixo, & alter tormentis, coronati ſunt, in hoc menſe anno 1524: & de duobus ubique circumferuntur imagines cum radiis depictæ, & martyrium, quod paſſi ſunt oſtendentes. De illis agunt NN. Herrer. in Alph. p. 1. fol. 395, & p. 2. fol. 61; Torelli Centur. 4. cap. 61. fol. 450, & cap. 64. fol. 454; Ambroſius Landucci in Sylva Ilicetana Elogio 46, & 47. fol. 123, & 24, ubi alios citat. extraneos. Elſi. in Encomiaſt. Torelli rurſus tom. 8; in Sæculis fol. 89. n. 4. dum de B. Joſephò á S. Geminiano, & fol. 134. n. 10, Portillo die 7, & 8. Martii fol. 469, Joſephus á D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 523, & alii: inter quos numerandus eſt Cardinalis Capizuchus Dominicanus, qui de B. Michaele ſic ait in vita B. Joannis Chiſii: B. Michael Angelus de Gammuccis Diaconus, Chriſti cauſam contra infideles agens, martyrium complevit diriſſime ab illis palo transfixus, qui palus momento effloruit, & martyrium reddidit glorioſum.

D. Ven. Ludovicus Alvares de Toledo in Hiſpania in oppido valdera natus eſt ex familia Comitum de Oropeza: a tyrocinio Religionis fuit inculpatæ vitæ. Anno 1599. miſſus eſt in Indias, ubi Provinciam Quintenſem fundavit: ubi anno 1575 electus eſt Provincialis, & poſt octo ſui regiminis menſes, in torrentem incidit anno 1576, & ſummerſus eſt, ut paulo ante prædixerat. Corpus ejus, & ſtatim, & anno 1591, & 1594 inventum eſt incorruptum, & anno 1633. in decenti loco reconditum eſt. De illo agunt NN. Calancha fol. 679, Herrera tom. 2. Alph. fol. 11; Torelli in Sæculis tom. 8. anno 1576 fol. 623. n. 5. ubi aſſerit illum natum fuiſſe anno 1531, & claruiſſe pœnitentia, & devotione erga Deiparam, & fuiſſe prædicatorem apoſtolicum: Elſſius in Encom. & alii.

E. Ven. Joſephus, á S. Agnete natus eſt in Caſtello Anconitano, Rotella dicto, anno 1608, & anno 1629. ætais 21 habitum inter Diſcalceatos in ſtatu Laicali recepit Romæ die 1. Februarii, & anno 1630. 2 Februarii profeſſus eſt. Claruit devotione erga Deiparam: nil aliud loquebatur, niſi ſpiritui attinentia. Obiit hac die anno 1669. ætat. 60. cum in Choro Te Deum Laudamus perſonaret. De illo exſtat imago depicta in cœnobio Eborenſi Diſcalceatorum; cum celebri Elogio ſic: Ven. Fr. Joſephus á S. Agnete converſus in Piceno natus per annos 35. Religioſus, quam religionem exactiſſime tenuit. Unius exercitatione virtutis oſtendit ſe reliquarum incrementis auctum, tanta in Fratres amabilitate, in egenos facilitate uſus, ut utrobique haberetur in pretio. Labia ejus mel, ac liquidiſſimam pietatem in Deum ſpirabant ubique. Tandem pudicitia clarus obiit pie Romæ 8. Martii 1669, ætat. 60. Hæc ibi. De illo agit Fr. Joannes Bartholomæus Luſtro 15. fol. 459. n. 5. ubi hoc de illo affertur Elogium.

Fr. Joſephus á S. Agnete annum agens
ſexageſſimum
Non ſexageſſimum, ſed centeſſimum afferens fructum
Diem clauſit extremum:
Qui á Rotella oriundus,
In via verus viator,
Sanitoris fungens officio,
Cœlica Apocalipſis animalia imitatus,
Requiem
Die, nocteque non habuit:
In labore indefeſſus,
In oratione aſſiduus,
Una
Ante conſtitutam legis hora,
E ſtrato exiliens,
Davidem pro prototypo habens,
Media nocte ſurgebat
Ad confitendum Domino,
Corpore quidem terrenus,
Animo vero cœleſtis,
Eructavit cor ejus verbum bonum,
Paradiſum
Tertio quoque proferens verbo,
Loquela ſua
Manifeſtum ſe fecit.

In

In Christiparæ amorem propensus,
Qui totum se Deo devoverat
oculo, corculo, dulci
Animulo suo:
Totus omnibus addictus
In cymbalis orationis bene sonantibus
Incessanter psallebat,
Corpora pusillus, animo excelsus
Ad Ecclesiæ ornamentum,
Ad pauperum utilitatem,
Ad Fratrum solatium
Ad Hospitum amænitatem
Turreum contra otium conferens viridariũ
Animam
Sic brumali, vernoque tempore
Floribus, fructibusque reddidit redundans,
Ut
Semper in illo odoratus sit Dominus
Odorem suavitatis
Lustra septena in Religione consũmatus,
infirmitate correptus
Consummatus in brevi,
Cum gemitu apostolico,
Virtutem in infirmitatibus perfecit,
Meritis sententiam intrepide ampletens,
Potens opere, & sermone,
Cum Salomone,
Detestatus omnem industriam suam,
Qua sub sole studiosissime laboravit,
Sacramentis rite susceptis,
factum vena vitæ os ejus,
Talia disseruit,
Ut bene in futurum
Quasi mel indulçabitur ejus memoria.
Tandem purus,
Sicut argentum igne examinatum,
Dilectus Deo, & hominibus,
Ingrediens viam universæ carnis,
Qui in vita venere fuerat distantissimus,
In morte veneri fuit propinquissimus;
Obiit die veneris;
Patribus universis
Tanti Fratris jacturam
Deplorantibus.

F. Ven. Philippa Correa Ulissipone nata é nobilibus parentibus. Inteneris habitum suscepit in cœnobio Eborensi Pueri Jesu. Claruit simplicitate, & humilitati, ob quæ noluit scire caracteres efformare, ne forte ad prælaturas assumeretur, & solum ad divinum officium recitandum legere didicit; sic dignitates Ordinis, tanquam animæ suæ mortem, ut dicebat, abhorruit: claruit patientia, qua læta se se lædentes recipiebat. De nihilo male suspicabatur, imo ad male facta excusationes procurabat. Pauperes sua industria sustentabat, & suis Eleemosynis plures ecclesiasticos fecit, & ut illos aleret, se se multoties jejunam relinquebat. Erga sanctissimum fuit devotissima. Post nonaginta ætatis annos, & septuaginta septem Religionis, sanctissime obiit hac die anno 1608, unde nata est anno 1518, & habitum Religionis suscepit anno 1531. De illa agit late N. Leal in m. s. lib. lit. C. fol. 312.

G. Ven. Cæcilia á S. Francisco, dicta in Sæculo Perina Chevalier floruit sanctitate inter moniales Ursulinas Carcassonæ, ubi obiit hac die an. 1655. ætatis 36. Agit de illa late Chronicon Ursulin. fol. 79.

H. Ven. Maria Ab Angeles, olim dicta Suzanna Gois inter Ursulinas cœnobii de Lanion in Gallia claruit sanctimonia; obiitque hac die anno 1660, ætat. 52, & 37. Religionis. De illa agit Chron. Ursulin. fol. 60.

I. Ven. Paula Antonia á S. Augustino nata est prope civitatem Tui ex Laurentio de Montenegro, & Maria Pereyra de Castro, monialis facta est in cœnobio S. Christophori oppido visionis latæ, ubi mirabili sanctitate vixit, & obiit hac die anno 1687, ut refert N. Villerin. tom. 2. Solaris Augustin. lib. 20. tract. 2. fol. 57.

SEPTIMO IDUS MARTIJ.

IX.

A. Bononiæ in cœnobio Corporis Christi obitus S. Catharinæ Bononiensis, quæ in cœnobio Ferrariensi tunc Ord. S. P. Aug. adminus per septennium, prius vixit sub instituto Augustiniano, & postea in moniales S. Francisci transiens ibi clara virtutibus, & prodigiis, sancto fine quiêvit. *B.* Italiæ in cœnobio Montis Ortoni obitus B. Simonis de Cameritio, qui licet parvi corporis esset, erat tamen virtutis excelsæ, & ingenii acutissimi; fuit egregius prædicator, taliter ut prædicatorum

torum corona diceretur: teſte Pio Secundo mores habuit candidiſſimos: erga Dei honorem zelo ardebat: Religionem reformavit, inſtituens Congregationem Montis Ortoni: ad diſcordes pacificandos induſtriam habuit ſingularem. Tandem tot meritis exornatus, poſtquam plures cœlo lucrifaceret, hac die in cœlum migravit, ſepultuſque eſt in Eccleſia S. Mariæ, ſuæ Congregationis capite. *C.* In monaſterio Montis Falchi memoria BB. Chriſti Sponſarum Claretæ, & Illuminatæ Virginum, & monialium, quæ ibidem rara floruerunt ſanctimonia, quarum corpora integra, & incorrupta in decentiori loco ſunt collocata, ſupra altaris menſam intra cratem ferream, & à fidelibus veneratione coluntur. *D.* In Inſula S. Michaelis Regno Portugalliæ ſubjecta depoſitio B. Margaritæ de Clavibus noſtri Ordinis mantellatæ profeſſæ, quæ poſt ſæculi nuptias, nuptias potiores cum Chriſto in Religione quæſivit, in quo ſtatu vixit mirabili ſanctimonia miraculis confirmata, quæ fuerant ab Ordinario comprobata: cumque ſui obitus diem ante triennium prædixiſſet, in cœlum hac die migravit, & ejus ſepulchrum in magna veneratione eſt. *E.* Neapoli in cœnobio S. Mariæ viritatis depoſitio Ven. Guilelmi á S. Franciſco Fratris Laici, qui inter Diſcalceatos raris claruit virtutibus; erat enim in oratione aſſiduus, obedientia promptus, abſtinentia mirabilis, ſilentii amator, erga infirmos miſericors, patientia rarus, erga S. Mariam Magdalenam devotiſſimus, quæ illi ſæpius apparens, ſolamine recreabat. Infirmarium Ordinis in Purgatorio patientem vidit, defectus erga infirmos in igne purgantem. Poſt centum, & ſexdecim annos, receptis Sacramentis, ſancte hac die denatus eſt; ad cujus exequias perſolvendas multus fuit populi concurſus, & occurſus; & poſtquam per ter ſeptem dies corpus populo eſſet expoſitum, cœleſtem ſpirans odorem, in eodem cœnobio tumulatum eſt, & poſt ejus obitum aliqua per illum Deus operatus eſt prodigia. *F.* In Gallia in Reformatione Urſulinarum depoſitio Ven. Margaritæ de Jeſu, quæ talem ad Religionem contraxit amorem, ut quamvis frater ſuus in bello occiſus foret, & á Patre jam ſene cogeretur é monaſterio egredi ad nuptias celebrandas, & nobilitatem ſui generis conſervandam, erat enim Baro de Reullé; illa non attendens ad promiſſa, & minas parentis, exire noluit, ſed voluit in Religione permanere, ubi claruit rara indole modeſtia, charitate: & brevi conſummata, dicens libentius mori breviter in Religione, quam ſi diutius in Sæculo inter divitias, & delicias viveret, relinquens plura ſuo bona monaſterio ſancte hac die obiit.

COMMENTARIA

AD DIEM NONUM MARTIJ.

A S. Catharina, Bononienſis, etiam Auguſtinianæ familiæ pertinere certum eſt; ab illa enim Religionis ſumpſit exordium. Remlate probant Bulla Nicolai Quinti data *17.* Kal. Maii *1419.* Guarinus in Hiſtor. Ferrarienſi lib. 4. fol. 284, Sodoccus Graſſeti in vita S. Catharinæ apud Henſchenium Actis SS. tom. 2. Martii die 9. fol. 44, & alii ex exteris, & ex NN. Herrera tom. 1. fol. 140, ubi late rem dilucidat, Torelli tom. 7. Sæculor. an. 1463. fol. 132, Joſephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 527. & in ſuo Iman ſpirituali fol. 59. ubi late rem concludit, ut hæc veritas magis innoteſcat liceat apponere veram vitæ S. Catharinæ chronologiam.

S. Catharina Bononienſis nata eſt ex Joanne de Vigris, & Benavenuta uxore illius die octava Septembris anno Domini 1413.

Ingreſſa eſt monaſterium Ferrarienſe, ubi Auguſtinianum inſtitutum ſervabatur, ſub regimine Ven. Luciæ Maſcaronis 1426.

Tale cœnobium tranſiit ad clariſſas, ut conſtat ex Bulla Nicolai V. 1452.

Obiit S. Catharina Bononiæ in cœnobio Corporis Chriſti 9 Martii 1463.

Hac Chronologia vera eſt ex verbis Guarini ubi ſupra, qui ait cœnobium Auguſtinianum tranſiſſe ad clariſſas anno 1452: & conſtat ex verbis ejuſdem ſanctæ adductis à Guarinno, ubi ait: anno ab adventu Chriſti trigeſſimo primo ſupra mileſimum qua-

quadragenteſimum, priuſquam Ordinis inſtitutis, & regulæ ſubjiceremur, eo tempore, quo prima illa noſtra mater Lucia ex Maſcaronum familia hic præſidebat. &c.

Unde plura inferuntur contra Marcum de Lixbona, & Petrum Rodulphum, & alios Ordinis S. Franciſci AA. S. Catharinam habitum Clariſſarum non accepiſſe anno 13, vel 14. ætatis; nec inter eas vixiſſe 39. annos, primum conſtat exdictis; ſecundum patet; quia S. Catharina duntaxat per quinquaginta vixit annos; minus ſeptem menſes; ſedſi ſancta in Religione vixit 39. annos, ut citati AA. referunt, vixit pluſquam 52. quia additis 13, vel 14. ſuæ ætatis ad 39. efficiunt pluſquam quinquaginta duos annos: ergo dicendum eſt, Chronologiam Minoritis factam à vero diſcedere. Unde dicendum eſt S. Catharinam ſub Auguſtiniano inſtituto vixiſſe ab anno 1426. uſque ad annum 1452, & ſic vixit ſub noſtro inſtituto fere 26. annos, & ſub S. Franciſci regula ab anno 1452. uſque ad annum 1463, & ſic ad plurimum ſub illa vixit annos undecim.

B. B. Simon de Camerino, licet à nonnullis male affectis ignominioſe, ſed indigne nominetur, fuit Verbi Divini egregius proclamator, & Congregationis montis Ortoni erector circa annum 1426; & in ſuo ſæculo jubar fulgentiſſimum; nam pacem inter venetos, & Ducem Mediolanenſem toties à Pontificibus, & aliis Principibus in vanum procuratam ſolus confecit, de quo totus orbis obſtupuit, poſt plures in ordine dignitates, & vitam ſanctiſſime tranſactum, hac die, anno 1478, ætatis 86. in pace quiêvit, ſepultus eſt in cœnobio S. Mariæ montis Ortoni cum ſequenti elogio.

Oſſa R. P. Fr. Simonis de Camerino Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, qui temporibus ſuis fuit Corona Prædicatorum. De illo agunt ex exteris Pius II. deſcriptione Europæ cap. 49, Joſephus Ripamontius lib. 13. Hiſtor. Mediolanenſis fol. 830, Bernardus Corius in eâdem hiſtor. p. 6. fol. 405, Arthimanus Schedel in Chron. mundi fol. 295, Orlandus Malavorta 3. p. Hiſt. Senenſ. lib. 2. fol. 43, & alii. Ex NN. Cardin. Ægidius Viterbienſ. in lib. 20. Sæcul. fol. 228, Jacob Bergom. lib. 15. Suplement; Herrera late tom. 2. Alphab. fol. 381, Torelli Centur. 4. c. 7. fol. 374; & tom. 7. ann. 1478. fol. 287. à n. 74; Elſſ. in Encom. Nativitas Monte 2. Corona 5. §. 3. fol. 410. num. 3; Portillo hac die tom. 1. fol. 474. Arpe hac die in Diar. SS. tom. 1. fol. 129. Joſephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 672, & alii plures; cum Arpe in Panth. fol. 215.

C. BB. Claretta, & Illuminata, magna ſanctitate in cœnobio Montis Falchi floruerunt ante annum 1493. Illa corpora ibidem integra ſervantur indecentiori loco collocata, ubi à fideli populo magna in veneratione habentur, & videntur; nec adhuc deſunt miracula. De illis ex exteris agunt Artur de Monſtier in ſuo Gynæceo hac die, Jacobillus de SS. Umbriæ 27. Aprilis, & Henſchenius in Actis SS. in prætermiſſis die 9. Martii, ubi promittens de illis agire 27. Aprilis, promiſſionis ſuæ penitus oblivionem habuit, certe enim oblivioni datus eſt tanquam mortuus à corde. Ex NN. Herrer. tom. 1. fol. 134. tom. 1. Alph. Torelli in Centur. 2. c. 51. fol. 186; Elſſ. in Encom. & alii plures.

D. B. Margarita de Clavibus in inſula S. Michaelis Ordinis Mantellata floruit rara ſanctitate, & miraculis, quæ ab Epiſcopo Angrenſi D. Emmanuele de Gouvea approbata ſunt. Obiit ſancte hac die anno 1570. De illa agit Georgius Cardoſo in ſuo Agiolog. Luſit. ubi aſſerit illam obiiſſe 8. Septembr. & ejus Translationem factam fuiſſe 13. Julii. Ex NN. de illa agunt Simplicianus à S. Martino in Vitis SS. fol. 629, Herrer. tom. 2. fol. 62; Torelli Centur. 5. cap. 31. fol. 554; & tom. 8. ann. 1570. fol. 537. num. 12. Ludovic. ab Angel. in Viridario fol. 531. Elſſ. in Encom. lit. M. Arpe tom. 1. SS. fol. 139, Antonius à Purific. in Chronol. monaſtica hac die fol. 38, Leal in m. ſ. lib. lit. C. fol. 83.

E. Ven. Guilelmus á S. Franciſco inter Diſcalceatos ſub ſtatu Laicali habitum aſſumpſit circa ann. 1598. & in Religione vixit rara ſanctitate; illam ingreſſus eſt ætatis 77, & cum Vixiſſet 116. annos, Neapoli in cœnobio veritatis ſancte occubuit hac die ann. 1637, & de illo aliqua narrantur prodigia.

F. Ven. Margarita de Jeſu filia Baronis Reullenſis in Gallia, inter Urſulinas de Arnay vixit, & obiit raro ſanctitatis exemplo die 9. Martii an. 1654. De illa agitur in Chronol. Urſulin. fol. 287.

SEXTO IDUS MARTIJ.

X.

A. Lutetiæ Pariſiorum natalis S. Droctovei Abbatis, qui monaſticam amplexus eſt vitam ſub N. S. Germano, poſtea Epiſcopo Antiſſiodorenſi, & cum nimia fulgêret ſanctitate, ab ipſo in monaſterio S. Symphoriani Abbas creatus eſt; unde egregiis clarens virtutibus, ad paradiſi gaudia hac die feliciter translatus eſt. *B.* In monaſterio Luxovienſi tranſitus S. Attala Abbatis, qui in Burgundia natus, & ab Arrigio Epiſcopo edoctus, ad monaſterium Lirinenſe profectus, ibi ſub Auguſtiniano inſtituto, vixit rara abſtinentia, pœnitentia, caſtitate, humilitate, & cæteris virtutibus; & hinc ad luxovienſe cœnobium tranſiit, ubi ſub S. Columbano ſancte degit, cujus poſtea in regimine ſucceſſor fuit. Multa operatus eſt prodigia: donec tantis méritis illuſtratus, habens viſionem, ſe intra quinquaginta dies obiturum, ad mortem ſe ſe præparavit, & ante obitum cœli januas aſpexit patefactas, & inter dulcia, & pia culloquia, hac die felicem animam exhalavit, tempore Honorii Primi, & Heraclii Imperatoris. *C.* In Gallia in cœnobio Latiniaco depoſitio S. Æmiliani Abbatis, qui ex Hibernia in Galliam ad S. Furſæum profectus, ab ipſo monachalem vitam edoctus eſt, & cum in ſanctimonia profeciſſet, ab eodem in monaſterio Latiniaco Abbas ſuffectus eſt: ſub cujus tempore maximo cum decore floruit Religioſa obſervantia; donec fortiter devicto mortis aculeo ad triumphantium in cœlis cœtum hac die promeruit ſublimari *D.* Valentiæ in Hiſpania obitus Ven. Geneſii Silveſtri, viri doctrina, & ſanctimonia illuſtris; erat enim raræ indolis, continuæ clauſuræ, & erga ſui detractores egregiæ benevolentiæ; cum ergo ſingulari prudentia plura in ordine munia exercêret, hac die, receptis pie Sacramentis, denatus eſt. *E.* Ulyſſippone tranſitus Ven. Mariæ Raimundes, cui cœli hortatu aparentibus nomen Mariæ in ſacro fonte eſt impoſitum: & licet, ut parentum imperio obtemperaret, nuptias celebraret; tamen ab Sponſo venia obtenta, caſtitatem ſervare inter nuptias, raro exemplo, promiſit; ſed viro obito, inter Mantellatas Ordinis adſcribi voluit; in cujus ſtatu de ſe raræ ſanctitatis dedit teſtimonium; ſeptem quotidie per horas orationi vacabat, in qua aliquando ſenſibus externis privabatur; & aliquando cœleſti ſplendore ſupra caput viſa eſt perfuſa; & ſui ſpiritus calor etiam á circunſtantibus ſentiebatur: claris ergo exornata virtutibus, hac die ad Sponſi cœleſtis thalamum translata eſt. *F.* Cæſar-auguſtæ in cœnobio monialium S. Monicæ memoria Ven. Feliciæ colas fœminæ raræ ſanctitatis, ob quam vocata eſt ad fundandum cœnobium Cæſar-auguſtanum; in cujus regimine ſe omnium fecit virtutum exemplar ſingulare; donec conſummato vitæ curriculo felici exitu é vivis deceſſit. *G.* Salmanticæ in cœnobio monialium tranſitus Ven. Placidæ Antoniæ á Nativitate, quæ in Religione tali ſanctitate vixit, ut etſi illam, quantum potuit, occultaſſet, ex perenni tamen odore, quod ex illa perenniter ſpirabat, ſatis cognoſceretur: & etiam poſt ejus obitum, qui hac die contigit, perſeverat. *H.* Valentiæ in Hiſpania depoſitio Ven. Barbaræ March, vulgo Marineræ, quæ Deo per vota Mantellatarum noſtri Ordinis dicata eſt; & per viam ſalutis, incedens, oratione animum perenni recreabat. Claruit puritate corporis, & animæ, humilitate, pœnitentia, patientia. A' D. Thoma de Villa-nova, ſibi aliquoties apparente, in ſuis neceſſitatibus conſolata eſt; donec tantis méritis exornata, receptis pie Sacramentis, hac die emedio ſublata eſt. *I.* Hac die Translatio Ven. Alexii de Menezes Archiepiſcopi Bracharenſis in civitatem Bracharenſem, ubi in Collegio noſtri Ordinis honorifice conditum, integrum, & incorruptum uſque ad præſens perſeverare narratur.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM MARTIJ.

A. S. Droctoveus Abbas Augustoduni in Gallia natus vixit in monasterio sub S. Germani disciplina, á quo factus est Abbas cœnobii S. Symphoriani, ubi clarus virtutibus sancto fine quiêvit, hac die circa an. 576. Non debet rite inter SS. Benedictinos numerari, quia, ut ait Henschenius in ejus vita fol. 33. S. Benedictus necdum his erat in partibus notus. Insuper, quia ut dicemus, Deo dante, 31 Julii, S. Germanus Episcopus á pluribus inter nostrates numeratur. Si ergo pater cur non & filius nostratibus pertinebit? S. Fortunatus Episcopus Pictavienfis S. Droctoveo dicavit hoc.

EPIGRAMMA.

Vir venerande, sacer méritis, & honere colende,
Droctovee, mihi semper amore Pater.
Qui de discipulis Germani rite Beati,
Norma magisterii factus es ipse sui.
Cujus Pontificis sacra per vestigia currens,
Despicis hunc mundum, dum cupis ire polo.
Perge libenter iter cœli, mansurus in orbem;
Et pro me famulo, quæso, precare Deum.

B. S. Attala Burgundiæ ortus est, & sub Lirinensi cœnobio monachilmum amplexus est, inde profectus ad Luxovienfe cœnobium, ibi sub S. Columbano vixit, & illi in regimine successit, unde méritis, & prodigiis clarus, hac die in cœlum ascendit, coronandus anno *626*. De illo agunt Elssius in Encom. Portillo hac die tomo 1. fol. *486*. Roman. Centur. an. 595. Del. campo in Catalogo SS. lit. A. ubi ait floruisse circa an. 630, Nativitas monte 2. Coron. 2. §. 6. n. 5. fol. 306; Josephus à D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 719, & alii plures cum Saussai in Martyrolog. Gallico.

C. S. Æmilianus in Hybernia natus in Galliam secessit, & in cœnobio Latiniaco vixit sub disciplina S. Fursæi, & ab illo in eodem cœnobio Abbas suffectus est; unde sanctitatis fama clarus in pace quiêvit anno 660. Illum fuisse nostri Ordinis patet, quia si S. Fursæus, ut diximus 16. Januarii, nostræ spectat Religioni, idem de S. Æmiliano ejus discipulo dicendum est.

D. Ven. Genesius Sylvester Alchodii natus est ex Vincentio Sylvestro, & Vincentia Quilis, in cœnobio Patriæ, inter nostros admissus, professus est 2. Martii an. 1636: floruit prudentia in Ordinis dignitatibus, & in vitæ sanctimonia, qua obiit Valentiæ hac die anno 1681; ætatis 60. Agit de illo N. Jorda tom. 2. Hist. Valent. lib. 3. fol. 137.

E. Ven. Maria Raymundes, Ulyssippone nata est ex Ferdinando Nunes, & Catharina Raymundes; jussu parentum nuptias contraxit cum Emmanuele á Fonceca Nobrega. Post 17 annos conjugii, veniam á viro ad votum castitatis eliciendum nacta est; & post annos, viro defuncto, sub disciplina Ven. Ludovici de Montoia vitam spiritualem sequuta est, & habitum, & vitam ingressa est Mantellatarum: & degens sanctimonia rara vitam, incredibili patientia exilium á patria sufferens; redux in patriam, ibi pie decessit hac die anno 1609. ætatis 77. matrimonii 35, & viduitatis 28; sepultaque est in cœnobio Gratiarum. De illa agunt NN. Emmanuel á Conceptione in ejus vita, Ludovicus ab Angelis in Viridario cap. 189. fol. 572. Herrera in Alphab. tom. 1. fol. 65. Torelli Centur. 6. cap. 29. fol. 675. Arpe tom. 1. Diarii SS. fol. 131. Elssius in Encom. lit. M. Portillo hac die, tom. 1. fol. 478. Leal in m. s. lib. lit. C. fol. 84. Purific. in Chronol. monast. fol. 58; & alii ex exteris Agiolog. Lusit. fol. 122.

F. Ven. Felicia Colas in lucem prodiit in Oppido Fortanete regni Aragoniæ ex Dominico Colás, & Urſula Motanana; monialis facta eſt in cœnobio noſtri Ordinis de Morella die 9. Martii ann. 1610, & profeſſionem emiſit 10. Marrii an. 1611. & exinde cum aliis electa eſt ad fundationem cœnobii Cæſar-auguſtani, ubi pluribus clara virtutibus, perdita temporali, vitam reperit æternam anno 1673. De illa ſcribit N. Jorda tom. 3. lib. 3. c. 9. n. 9. fol. 223.

G. Ven. Placida Antonia á Nativitate Genuæ orta eſt ex Marco Aurelio Galiano, & D. Catharina Merela; parentes ejus cum Comite Monterrei Vice-Rege Neapolitano in Hiſpaniam profecti ſunt; tunc eorum filia Placida patrocinio comitis patroni cœnobii Salmantini adepta eſt locum in eodem cœnobio, ubi poſt profeſſionem miro miræ ſanctitatis odore degit, & poſt annos aliquos hac die pie obiit anno 1687, cujus exuviæ tanquam reliquiæ á pluribus ſervatæ ſunt. Refer N. Villerinus tom. 2. ſui Solaris lib. 32. Additione 7. fol. 448.

H. Ven. Barbara March lucem vidit in oppido Vinarós regni Valentiæ, & ſtatim á primis annis inter Mantellatas Ordinis profeſſionem emiſit, & in toto vitæ curriculo de ſe rarum dedit ſanctitatis teſtimonium, quod ſervans uſque ad finem hac die 10. Martii anno 1695. pie deceſſit, ætatis fere conteſimæ, & 32. Mantellatæ. De illa agunt NN. Jorda tom. 2. Hiſtor. Valentiæ lib. 3. c. 48. fol. 237, & Joſephus á D. Antonio in Iman Spirituali fol. 97.

I. Translatio, ſeu potius inventio corporis Ven. Alexii de Menezes, Archipræſulis. Bracharenſis, qui obiit die 3. Maij anno 1617, ſepultuſque eſt in noſtro cœnobio S. Philippi, & hac die anno 1621. inventum eſt corpus ejus incorruptum. Ita referunt N. Herrer. in Alphab. tom. 1. fol. 31; & Joannes Bagata Theatinus tom. 2. de Admiranda orbis Chriſtiani in Appendice 4. ad cap. 3. num. 92. Attamen pace tantorum virorum, apponam relationem noſtrorum Fratrum, qui Matritum profecti ſunt, ut ſecum deferrent corpus Ven. Alexii de Menezes, quæ eſt m. ſ. in mea poteſtate; cujus verba ſunt ſequentia.

Die duodecima Martii anno 1621. die S. Gregorii á ſeptima noctis hora uſque ad octavam, ingreſſi ſumus Sacriſtiam S. Philippi Matriti Ord. S. P. Auguſtini, ut aperiremus ſarcophagum, Illuſtris, & Reverendiſ. D. Fr. Alexii de Menezes tam defuncti, & cognoſceremus, an corpus ejus conſumptum eſſet. Vidit pheretrum velo nigro foris coopertum infra altare Sacriſtiæ, & duabus clavibus concluſum. Aperto pheretro non eſt egreſſa mephitis à corpore defuncto; licet veſtes & ullæ pheretri tabulæ eſſent putrefactæ ob humiditatem, quæ in illo loco nimia eſt. Mox corpus foras eductum eſt, & expulſis veſtibus Pontificalibus, omnes enim erant corruptæ, non autem interiores, quæ erant adhuc fortes, & rigidæ, & induſiam ſervavit P. Fr. Petrus Baptiſta, ut illam ad cœnobium S. Monicæ Goenſe mitteret, ob nimiam devotionem, quam illius moniales erga hunc ſuum habent fundatorem. Corpus licet ſine balſamo humatum, integrum eſt, veluti in principio tumulatum eſt: & ſolum vultus ob vomicam poſt obitum emiſſam manſit nigrefactus; habet ſindonem deſuper impoſitum. Integer manet, & ſi nigrefactus, duntaxat in naris extremitate conſumptus: oculi, dentes, barba, & coma in corruptionem induêre: corpus non eſt myrrhatum, imo in multis partibus oſtendit carnem cum nativo colore. In pede dextero ob corruptionem calcei oſſicula digitorum avulſa ſunt, & ſervavi in ſindone munda, & habebant in ſe humorem ſanguineum, & P. Mag. Didacus Lopes aliud oſſiculum invenit, cum ſimili humore &c. Ex hac relatione veridica conſtat inventionem, ſeu Translationem factam fuiſſe 12, non vero 10. Martii.

Verum, ut opinor, Translatio Corporis Ven. Alexii de Menezes ad Bracharam hoc anno non facta eſt, ſed in anno 1624. die 10. Julii, ut conſtat, ex alia relatione apud me ſervata, ex qua conſtat P. Fr. Franciſcum de Mendoça Rectorem Collegii Bracharenſis in Matritum profectum, habitu prius licentia Ducis de Villa Hermoſa Præſidentis concilii Portugalliæ, quam præſentavit P. Franciſco Giral Priori cœnobio Matritenſis, corpus Ven. Alexii accepiſſe, ad ſtantibus PP. FF. Magiſtro Ludovico dos Rios, Eugenio Urozo, Andrea de la Varga, Gondiſſalvo Golçalves, Luca á Trinitate, & Joanne Sanctus Bravo, qui omnes affirmarunt illud eſſe proprium corpus dicti Domini Archie-

Archiepiſcopi, quod in illo loco depoſitum eſt in præſentia dictorum Patrum in Maio in anno 1617, & dictus P. Fr. Franciſcus de Mendoça illud recepit, & reverenter involvit in ſindone alba, & in ſuam poteſtatem recepit, adſtantibus ad omnia PP. relatis, & Franciſco Pereira de Betancor ſcriba cameræ regiæ, qui me præſente dicti corporis manus oſculatus eſt, & cum de omnibus à me Antonio de Almeyda Equite nobili domus Regiæ, & ſcriba Conſilii Portugalliæ, præſens petitum foret teſtimonium, illud dedi die, & anno ſupra relato, & cum nominatis conſcripſi.

QUINTO IDUS MARTIJ.

XI.

A. Carali in Jardinia memoria S. Euthymii Epiſcopi, & martyris, qui ex Affrica ſimul cum S. Fulgentio relegatus, & ibi Epiſcopus Calaritanus creatus, poſtea in fidei defenſionem martyrio coronatus eſt. *B.* In Scotia martyrium 8. Conſtantini Regis Cornubii, qui regnum terrenum deſpiciens, cœleſte promereri cœpit, ſicque ſub S. Columbani diſciplina monachiſmum amplexus, cum illo in Scotiam perrexit, & fidem *Scotis*, & Pictis prædicavit: quo tempore monaſterium in Gavano erexit, juxta Cludium, cui ipſe præfectus eſt, totamque terram Kintire adfidem convertit, ubi ipſe martyrio coronatus eſt, & in ſuo monaſterio apud Gavane tumulatus eſt. *C.* Legione in Haſpania martyrium S. Vincentii monachi, qui adductus ad Ricilianum Arrianum, & admonitus ut ſuum dogma ſequeretur, & rem abominans, Crudeliter, Arriano jubente, flagellatus eſt; deinde interrimum carcerem incluſus, ibi ab Angelo apparente ſanatus eſt; ſed altero die adductus in patibulum, ad ultimum decollatus eſt. *D.* Ibidem eodem die paſſio S. Ramiri monachi ſucceſſoris S. Vincentii, & duodecim Fratrum, qui in defenſionem fidei ab Arrianis membratim diſſecti ſunt. *E.* In Gallia tranſitus S. Firmini Abbatis Ambianenſis, & Confeſſoris, qui ſanctitate clarus hac die in cœlum migravit. *F.* In cœnobio Claravallenſi obitus B. Juliani viri excellentia doctrinæ, & integritate vitæ illuſtris, qui cum prius ſub noſtro aliquandiu vixiſſet inſtituto, in Ciſterſienſem Ordinem ſe contulit, ubi ſanctitate, & miraculis fulgens, hac die in cœlum translatus eſt. *G.* Senis in celibri cœnobio Iliceti depoſitio B. Bandini de Scottis Senenſis, viri heroica prædiți ſanctimonia, & præcipue in ſilentii virtute clari, nam cum aliquando aſellum cœnobii à fure amoveri cerneret, ne ſilentium ſtatum labefactaret, nec adduci vetuit, nec ulli furem indicavit, ſed celer Eccleſiam introiens, ibi ante Deum cum lacrymis cauſam egit, & ſuis precibus fecit, ut fur cum furto immobiliter ſtetiſſet, & non poſſet extra Ilices egredi, donec inventus furtum reſtituiſſet. Multum profuit in rebus temporalibus, & ſpiritualibus cœnobii Ilicetani, & cum illo in eodem cœnobio vixit Sanctus Franciſcus; & illum ſatis laudavit ob integritatem, & geſta, Eugenius Quartus. Cumque vitam ſanctis traduxiſſet moribus, clarus prodigiis, hac die ad cœleſtia regna volavit. *H.* In Pratenſi cœnobio in Senis exiſtenti obitus B. Brunchi de Roſſis, cognomento Rubei, qui Romanas aſpernatus aulas. Romæ noſtro eſt habitu indutus; inde in patriam reverſus, ibi aliquandiu vixit, donec á ſeipſo ædificato S Annæ cœnobio Pratenſi, in illud ſe recepit, ubi in magna ſanctitate reliquum vitæ traducens, finem vidit vitæ mortalis, & principium immortalis. *I.* Genuæ in cœnobio S. Sebaſtiani depoſitio Ven. Clementiæ Benedictæ coſtapelegrinæ monialis, cujus virtus præcipua erat flagrantiſſima Dei dilectio, qua ejuſdem contemplationi addictiſſima videbatur, ita ut multoties in extaſes raperetur, attamen factibilia ad proximorum profectum perage-re non deſinebat; & adeo paſſionis Dominicæ devota fuit, ut jugiter meditationum ſua-

rum

rum argumentum die veneris, in qua celebrabatur Chriſti obitus, occumbere, ut ſic quæ fuerat Chriſti patientis ſocia, fieret etiam ejuſdem conſors Reſurrectionis in cœlo; obiit ergo hac die ingentibus prodigiis glorioſa. *L.* Matriti in Hiſpania depoſitio Ven. Mariæ á S. Auguſtino noſtri Ordinis Mantellatæ, quæ cum de ſe vitæ inculpabilis redderet teſtimonium, cum magna ſanctitatis opinione hac die ibidem deceſſit. *M.* Alchodii in cœnobio monialium natalis Ven. Thereſiæ de Jeſu, quæ ab ingreſſu Religionis in omnium virtutum genere coruſcavit; floruit enim pœnitentia, humilitate, obedientia, & oratione: claruit devotione erga Puerum Jeſum, quem quotidie multoties de genu adorabat, & quadam die quingenties illum cum piis colloquiis adoravit. Morbo tamen gravi correpta, & recipiens omnia Eccleſiæ Sacramenta felicem animam, exhalavit; quo tempore, nox erat, lux ingens totum implevit cœnobium, taliter ut nox ſicut dies illuminaretur. *N.* In Gallia in Reformatione Tullenſi Urſulinarum mors pretioſa Ven. Columbæ á Spiritu Sancto, de qua fertur, fuiſſe filiam veram S. P. Auguſtini, claruit enim mira ſimplicitate, & ab Spiritu Sancto in fidei myſteriis fuit edocta, ſupplevit enim parentum incuriam, qui de illis nihil docuere; cum autem plura á parentibus opprobria, & dæmonis teſtamina pateretur, illam enim aliquando in flumine mergere tentabat; inter Urſulinas Tullenſes admiſſa eſt, ubi claruit ſimplicitate, humilitate, obedientia, & oratione. Electa prioriſſa claruit zelo obſervantiæ, & prudentia in regimine. Etſi ſæpe á dæmone tentaretur, illum tamen fortiter protrivit. Claruit in vita pluribus miraculis; nam cum aliquando in feria quinta ſancta monialium pedes lavaret, & inter eas una foret, ſub cujus pede ulcus moleſtum erat, & vix Ven. Columba illius lavavit, & oſculata eſt pedem, ulcus monialis ſanatum eſt. Plena tandem méritis, & prodigiis, apopletico morbo correpto, hac die felici exitu deceſſit, & pauperes ejus exuviæ, inter quas corrigia, de ſe cœleſtem ſpirabant odorem: & cum aliquando quidam Vicarius Generalis juxta ſuum tranſiret Sepulcrum, pro illius anima Pſalmum De profundis cum oratione recitans, ſenſit é Sepulcro gratum diffundi odorem.

COMMENTARIA

AD DIEM UNDECIMUM MARTIJ.

A S. Euthymius Epiſcopus, & Martyr circa an. 560, qui, ut opinor, hac die recolitur, in qua S. Euthymius archipræſul Sardicenſis in Aſia celebratur, de quo Henſchenius hac die in Actis SS. qui certe iſte eſt, qui teſte Dionyſio Bonfant in Triumpho martyrum Sardiæ lib. 12. cap. 50. fol. 422. fuit Epiſcopus Caralitanus in Sardinia, cujus corpus an. 1617. inventum eſt in templo Calaritano S. Saturnini cum hac inſcriptione: Mar. Epſ. Eutimius. Erat ad partem ventris fibula, exqua adſtantes dixerunt fuiſſe Auguſtinianum, & unum ex Epiſcopis, qui cum S. Fulgentio ad Sardiniam fuerant ex Africa relegati; ſicut etiam in alio Sepulcro inventa eſt Crux ferrea in pectore, & fibula rotunda ad pedes. De S. Euthimio agunt NN. Herrera tom. 1. Alph. fol. 207. Torelli in Centur. 1. c. 46. fol. 79. Elſſius in Encomiaſt. & alii ex noſtris. Ex exteris Henſchen. in Actis SS. hac die.

B. S. Conſtantinus Rex, ſpreto cornubii principatu ſub S. Columba monaſchiſmum amplexus eſt, & erecto cœnobio juxta Cludium, poſtea in odium fidei, quam ſatis defenderat, martyrio coronatus eſt hac die anno 576, & in ſuo monaſterio apud govane tumulatus eſt. Cum ergo ſub S. Columbæ diſciplina vixerit, clare infertur noſtri Ordinis fuiſſe; tunc enim temporis in Scotia non Benedictina, ſed Auguſtiniana ſatis florebat Religio, á N. S. Patritio plantata. De S. Conſtantino præter alios agit Henſchenius hac die in Actis SS.

C. S. Vincentius Abbas in monaſterio Legionenſi in Hiſpania poſt dira flagella, decollatus, martyrio clarus caput in cœlo abſcondit hac die an. 546. cujus Translatio celebratur in Eccleſia Oviedi die 11. Septembris: quo die de illo fit in Martyrologio Romano commemorario. De illo

ex

ex NN. agunt Torelli tom. 2. fol. 306. Portillo hac die, tom. 1. fol. 492. Josephus à D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 719. Ex exteris Tamay, & alii apud Henschenium hac die; de hoc agit Martyrolog. Rom. 11. Septemb. in die Translationis

D. S. Ramirus successor S. Vincentii in regimine ejusdem cœnobii titulo SS. Daudii, & Lupercii, ab Arrianis multa passus tormenta, cum aliis duodecim monachis martyrio coronatus est circa idem tempus; & de illis fit mentio apud Henschenium, & alios hac die. Ex NN. de illis agunt, Torelli ubi sup. fol. 308, Portillo, & Josephus á D. Antonio ubi sup. & Henschen. in Actis SS.

E. S. Firminus, Abbas Ambianensis in Gallia, hac die affertur á Martyrolog. Rom. Gallico, & Actis SS. Henschenii. In Aditamento ad Chron. Ven. Alexii de Menezes asseritur illum fuisse nostri Ordinis.

F. B. Julianus ex Ordine nostro transiit ad cisterciensem, ubi sanctitate, & miraculis coruscavit, ut referunt Saussai, Philippus signinus, Henricus, in Menologio cistertiensi, Henschenius in prætermissis hac die in Actis SS. ex NN. Josephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 537.

G. B. Bandinus de Scoltis, seu de Balsettis senis é nobilissima familia de Scoltis, una ipsaque cum Balsettis, inter nostros admissus est, ignoratur dies, & annus: scitur tamen fuisse Iliceti Priorem prima vice anno 1222, & cum illo Iliceti vixisse S. Franciscum, ut constanter asserit inter gravissimas A N. noster Philippus Agazzarinus vir sanctus, qui obiit anno 1422. in vita B. Bandini fol. 57. Iterum prior electus est an. 1260. in Collegio Senensi, & iterum an. 1264. & tandem an. 1274. electus est Provincialis Senarum per biennium, quo tempore contigit prodigium de furto relato. Tandem dierum, & meritorum, plenus, ad stolam immortalitatis transiit 11. Martii an. 1276. ejusque exuviæ Iliceti requiescunt. De illo cum laude agunt ex NN. Bernard. Monaldius in vitis BB. Iliceti Ven. Marcellinus Altesius in Elogiis, Cardin. Acgidius Viterb. in Panegyri, Ambros. Landucci in Sylva Ilicetana Elogio 10. fol. 87, Herrera 1. p. Alphab. fol. 92, Torelli in Centur. 2. cap. 20. fol. 155. Delcampo in Catalogo SS. lit. B. Portillo tom. 1. fol. 497. hac die, Arpe 1. p. Diarii SS. hac die fol. 135, Josephus á D. Antonio 1. p. Floris SS. fol. 534. Apud me est hujus B. imago depicta cum radiis.

H. B. Brunectus de Rossis Senis natus est anno est 1221 ex patre Damiano, Romæ nostro est indutus habitu anno 1252 annos triginta tenens; inde rediens cum duobus soccis, & Fr. Josepho de Benvenutis Florentino, & Guidone de Rubeis Patrensi, in cœnobium S. Annæ á se constructum, ibi reliquum vitæ cursum sanctissime absolvit die 11. Martii anno 1298. ætatis 75. Cum aliis SS. Imaginibus est in mea potestate imago B. Brunecti cum radiis, & celebri Elogio. De illo agunt ex NN. Herrera p. 1. fol. 93, & p. 2. dum de cœnobio Pratensi fol. 297, Torelli in Centur. 2. cap. 34. fol. 168. Elss. in Encom. lit. B. Landucci in Sylva Ilicetana Elogio 11. fol. 88; Hoyerus in vita B. Joannis Chisii Senensis Arpe p. 1. Diarii SS. hac die fol. 133. Josephus á D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 536, Portillo tom. 1. hac die fol. 499. & alii etiam ex exteris.

I. Ven. Clementia Benedicta Costa-Pelegrina monialis floruit sanctitate, & prodigiis in cœnobio Genuensi S. Sebastiani, & obiit ibi die Veneris 11. Martii anno 1650. de illa agit P. Anterus N. Discalceatus super acta Apostolorum, c. 2. fol. 37, & Chronicon hujus monasteri, quod de Papia nuncupatur.

L. Ven. Maria á S. Augustino nostri Ordin. Mantellatæ obiit Matriti 11. Martii an. 1637. cum magna sanctitatis opinione, ætatis 105. sepultaque in cœnobio S. Philippi in transitu sacristiæ ad altare maius cum celebri Elogio, ut refert N. Herrera tom. 2. Alph. fol. 71; Torelli in Centur. 6. cap. 95. fol. 760.

M. Ven. Theresia de Jesu Alchodii orta est ex Gaspare Sani, & Angela Gisbert, habitum monialium assumpsit ibidem in cœnobio S. Sepulchri ann. 1607, ubi vixit, & obiit mirabili virtutum splendore die 11. Martii anno 1650, ut testantur NN. Villerin. tom. 3. Solaris Augustin. lib. 36. tract. 2. §. 1. fol. 145, Jorda tom. 2. lib. 5. c. 4. Hist. Valent. n. 11. fol. 499.

N. Ven. Columba à Spiritu Sancto Ursulina de Tulles in Gallia floruit rara sanctimonia, & multis prodigiis; obiit sancte hac die anno 1659. De illa agitur in Chronico Ursulinarum fol. 263.

QUAR-

QUARTO IDUS MARTIJ.

XII.

A. Romæ obitus S. Gregorii Magni, Papæ, & Eccleſiæ Doctoris, doctrina, & ſanctitate celeberrimi, qui contemptis mundi illecebris, & Prætura Romana, conſtructo Romæ S. Andreæ cœnobio, ibi monachiſmum amplexus eſt ſub inſtituto S. Equitii, quo poſtea prælaturam exercuit; ob rarum vitæ exemplum à Benedicto Primo creatus eſt Diaconus Cardinalis; defunctoque Pelagio ſecundo, Pontifex ſummus creatus eſt, ubi mirum eſt, quæ fecit, dixit, & ordinavit: donec poſt tredecim annos, & ſex menſes, in quibus ſanctiſſime Eccleſiam Gubernavit, hac die in cœlum migravit, Foca imperante, ſepultuſque eſt in Eccleſia S. Petri. *B.* In Britania Minori tranſitus S. Pauli Leonenſis Epiſcopi, qui Spiritu Sancto ductus, in Erémum ſeceſſit, ubi ſub S. Hilduto monachiſmum amplexus, Angelicam vitam duxit; ſed ab Angelo admonitus, cum nonnullis ſociis in Armoricam perrexit, ubi in Eremo aliquandiu permanſit; ſed iterum ab Angelo admonitus, in inſulam Medoniam profectus eſt, ubi in rupe clauſus Eremitice degit miraculis illuſtratus; quæ ad aures Childeberti Francorum Regis pervenére: ob quæ illum Epiſcopum Leonenſem, licet invitum, creavit, ubi mira fuit ejus paſtoralis ſolicitudo. Tandem profectus in inſulam Bathan, ibi prodigiis, & prophetico ſpiritu illuſtris, ſui obitus præſcius, hac die virgo in cœlum abiit in ætate plus centenarius. *C.* Apud Marrochium triumphus glorioſus Ven. Joannis del Corral, qui deſiderio fidei dilatandæ commotus, in Sapponiam ſe contulit, ſed in via à Mauris captus, inter eos aliquandiu, multa perpeſſus, detentus eſt, ſed cum ab impio Maurorum Rege Muley Abelmelech cogeretur ad fidem abjurandam, & ille ſcelus deteſtaretur, illius promiſſa, & minas contemnens, abipſo Rege bis vulneratus, fere abſciſſo capite, in cœlum aſcendit minutus in capite, ſed creſcens in gloria, repetens Pſalmum, Miſerere mei Deus, proprio ſanguine Breviarium, quod ferebat, cruentans: ſed in pœnam ſceleris Regis nefarii manus percuſſa paralyſi diriguit. *D.* Brixiæ in cœnobio S. Urbani obitus Ven. Eliſabethæ Ardeſiæ, quæ cum aliquando vitiis ſe ſe ingurgitaret, audito ſermone in meliorem frugem reducta, adepta à Cathedrali quodam Eccleſia S. Urbani, ibi de præteritis culpis ſumens vindictam, conſtructo monialium cœnobio de licentia Julii ſecundi, rara ſanctimonia vixit; & illam Deus multis gratiis illuſtravit, & præcipue penetratione cordium. Tandem multis clara virtutibus, & prodigiis, receptis pie Sacramentis hac die, ut creditur, in cœlum migravit, cujus corpus poſt ſeptem, & quadraginta annos cum habitu ſine ulla Læſione inventum eſt incorruptum. *E.* In cœnobio Goenſi monialium S. Monicæ depoſitio Ven. Meciæ á Spiritu Sancto monialis, etſi pauperis, tamen virtutibus ditiſſimæ, erat enim nimii candoris, humilitatis, ſubjectionis, & obedientiæ: erga B. P. Auguſtinum erat devotiſſima: brevi tamen conſummata inter monialium ingentia deſideria, receptis Sacramentis, hac die pie deceſſit, & poſt obitum pallor ex morbo contractus in mirabilem converſus eſt pulchritudinem. *F.* Valentiæ in cœnobio S. Gregorii memoria Ven. Caſſildæ a S. Paulo monialis, quæ claruit obſervantia Regulari, pœnitentia, & oratione, quam fere per totam noctem protrahebat. Quotidie Sacramentis pœnitentiæ, & communionis ſe ſe roborabat, & in hac plures eſt experta delicias. Claruit ſpiritu prophetiæ, & quoties aliqua ex moniſabus cœnobii obitura, prius illi Deus monialis obitum revelabat, & tunc illa moniales ad præparationem admonebat. Donec ipſa innumeris méritis ornata, Sacramentis munita, é vita pie deceſſit. *G.* In eodem cœnobio recordatio Ven. Catharinæ Ægiptiacæ monialis rari exempli, votorum claruit obſervantia, paupertate,

pertate, quodquid enim poſſederat, paupertatem redolebat; in obedientia, & humilitate, & chori aſſiſtentia fuit ſingularis. Corpus incredibili pœnitentia macerabat; talis ejus fuit patientia, ut, cum aliquando ab altera moniali graviter læderetur, illa ad monialis pedes provoluta eſſet, veniam déprecans, & dicens: ſoror ob Dei amorem mihi ignoſce; tibi enim, ut iraſcerêre, cauſa fui. Dono lacrymarum claruit, taliter, ut in ejus vultu apparéret canalis lacrymarum: claruit etiam intenſa erga Deiparam devotiône, quam maximo cum affectu in neceſſitatibus implorabat. Ad mortem ægrotans, receptis ſumma cum devotiône Sacramentis, Creatori ſuo animam tradidit coronandam. *H.* Ibidem memoria Ven. Urſulæ Hyacinthæ monialis, cujus vita ab ingreſſu ad Religionem fuit raro exemplo illuſtrata, claruit enim humilitate, patientia, paupertate, pœnitentia, ſilentio, ſolitudine, oratiône, quam ad modum crucis habebat vulgariter. Æſtate ſub meridiano ſole cœnobii tectum aſcendens, ut torreretur, orationi ſe dabat; puritatem corporis, & animæ adamuſſim ſervavit: Sacramenta quotidie frequentabat, quibus armis ad mortem præparata, illam felici exitu deglutiit. *I.* In cœnobio Peniganim in territorio Valentiæ tranſitus Ven. Joſephæ á Nativitate, cujus anima adhuc pueritia á puritate taliter redolebat, ut ipſi adhuc Novitiæ apparuerit Puer Jeſus totus cœleſtibus circumſeptus ſplendoribus, & mirabili vultus pulchritudine exornâtus, qui ab illa ter ſciſcitatus eſt, ſi illum pro Sponſo voluerit, annuentiſque manu apprehenſa, cum illa ſponſalia celebrâvit. In illa aſſiduitas in choro fuit ſingularis, oratio perennis, pœnitentia rigida, patientia in morbis incredibilis, quibus ad mortem exhauſta, & amore in cœleſtem Sponſum inflammâta; illi animam ſuam hac die tradidit coronandam.

COMMENTARIA

AD DIEM DUODECIMUM MARTIJ.

A. S. Gregorius Papa electus fuit ann. 590 die 3. Sept. ſedit annos 6, & dies 10, obiitque anno 604. die 12. Martii. Tantis fuit ditatus virtutibus, & glorioſus factis, ut cognomen Magni mererêtur. Hinc tamen exóritur quæſtio ſatis difficilis; ſub cujus regula, & monáchatu vixerit! Plures enim illum ſibi volunt irrógare: ſcilicet Carmelitæ cũ Lezana, Trithemius cum ſuis Benedictinis, qui rem ſuis ambagibus confundentes, ſibi triumphum clamant in certamine: aſt quia meos Coeremitas in hac parte læſos exiſtimo, pro illorum jure mihi clamare fas ſit, memor enim ſum ſententiæ Naſonis, qui in lib. de Arte amandi 1. in principio cécinit.

Si tibi ſint Fratres, Fratres ulciſcere læſos:
Cumque Pater tibi ſit, jura tuêre Patris.

Dico ergo, me apud noſtrates jus quaſi inconcuſſum invenîre, ut S. Gregorium inter ſuos numerent ſanctos, & in præſentiarum número. Non deſunt AA. nobiſcum ſentientes, ſunt nonnulli, ſcilicet Baronius, Gallonius, Ciacconius, Spondanus, Lezana, Joannes Mauburnus, Joannes Nigravalle, NN. Ludovicus ab Angelis in Chron. m. ſ. Antonius á Purificat. tom. 1. Chron. lib. 2. tit. 5. fol. 225. & in Antidoto cap. 8. fol. 100. Torelli tom. 2. an. 581. Jorda in Excellentiis Regulæ lib. 3. cap. 6. fol. 318. & quotquot rem meâ dúllitus contemplantur. In memoriam reduco illam vêterum, & célebrem quæſtionem, quæ anno 900 exorta eſt inter Clericos Eccleſiæ S. Andreæ, ubi S. Gregorius monachiſmum amplexus eſt, & Cardinalem Joannem, qui cum Romæ novitatem vulgaret aſſerentem, S. Gregorium vixiſſe ſub S. Benedicti regula, huic Cardinalis opinioni Clerici obſtitêre, & delatæ ad judices liti lápidem impoſuit Cardinalis, timens certe, ut ſua opinio tanquam falſa noſceretur. Si tunc quæſtio ſolverétur, poſtinde vires non conciperet

tam potentes; certum enim eſt illud Naſonis: Principiis obſta, ſero medicina paratur. Attamen, Beatiſſime Gregori, quæſtionem de te ortam da concludere, in præſentiarum enim cum Naſone canam.

Tot tamen amiſſis te compenſavimus unum;
Tu Dominus, tu vir, tu mihi Frater eras.

Nec me terret præſentis quæſtionis arduitas, quia cum eodem dico.

Ardua molimur, ſed nulla niſi ardua vincunt;
Difficilis noſtra poſcitur arte labor.

Aſſertum probo ex verbis ejuſdem ſancti, qui lib. 4. Dialog. ait venantium é provincia Valeriæ eductum, fuiſſe prælatum cœnobii S. Andreæ, ubi ipſemet habitum aſſumpſerat, ſed monachi talis provinciæ degebant ſub diſciplina S. Equitii, qui alienus erat ab inſtituto S. Benedicti: tum quia S. Equitius S. Benedicto antiquior fuerat, ut aſſerunt Baron. tom. 7. ann. 581, Azor tom. 2. lib. 5. cap. 43, & Suares tom. de Relig. c. 2. & omnes NN. tum quia, ut ait Baron. ubi ſup. n. 12. ſic: Tot ejuſdem S. Gregorii aſſertionibus, quibus non acquieſcere nefas, non eſt, qui negare jure poſſit S. Benedicti, & S. Equitii diverſas inter ſe, atque diſtinctas fuiſſe collectiones monachorum: ergo inſtitutum, ſub quo vixit S. Gregorius, longe diverſum erat ab inſtituto S. Benedicti. Confirmatur, quia S. Benedictus in ſuis biſſenis cœnobiis, ut ait D. Gregorius, ſolum 144. monachos habebat, nec de illo ullus narrat habuiſſe moniales; ſed S. Equitius ſub ſuo inſtituto regebat monachos, & moniales innumeras, ut teſtantur hiſtoriographi vitæ S. Equitii: Ergo. Inſuper quia S. Benedictus interdicebat in ſuo Ordine Sacerdotes, ut clare colligitur ex cap. 60. regulæ ſuæ ſic: ſiquis ex Ordine Sacerdotum in monaſterio ſe ſuſcipere rogaverit, non ei citius quidem aſſentiatur &c. Et ita aſſerit N. Delcampo in Hiſtor. Generali p. 1. lib. 2. cap. 14, dicens in ipſo ordine incepiſſe eſſe ſacerdotes ex anno 1171, & illud probat inconcuſſe cum Petro Bleſſenſi, & N. Proſpero Stellartio in Fundamine Relig. fol. 406, ſed S. Equitii inſtitutum non prohibebat ſacerdotes, ut conſtat ex D. Gregorio, qui talis fuit, & ex illis, qui in Angliam miſſi ſunt; erant enim omnes ſacerdotes, quorum plures ibi creati ſunt Epiſcopi, & alii in eccleſiis ſerviebant: ergo inſtitutum S. Equitii, ſub quo S. Gregorius vixit, erat á S. Benedicti inſtituto longe diverſum: unde contradicunt textui allegato S. Gregorii, prælatum cœnobii S. Andreæ á Caſſinenſi cœnobio eductum fuiſſe, aſſerentes. Inſuper quia ſine fundamento hoc aſſerent: unde nil valet authoritas Joannis Diaconi, ſi forte hoc aſſerit.

Probatur amplius aſſertum é regula, quam S. Gregorius profeſſus eſt, quæ certe fuit Auguſtiniana, ut probant Mauburnus in ſuo Venabulo lib. 3. cap. 7. Nigravalle in Compendio, & alii, & patet ex lib. 4. Dialog. S. Gregorii cap. 55. ubi ait: Præpoſito á me accerſito dixi &c. Et infra etiam vocat prælatum eodem titulo Præpoſiti; ſed hic titulus ab Ordine S. Benedicti eſt alienus, & proprius Auguſtinianæ Religionis, ut dicitur in Regula ſic Præpoſito tanquam Patri obediatur: ergo. Confirmatur ex Ven. Beda, qui loquens de vita, quam profitebantur monachi ex cœnobio S. Andreæ in Angliam miſſi á S. Gregorio, ait vivere vitam Apoſtolicam ſic: ubi ſibi datam manſionem intraverunt, cæperunt apoſtolicam primitivæ Eccleſiæ vitam imitari, orationibus videlicet aſſiduis, vigiliis; ac jejuniis ſerviendo &c. Sed hoc inſinuatur in Auguſtiniana Regula ſæpius: & confirmatur ex S. Poſſidio dicente de S. P. Aug. cæpit vivere ſecundum regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam. Item ex S. P. Aug. qui in lib. de opere monachorum c. 28. ait: ſine me frater S. Paululum; dat enim Dominus mihi per te magnam fiduciam, eos ipſos alloqui filios, & fratres noſtros, quos novi, quanta dilectione parturiat nobiſcum, donec in eis apoſtolica diſciplina formetur. Et de jejuniis dicitur in regula: carnem veſtram domate jejuniis &c. Et: orationibus inſtate horis, & temporibus conſtitutis: ergo illorum regula erat Auguſtiniana; ſed hæc

ipſa

ipsa fuit observata á S. Gregorio in cœnobio S. Andreæ, unde tales sunt egressi: ergo. Patet hoc amplius ex verbis D. Gregorii allatis in fine lib. 12. Epistolarum, ubi scribens ad suum discipulum Augustinum Angliæ existentem ait: sed quia tua fraternitas monasterii regulis erudita, seorsum vivere non debet á clericis suis, in Ecclesia Anglorum, quæ authore Deo, nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere conversationem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum, exhis, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia: sed hæc ultima sunt verba regulæ Augustinianæ, ut per se patet: ergo.

Probatur assertum ex habitu S. Gregorii, qui scitur nigri coloris fuisse, non tamen solutus ad instar Benedictinorum, sed præcinctus corrigia, ut ait Joannes Diaconus lib. 4. cap. 80. vitæ S. Gregorii: nec supercilium erat angustum, nec in angulis apertum, ut utuntur Benedictini ex præcepto sui Patriarchæ, teste Fr. Leone tom. 1. suæ Benedictinæ tract. 1. cap. 15. sed totum concluſum, latum, & usque ad aures descendens, ut constat ex imagine ab ipso B. Gregorio jussa depingi, ut referunt Joannes Diaconus, Baronius in Annalibus an. 604.

Cum ergo nec institutum, nec regula, nec habitus S. Gregorii fuerit Benedictinus; imo Augustinianus, dicendum est jure merito inter nostrates numerandum esse S. Gregorium. Cætera, quæ desunt, in NN. Torelli, & Purificat. ubi sup. videantur; qui satis respondent argumentis P. Acgidii à S. Benedicto, qui ultimo rem innumeris discussit ambagibus.

B. S. Paulus Episcopus Leonensis discipulus fuit S. Hilduti, de quo 6 Novembr. agendum est, & de hoc narratur discipulum fuisse S. Germani Episcopi Parisiensis, dum apud Britannos prædicaret. Fuit ergo S. Paulus clarus prodigiis, & virtutibus, obiitque hac die anno 623. plus centenarius: Aguntque de illo Henschenius in Actis SS. hac die tom. 2. Martii fol. 108. & N. Jacob. Font. in Viridario SS. Ordin. die 9 Februarii fol. 476, ubi asserit vixisse in eodem cœnobio SS. Davidem, de quo jam 1. Martii, & Felionem, de quo jam 9 Februarii, cum S. Paulo, quos omnes asserit sub nostro vixisse instituto.

C. Ven. Joannes del Corral ortus est in urbe soria veteris Castellæ: missus in Philippinas insulas, á Mauris captus, ab illorum Rege Muley Abelmelec, fere capite abscissus, martyrio coronatus est 12. Martii anno 1628. ejus exuviæ anno 1638. allatæ sunt ad oppidum de Sanlucar de Barrameda ad Ducem Metimnensem á non. nullis captivis. Referunt NN. Simplician. á S. Martino in vitis SS. Ordin. fol. 726. Herrer. tom. 1. Alph. fol. 422. Torelli in Centur. 6. cap. 73. fol. 730. Portillo hac die tom. 1. fol. 501. Arpe tom. 1. fol. 137. in tom. 1. Diarii SS. Josephus à D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 679. Ex exteris P. Fr. Mathias Franciscus Marochii Guardianus in itinere ad Marochium edito anno 1644. Matriti, & Fr. Franciscus á S. Joanne, in missione historica Marochii Hispali impressa anno 1708. lib. 2. cap. 22. & Franciscus Rochus Vicensis in relatione vitæ Ven. Joannis editæ anno 1641.

D. Ven. Elisabetha Ardesia ad meliorem frugem conversa, fundato circa annum 1490. cœnobio titulo S. Mariæ Magdalenæ in Ecclesiæ S. Urbani, ibi sanctis operibus illustrata, sancte obiit hac die anno 1525, & corpus ejus post 4 annos integrum repertum est. De illa agit N. Torelli tom. 7. an. 1499. fol. 513. num. 13. & tom. 8. an. 1525. fol. 126. n. 77.

E. Ven. Maria á Spiritu Sancto fuit una ex primis monialibus cœnobii S. Monicæ Goensis, admissa á Ven. & Illustris. D. Fr. Alexio de Menezes, ubi brevi consummata, & virtutum dote plena pie ad cœlestis Sponsi thalamum progressura hac die decessit anno 1607. in prima Dominica quadragesi. Refert Fr. August. à S. Maria lib. 4. Histor. Goensis c. 12. fol. 712.

F. Ven. Cassilda á S. Paulo Valentiæ orta est ex Josepho Portillo; inter moniales S. Gregorii ibi professa est 12 Martii an. 1611, ubi nota sanctitatis resplendens, summa cum pietate è vivis in cœlum migravit anno 1660. De illa agit N. Jorda tom. 2. lib. 4. c. 15. fol. 460.

G. Ven. Catharina Ægiptiaca in lucem prodit in oppido Pedrosa regni Valentiæ; parentem habuit Franciscum Nicolas, in eodem cœnobio S. Gregorii professionem emisit 12. Martii anno 1612, ubi miro virtutum fulgens splendore obiit anno 1664. Jorda ubi supr. fol. 461.

H. Ven. Ursula à S. Hyacintho inco-

lo oppidi Morellæ ejuſdem regni in eodem cœnobio permiſſu parentum Joannis Martines, & Angelæ Dias habitum ſuſcepit, & tribus ſe ſe ligavit votis Religionis hac die anno 1616, & ſuæ virtutis præbens clara teſtimonia, pie deceſſit anno 1671. Jorda ubi ſupra n. 16. fol. 462.

I. Ven. Joſepha à Nativitate in oppido Beniganim ad luminis auras egreſſa eſt ex Joanne Paſtore, & Joanna Ximene, in cœnobio S. Joſephi oppidi ejuſdem inter moniales aſſumpta eſt 24. Junii anno 1644, ubi ſanctimoniæ radiis coruſcans hac die anno 1690. pie deceſſit. Refert N. Jorda tom. 2. Hiſtor. Valentiæ c. 13. n. 20. fol. 569.

TERTIO IDUS MARTIJ.

XIII.

A. Calari in Sardinia memoria S. Severi Archiepiſcopi ejuſdem Inſulæ, qui prius monachiſmum ſub S. Fulgentio amplexus eſt, & cum pro fidei defenſione ſtrenue decertaret, martyrio coronatus eſt poſt viginti annos præſulatus; cujus exuviæ in Sardinia paucis ante annis repertæ ſunt, & inter illius cingulum coriaceum, in ſignum Auguſtinianæ, quam profeſſus eſt Religionem. *B.* In Hibernia in cœnobio juxta Grunnam ſtagni Lurgan ædificato; mors pretioſa S. Pulcherii Confeſſoris, qui precibus S. Ittæ ſororis matris ſuæ S. Neſſæ natus, ab initio indolem raram cæpit oſtendere; de quo fertur, quod cum illius mater extra domum eſſet globum igneum per illam aſcendere conſpiciens, celeriter cucurrit, clamans, ad ignis extinctionem; ignis tamen evanuit. Poſt autem viginti annos ſub S. Itta transactos, in Hiberniam cum quinque ſociis profectus, ad S. Congellum perrexit, & multis poſt diebus ſacerdos initiatus, cum aliis monachis in Sylvam juxta Grunnam ſtagni Lurgan iter fecit, ubi conſtructo monaſterio, & contracta cum S. Colmano amicitia, multa mirabilia operatus eſt: donec virtutibus, & miraculis glorioſus, animam ſuo reddidit creatori, ſepultuſque eſt debito cum honore in ſuo monaſterio, ubi multis fulſit, & fulget prodigiis. *C.* Eboræ in Luſitania, & in Provincia Tranſtagana obitus Ven. Pauli monachi, & magni Dei famuli, qui cum ultra quinquaginta annos ſancte degiſſet, hac die in pace quievit. *D.* Panhormi memoria Ven. Nicolai de Bruno, viri ſanctitate clari, qui, cum aliquando gravi morbo laboraret, in ſomnis ſenſit ſecum loquentem Deiparam dulciſſimum ſuum Jeſum portantem, quæ ad illum converſa dixit, ut illam titulo de Succurſu invocaret in neceſſitatibus, auxilium pollicita imploranti; ſurgenſque à ſomno Ven. Nicolaus, & ſe ſe incolumen agnoſcens, Deiparæ grates dignas perſolvit; tantoque Virginis favore conſolatus, vitam creditur piiſſime conſummaſſe. *E.* In Hibernia tranſitus S. Geraldi Abbatis, & diſcipuli S. Columbæ, qui aliquando vixit in ejus cœnobio Hienſi, poſtea creatus Epiſcopus Mageonenſis, ibidem virtutibus, & miraculis glorioſus, hac die in cœlum migravit. *F.* Apud Gallæciam in civitate de Lugo, memoria Ven. Joannæ Baptiſtæ monialis in cœnobio Conceptionis, fœminæ rarę pietatis, præcipue erga Purgatorii animas, quas ſuis precibus aſſidue adjuvabat, & pauperes, quibus larga manu in neceſſitatibus ſuccurrebat, & Deus hanc illi pietatem perſolvit, nam ſibi divinitus, quæ dabat, multiplicabantur, unde meruit pauperum parentem vocari: donec multis exornata virtutibus, prædicto ſui obitus die, ut pie creditur, in cœlum migravit. *G.* Valentiæ in cœnobio de Succurſu memoria Ven. Joſepbi Ramos, viri ſanctiſſimi, & doctiſſimi, fuit enim in chori aſſiſtentia die, nocteque mirabilis. Orationi continuæ operam dabat, in qua plures extaſes eſt expertus. Fuit devotiſſimus Paſſionis, Crucis, & B. Virginis. Cum in cœnobio Urgellenſi Priorem ageret, & ſolus ad matutinum ſurgeret, ſibi ſocios in cantu illius Angelos habere

bere constans fama narrat, semper de se præbuit exemplum sanctitatis. Fuit etiam prædicator apostolicus. Somnum super nudas tabulas capiebat, à vino perenniter abstinuit, & suæ comestionis dimidium pauperibus ministrabat. Cum optasset ad Carthusianos transire, à Deipara sibi apparente audivit, & dicente, istam suam vocationem non esse, & sic in nostra permanens Religione, ibi sancto fine quievit. *H.* Valentiæ in eodem cœnobio memoria Ven. Michaelis Fernandes Laici, in omnigena virtute consummati; erat enim silentii observantissimus. Adeo solitudinis amicus, ut per quadraginta annos, é cœnobio, nisi in communitate, egrederetur. In chori assistentia, etiam in matutinis, perenniter assistebat, & reliquum noctis tempus orando consumebat, & ibi plures extales habuit. In abstinentia, claruit, quasi omnem sui cibum pauperibus tribuebat. Nec minus in pœnitentia floruit, humi cubabat; tunica acutis setis contexta induebatur. Tandem, tot virtutibus exornatus, ad præmium evolavit.

COMMENTARIA.

AD DIEM DECIMUM TERTIUM MARTII.

A. S. Severus Archiepiscopus Calaritanus martyrio coronatus est circa ann. 530, & post viginti annos ejus exuviæ repertæ sunt in Sardinia cum cingulo coriaceo, ut referunt NN. Mayay. in Patriarch. Herrer. tom. 2. Alphab. fol. 375. Torelli in Centur. 1. c. 54. fol. 87.

B. S. Pulcherius, seu Mochæmocus sub disciplina S. Congelli floruit in Hibernia mirabili sanctitate circa annum 650, & sepultus est in monasterio juxta Grunnam. De illo agunt Henschenius in Actis SS. hac die fol. 280, & N. Jacob Font in vita S. Ittæ folio 239. ubi probat illum fuisse nostri Ordinis, quia tempore in illo solum in Hibernia Religio Augustiniana noscebatur, illam enim, plantaverat S. Patrius, ut dicendum est 17 hujus mensis, & inconcusse probat N. Torelli in ejus vita. Rem confirmat S. Bernardus in vita S. Malachiæ, ubi affirmat Religionem S. Benedicti Hiberniæ non illuxisse nisi á tempore S. Malachiæ, Episcopi Cannorthensis, qui obiit an. 1148. & de illo agendum est 2 Decemb.

C. Ven. Paulus magnus Dei servus floruit prope Eboram in Provincia Transtagana, qui hac die anno 544. sancte decessit, ut cum aliis refert N. Torelli tom. 2. fol. 293.

D. Ven. Nicolaus de Bruno de Messana vitæ sanctitate floruit in cœnobio Panhormitano, ubi priorem egit circa annum 1306. De illo agunt NN. Herrer. tom. 2. Alphab. fol. 160, Torelli in Centur. 2. c. 47. fol. 181. Elss. in Encom. Apud me est hujus Ven. P. imago depicta cum celebri Elogio, ostendens inter manus calvariam.

E. S. Geraldus Abbas floruit in Hibernia circa annum 700. sub instituto S. Columbani, & factus Episcopus Mageonensis, virtutibus, & miraculis clarus, hac die obiit, & in cœlum abiit. Agit de illo Henschenius, in Actis SS. hac die tom. 2. Martii fol. 288.

F. Ven. Joanna Baptista filia Hieronimi de Souza Lusitani, & Emmanuela Hermosilla juxta oppidum de Villafranca in Hispania commorantium; floruit inter moniales Conceptionis civitatis de Lugo, obiitque in mense Martii inter clara sanctitatis signa anno 1683. Agit late de illa N. Villerin. tom. 2. lib. 15. fol. 279.

G. Ven. Joseph. Ramos, diversus á Ven. Petro Ramos, de quo 30 Martii agendum est, in cœnobio Valentino professus est 13 Martii, anno 1539. ubi elapsis annis, felici fato decessit: & de eo agit N. Portillo, die 30 Martii dum de Ven. Petro Ramos.

H. Ven. Michael Fernandes Laicus, floruit in cœnobio Valentino de Succursu, ubi, cum esset sexagenarius obiit terræ, ut abiret in cœlum. De illo agit. N. Sebastian. Portillo 30 Martii, dum de Ven. Petro Ramos.

PRI-

PRIDIE IDUS MARTIJ.

XIV.

A. In Provincia Valeria glorioſus fidei triumphus ſanctorum duorum monachorum, qui á Longobardis apprehenſi, in arboris ſtipitibus ſuſpenſi, Martyres evasére, ſed facto veſpere illorum ſpiritus claris, apertiſque vocibus pſalere cœperunt; ita ut occiſores vocem pſallentium audientes, & mirati, terrerentur. *B.* Halberſtati in Germania dormitio S. Mathildis Reginæ, & matris Othonis, primi Imperatoris, quæ Eremiticam vitam ducens ſub Auguſtini vexillo, ibi humilitate, & patientia celebris hac die in Domino quiévit. *C.* Hiſpaniæ in civitate Spartaria feſtum Sancta Florentinæ Virginis, & Sororis Sanctorum Leandri, Fulgentii, & Iſidori, quæ ibidem nata eſt, & patronæ titulo, & ritu duplici ſecundæ claſſis celebratur. *D.* In Hiſpania in civitate Roderici memoria eximii viri B. Gondiſalvi de Barahona, qui à Religionis ingreſſu ſe ſe omnibus exornavit virtutibus; & præcipue oratione, & chori aſſiſtentia; unde ad matutinum ſurgens, & inveniens omnes chori cathedras occupatas, cæpit matutinum cantare, cenſens illud cum ſuis Fratribus concinere: mane facto agnovit, Fratres non eſſe, ſed Angelos, cum quibus matutinum concinuit. Tranſiens tandem ad cœnobium civitate Roderici, ibi ſancto fine quiévit. *E.* Romæ in cœnobio D. N. de Populo tranſitus Ven. Paulini de Mediolano, qui á Religionis ingreſſu corpus ſuum cœpit macerare rara abſtinentia; ter enim in hebdomada, & in Quadrageſſima quater, ſe ſe pane duntaxat, & á qua reficiebat. Claruit oratione, & humilitate, miraque erga omnes charitate. Erga Dei honorem zelo flagrans, intrepide arguebat quotquot, qui forent, Deum offendentes. In Congregatione Lombardiæ reformationem miro exitu introduxit, in qua fuit ſepties Diffinitor, ſex viſitator, & bis Vicarius Generalis, & multoties Prior: & cum hoc munus Romæ in cœnobio de Populo exercéret, rara bonitate, pietate, & ſanctitate clarus, in cœlum, ut pie creditur, migravit. *F.* Panhormi in cœnobio Diſcalceatorum tranſitus Ven. Nonzii á Conceptione, viri, magnæ ſanctitatis, & raris á Deo favoribus honorati, qui poſt plures annos in Religione pie tranſactos hac die deceſſit. *G.* Valentiæ in cœnobio S. Juliani memoria Ven. Perpetuæ Novellæ monialis converſæ, in qua raro cum exemplo ſplenduerant humilitas, charitas, obedientia, oratio, pœnitentia, taliter, ut omnibus admirationi eſſet. In oratione cum Deo unionem conſecuta eſt, & ſic ſæpe extatica videbatur: donec conſummato vitæ ſuæ agone inter ſui Sponſi manus ſpiritum exhalavit. *H.* Romæ tranſitus Ven. Zachariæ á S. Petro Fratris Laici, qui inter Excalceatos adeo ſe filium oſtendit obedientia, ut juſſis non expectatis, juſſa, & nutus ſuperiorum præveniret; & adeo Deiparæ erat devotus, ut illud unum agere videretur, quommodo Virginis Gratiam poſſet promereri, ſpe tandem ſalutis æternæ plenus, ad æternitatem evolavit.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM QUARTUM MARTIJ.

A. Duo monachi in Provincia Valeria inſtituti S. Equitii hac die, anno 600. aut ante á Longobardis in arboris ſuſpendio in odium fidei necati ſunt: & ab illis etiam necatus eſt hoc tempore quidam templi cuſtos; de quibus Brautius Epiſcopus in Martyrologio poetico cecinit:

Suſpenſi

Suſpenſi binis laqueis ex arbore Fratres
Vocibus alternis cantica ſacra canunt.
Marſorum templi cuſtos levita peremptus
Pro Chriſto, cœlos conſociatus adit.

De illis agit S. Gregor. Papa lib. 4. Dialog. cap. 21. & 23. & alii plures apud Henſchenium in Actis SS. hac die. Quod autem fuerint noſtri Ordinis, aſſerit N. Jorda in lib. de Excellentiis Ordin. lib. 3. cap. 13. fol. 386: & clare patet, fuerant enim noſtri S. Equitii diſcipuli. Videatur dies 7. hujus menſis.

B. S. Mathildis Regina in Germania inter moniales auguſtinianas floruit mirabili ſanctitate, & obiit hac die anno 973. vel potius 878. De illa agunt Henſchenius in Actis SS. hac die tom. 2. Martii fol. 356. & N. Torelli tom. 3. in Sæculis n. 6. fol. 396. ubi probat noſtratibus pertinêre

C. S. Florentina Virgo Soror SS. Leandri, Fulgentii, & Iſidori inter moniales Auguſtinianas floruit ſanctitate in cœnobio fundato juxta flumen Xenil in terra Hiſpaniæ dicta Ezija, ubi obiit, & ſepulta eſt die 1. Septemb. anno 633. Attamen illius feſtivitas celebratur hac die ritu ſecundæ claſſis in Carthagine Spartaria. De illa agit N. Jorda tom. 2. lib. 3. cap. 21. fol. 96. & probat noſtri Ordinis fuiſſe, & rem oſtendemus in die ſui obitus. Idem aſſerit Delcampo in Cathal. SS. Ordin.

D. B. Gundiſalvus de Barahona ortus eſt in Urbe Burgenſi, é parentibus nobilitate claris, ſcilicet Gundiſalvo Nunez de Barahona, & Agnete de Asbarza; noſtro indutus eſt habitu in cœnobio Burgenſi S. Crucifixi circa annos 1500. tempore prioratus Fr. Petri de Toro. Plures per annos in cœnobio oppidi Donarum ſancte vixit, omni virtutum genere exornatus; præcipue oratione, é aſſiſtentia chori, ob quod à Deo decoratus eſt favore, ut refertur ſupra in ejus elogio. De illo agit N. Roman. 14. Martii, & ait obiiſſe anno 1518, & Simplicianus à S. Martino in Chronico fol. 445, ubi ait illum obiiſſe anno 1522. Etiam agunt de illo NN. Herrera lit. G. de Perſonis SS. fol. 288, Elſius in Encomiaſt. fol. 267, Pamphilus, Mayay. in Patriarch. Torelli in Sæculis tom. 8. anno 1518. fol. 49. n. 3, Portillo tom. 1. fol. 506. Joſeph. à D. Anton. tom. 1. fol. 717. Ex exteris Marieta, & Gravina in Voce Turturis.

E. Ven. Paulinus de Mediolano, ibi natus eſt é nobili proſapia, unus é primis fuit, qui in Congregatione Lombardiæ habitum ſuſcepit ætatis 16. circa an. 1446. floruit in omni virtutum genere. Poſt multas in Ordine dignitates, cum eſſet Prior in cœnobio de Populo Romæ cum magna ſanctitatis opinione deceſſit anno 1481. ejus vitam late ſcripſit Author Chronici Provinciæ Lombardiæ, & N. Torelli tom. 7. an. 1481. fol. 316. à num. 7.

F. Ven. Nonzius á Conceptione ortus eſt in terra Gibellina, & habitu aſſumpto Panhormi inter Diſcalceatos, ibi profeſſus eſt 18 octob. an. 1614. & vivens in Religione raro ſanctitatis exemplo, hac die pie denatus eſt anno 1700. Agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Luſtro 21. fol. 631.

G. Ven. Perpetua Novella in lucem prodiit in oppido Sarrion Regni Aragoniæ ex Joſepho Novella, & Quiteria Alamon: inter moniales S. Juliani Regni Valentiæ ſub ſtatu Laicali aſſumpta, ibi profeſſionem emiſit anno 1615. & cum per virtutum ſemitam inculpabilis graderetur, ad præmium per tot benefacta promeritum, feliciter migravit anno 1653, poſt 39 annos in Religione bona tranſactos. De illa agit N. Jorda tom. 2. lib. 4. Hiſtoriæ Valentiæ cap. 2. fol. 262. n. 16.

H. Ven. Zacharias à S. Petro noſter Excalceatus, Romæ in cœnobio S. Nicolai obiit pie, die 4. Martii anno 1633, ut ait N. Herrera in Alph. tom. 2. fol. 569. ut tamen aſſerit Joannes Bartholomæus Luſtro 9 fol. 303. obiit 14. Martii, de illo jam mentionem fecimus die 4. hujus

IDIBUS MARTII.

XV.

A. In Hibernia obitus S. Fethni monachi, & diſcipuli S. Columbæ, cum quo, & aliis undecim in converſionem Pictorum profectus, magnos inter infidelitatem fructus diſpergens, multa virtutum meſſe onerâtus, illam ad cœleſte cellarium hac die reduxit. *B.* Panhormi in Sicilia obitus Ven. Onuphrii Panuini Veronenſis, viri omnium ſcientiarum ſupellectile exornati, qui, cum magno ſui ſplendore vixiſſet, inter ſuorum maxima deſideria hac die é vivis exceſſit, cujus corpus in cœnobio Romano jacet in marmoreo ſepulchro cum ahena imagine. *C.* Hiſpaniæ in cœnobio Urgelenſi obitus Ven. Joſephi Marci Ramos, qui pie á parentibus educâtus rara dedit etiam in teneris ſanctitatis indicia; & mundo terga dare cupiens, inter noſtrates ſe Deo per tria vota dicavit, & exinde tum in litteris, tum in virtutibus magnos oſtendit progreſſus. Cum eſſet in cœnobio Barchinonenſi, matutinum inter Angelos, & cum Angelis cantavit. Ob egregias virtutes electus eſt á capitulo Urgelenſi Canonicus, & Lector, in cujus Sede aliquando apparebant Angeli ejus lecturæ adfutúri, quod etiam acciderat, cum ibi prædicabat. Tanto in honore apud omnes erat habitus, ut multi oſcularentur terram inplateis, per quas iter agebat. Poſt plures in ordine dignitates, gravi morbo corripitur; quo patientiſſime tolerato, viſus eſt in ipſo morbo lætitia ingenti perfuſus; de quo interrogâtus, reſpondit: non ero lætus, ſi Deipara cum P. Auguſtino, & S. Nicolao de Tolentino me viſitâre non dedignata eſt, & animam meam in cœlum deportatura adeſt? Quibus finitis inter pia colloquia, Eccleſiæ munitus Sacramentis, animam ſuo ſuam tradidit Creatori hac die, ſepultuſque eſt in cœnobio S. Mariæ Magdalenæ, é cujus ſarcophago cœleſtis fragrantia manavit; & poſt annos ejus exuviæ translatæ ſunt ad cœnobium S. P. Auguſtini intra urbem Urgelenſem noviter ædificatum, ubi fama eſt, ſignum in ſepulchro édere, quóties ex Fratribus ullus obitûrus eſt. *D.* Valentiæ in cœnobio S. Joachimi de Paiporta tranſitus Ven. Michaelis Lay, viri eximiæ obſervantiæ, multæ orationis, raræ ſolitudinis, & aſperæ pœnitentiæ; ſe ſe enim crebris jejuniis, & pœnitentiis macerabat; taliter, ut virginitatem ſervaret illibatam. Humana comercia abhorrebat, & ſolum ejus in cœlis erat converſatio. In obedientia fuit promptiſſimus, in paupertate nimius, in patientia invincibilis, in humilitate profundus, in indole affabilis, & amabilis; donec ad extremum deveniens, hac die ſancte obiit. *E.* In cœnobio novo Remi depoſitio Ven. Joannis Baptiſtæ á S. Jacobo Diſcalceati, viri ſimplicitate præditi columbina, & in Dei amore prorſus immerſi, & exemplo vitæ, & obſervantia ſatis clari: cum autem ita vitæ expleſſet curriculum, morbo correptus, & de obitu admonitus, dixit: fiat voluntas Dei: & bene conformis, hac die, pie deceſſit; & poſt obitum cuidam apparuit Religioſo, á quo interrogatus, an eſſet mortuus? Reſpondit, non, quia vere obediens non obit ante Deum. *F.* Neapoli in cœnobio Veritatis natalis Ven. Gregorii à Conceptione Diſcalceati, & Laici, in quo ſtatu luxit incredibili charitate, & patientia, nam coci officium exercens per triginta annos, ipſe ſolus tempore ſtatuto eſcas Fratribus numero plus ve, minus ve ſeptuaginta habebat præparatas, unde apud plures hæc fuit exiſtimatio ab Angelis adjuvari. Claruit oratione, & contemplatione, præcipue Paſſionis Chriſti. In pœnitentia fuit rarus, ſomnum ſuper nudas tabulas capiebat. A dæmonio fuit acriter vexatus, & pluries illi in Mauri forma apparuit, ut illum in patientia tentaret: ſed ipſe illum à ſe propellebat, dicens: abi, niger maledicte, abi, abi à me procul. Gravi dolore, & febre correptus mentem ad Deum elevans, dicebat: Domine, vires mihi ſuffice, & creſcant dolores. Obiit tandem ſancte hac die. *G.* Valentiæ in cœnobio S. Juliani tranſitus Ven. Mariæ Agnetis Galuranæ monialis converſæ, in cujus vita prodigioſa narrantur: cum infirmariæ munus exercêret, & labôre aliquando ſedêret fatigata, dicens: Ah dulcis Jeſus, jam mihi vires deficiunt? Ecce Redemptor ſpinis coronatus, & Crucem bajulans illi

apparuit

apparuit, & illam vultu affabili reſpiciens, dixit: Agnes, tantillo fatigaris, cum ipſe taliter vulneratus, ut vides, pro te, querimoriam non extollo? Vide, qualis ſum pro tuis peccatis, & hinc diſce, ut in laboribus habeas patientiam. Humi vero proſtrata Agnes dixit: Domine, pro me crucem hanc ponderoſam ſubſtuliſti, & ipſa ob tantillum queror? Hanc mihi parce ingratitudinem. Multoties ad illam Dominus locutus eſt, in laboribus infirmariæ conſolatus. In pœnitentia fuit ſingularis, ſe ſe enim diſciplinis, vigiliis, ciliciis, jejuniis macerabat: præcipuam noctis partem oratione, & contemplatione, vel in choro, vel in cubiculo præteribat, ubi à Domino plures accepit favores. Paſſionis Chriſti erat devotiſſima, & illi Dominus pluries ſecundum diverſas ſuæ paſſionis formas apparebat. In quadam Paraſceves die illi Dominus, crucem bajulans, apparuit, quam cum Deipara, & diſcipulo dilecto uſque ad Calvariam ſecuta eſt, & illum aſpiciens crucifigi, quaſi dolore deperibat. Spiritu prophetico clara, plurima, quæ certe acciderant, prædixit. Erga purgatorii animas erat devotiſſima, & illi plures oranti, vel recitanti apparebant rogantes auxilium, & dicentes: Mater Agnes pro nobis preces effunde, multaſque ſuis precibus e purganti ergaſtulo liberavit. Denique omni virtutum genere exornata, morbo laſſata, receptis pie ſacramentis, inter fervidos charitatis actus, hac die ſpiritum ſuo tradidit Creatori. *H.* In Gallia inter Urſulinas de Thalon mors pretioſa Ven. Mariæ Victoriæ ab Aſſumptione, quæ decennio ſe Deo vovens per votum caſtitatis, poſtea in Religione rara vixit ſanctimonia; erat enim Pueri Jeſu, Deiparæ, & ejus Sponſi devotiſſima. Gravi oppreſſa morbo, illum patientiſſime toleravit. Ante obitum Religionis vota renovavit, & tandem multis exornata virtutibus, hac die cum magno ſanctitatis odóre deceſſit.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM QUINTUM MARTIJ.

A. S. Fethnus monachus, & diſcipulus S. Columbæ floruit in Hibernia ſanctitâte, & de illo agunt Camerarius, Vulſonus, Ferrarius, Colganus, & alii die 12. Martii; at martylogium Anglicum de illo die 15. Martii agit. Videatur Henſchenius in prætermiſſis die 12, vel 15. Martii.

B. Ven. Onuphrius Panvinus Veronenſis vir in omnium ſcientiarum genere verſatus, taliter, ut dictus foret antiquitatis helluo, natus eſt ann. 1529. ex familia perilluſtri Veronenſi, & ibi Auguſtinianæ familiæ nomen dedit. Cum ergo in ſcholis doctiſſimus evaſiſſet, & infinita propémodum ſcripſiſſet, ſcientia, & moribus clarus, totius orbis lamento, pie deceſſit hac die *1568.* ætatis *39:* de quo dici juremerito póterat.

Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile ſcivit.

De illo magno cum honore agunt omnes noſtri, inter quos Herrera tom. 2. Alph. fol. 218, Elſſ. in Encom. Torelli tom. 8. fol. 508. á numer. 36; ubi late de eo agit; Cruſen, Arpe in Panthæo Elogio 89. fol. 305, ubi de illo célebre agit Elogium; ex exteris plures, inter quos Lipſius, Scaliger, Friſius, Auguſtinus Tuani lib. 43. Hiſtoriæ, Paulus Manutius, Henricus Spondan. tom. 2. Annalium.

In laudem Onuphrii duo Epigrammata apponam.

Primum ex N. Arpe ubi ſupra.

Barbara dum priſcæ reddis miracula luci,
Et nova Romano ſæcla redire jubes:
Antiquis ſervatur honos, te vindice, faſtis,
Et vitæ aſſurgit Roma ſepulta ſuæ.
Sic ea, quæ ſperni non intellecta ſolebant,
Occurrunt oculis obvia quæque tuis.
Saxa legi haud olim poterant, te interprete, primum
Panvini incipiunt ſaxa vel ipſa loqui.

Secundum ex N. Curtio.

Vidit ut Onuphrii jam lumina morte natare
Muſa, cui hiſtoriæ nomina laude fluunt
At tibi fatalis, clamat, triſtiſque Panorme;
Hiſtoriæ tollis quæ mihi grande jubar.
Ipſe memor quoties fueris moriẽtis Onuphri,
Ex oculis lacrymæ fluminis inſtar cant.

Epigramma noſtrum ad eumdem.

Longinqua Onuphrius vita cum dignior eſſet,
Fata modum déderant, ſoſpes ut orbe foret.
Vim dant, innumeros componat ut ille libellos,
In quibus ille magis, nam redivivit, adeſt.
Hic ubi, non moriens, eſt omni æternior ævo:
Sic abitûrus erat, non obitûrus erat.

C. Ven. Joſephus Marcus Ramos ortum habuit in oppido Coſentayna regni Valentiæ, quindecim annos natus, inter noſtros admiſſus eſt in cœnobio Valentino de Succurſu, & profeſſione emiſſa, doctrina, & virtute cæpit clareſcere: poſt plures in ordine dignitates prodigiis clarus obiit die 15. Martii anno 1598. ætat. 78, & Religionis 59, ſepultuſque maxima cum pompa eſt in noſtro cœnobio Urgelenſi. De illo agunt NN. Herrera in Alph. tom. 1. fol. 407; Elſſ. in Encom. lit. I, Jorda tom. 2. lib. 3. cap. 6. fol. 17, & 35. num. 203 & tom. 3. lib. 1. c. 34. n. 23. fol. 323.

Epigramma ad eumdem die 15. Martii, quo profeſſus eſt, denatum.

Relligioſa ſolet mors rite profeſſio dici:
Hac perit ad mundum relligioſus homo.
Ergo die Joſeph, quo per tria vota ligatur,
Denaſci fertur; relligioſus erat.

D. Ven. Michael Lay ratione Sardus, in Valentiam ſtudiorum cauſa profectus eſt, & ſtudiis abſolutis, in cœnobio S. Joachim de Paiporta degens, mirabili ſanctitate fulgens, obiit ſancte die 15. Maii, ann. 1692, & per errorem de illo hac die actum eſt. Agit de illo N. Jorda tom. 2. lib. 3. c. 50. fol. 243. n. 2.

E. Ven. Joannes Baptiſta à D. Jacobo natus eſt in Diœceſi Tortoſæ in Burgo Novi ex Franciſco Maino, & Blanca Genuenſi, Genuæ profeſſus eſt in cœnobio S. Nicolai 11. Nov. ann. 1642. obiit in cœnobio Remi hac die anno 1649. cum odore ſanctitatis. De illo agit Fr. Bartholomæus Diſcalc. Luſtro 12. fol. 378. n. 53.

F. Ven. Gregorius à Conceptione, anno 1614. natus eſt in S. Gregorio Calabriæ oppido; inter Diſcalceatos habitúm Laicalem aſſumpſit ann. 1635, & ibi profeſſus eſt ann. 1636, die 8. Octobr. vixit in Religione coci officium exercens, non tamen oblitus ſanctitatis, qua illuſtris hac die anno 1678 deceſſit, ætatis 64, & Religionis 43. Agit de illo idem Fr. Joannes Batholomæus Luſtro 18. n. 2. fol. 498.

G. V. Maria Agnes Galurana Valentiæ orta eſt: admiſſa eſt inter moniales converſas ibi in cœnobio S. Juliani, ubi claris virtutibus, & prophetico ſpiritu exornata, hac die ſancte occubuit ann. 1642. De illa late agit N. Jorda tom. 2. lib. 4. c. 1. fol. 259. n. 2. Hiſtor. Valent.

H. V. Maria Victoria ab Aſſumptione floruit inter Urſulinas Thalonenſes in Gallia nota ſanctitatis, & pie hac die obiit ann. 1661, & de illa Epiſcopus Thalonenſis elógium edidit glorioſum. Agitur de illa in Chronico Urſulinarum fol. 241.

DE-

DECIMO SEPTIMO KALENDAS APRILIS.

XVI.

A. In Hibernia natalis S. Finiani Abbatis, qui post plures digressiones, ad S. Columbanum pergens, & sub ejus degens disciplina, ab illo Surdensis cœnobii Abbas est electus, ubi innumeris claruit miraculis; inter quæ hoc extitit; cum enim in cœnobio arietem habêret, nomine Bedan, & illum quidam surriperent; ipsimet ad S. Finianum accedentes, arietem non surripuisse autumarunt; tunc autem S. Finianus suo nomine Bedan arietem vocâvit, & aries ex ore furunculorum respondit, quo illorum furtum patefactum est. Tandem multis illustris miraculis, hac die in cœlum migrâvit. *B.* Cassentini juxta Puppium in territorio Aretino transitus B. Torelli Puppiani ex Tertio ordine, qui vitam Eremiticam ducens, ibi vitæ asperitâte, & rerum cœlestium contemplatione, & ingentibus prodigiis clarus, hac die in cælestes penates transiit coronandus. *C.* In Peruana Provincia in oppido Vilcabambæ memoria glorioſissimi triumphi B. viri Didaci Ortiz, qui ex Hispania in Indias profectus cum aliis decem sociis, inter infideles multo sui labore, plures ad fidem convertit, sed pro Dei gloria dilatanda tanta est perpessus, ut quasi impossibile videatur, humanum corpus tot tolerâre potuisse; prius enim fuit saxis impetitus; postea falso testimonio ligâtus, eo quod Regem interfeciſſet, & illum ad vitam reducere cogerêtur, sex est crudeliter flagellatus, lignis contusus, sputis contaminatus, & sæpius raptatus; arundineis frustis per digitos manuum, & pedum emmissis cruentatus, & sagittis innumeris confossus; fumos ignitos, & fœtidos perpessus est; facies ejus aspere rasa, postea pannis gossipii ardentis cooperta est, quin auram aliqualiter posset suscipere. Tandem in capite ictus horribiles sufferens, & per corporis medium palo transfixus, & humi stratus, saxisque oneratus, glorioſum Deo tradidit spiritum: & adhuc post mortem diriter cæsus est, sed Deus ultionem pro tali flagitio assumens, occisóres, Lue, fame, locustis, culicibus, & tandem bello juste punivit, & regnum illorum possidendum tradidit Hispanis. *D.* Neapoli obitus Ven. Elisabethæ Neapolitanæ Ordinis Mantellatæ, quæ Deo in toto suæ vitæ curriculo puro corde ancillata est, & puritatem inter orationes, jejunia, cilicia, & miram solitudinem servavit illibatam. Panis ejus non terrenus, sed solum cælestis erat, pascebatur enim pane Christi, qui sibi erat, illi in omnibus auscultari, & ejus exequi voluntatem. Tandem à Deo nonnullis illustrâta prodigiis, hac die summa cum pietate decessit. *E.* Granatæ in cœnobio Corporis Christi pretiosa mors Ven. Gregoriæ à Spiritu Sancto ibidem monialis, quæ in dicto cœnobio tali vitæ exemplo vixit, ut cum aliis sororibus electa esset adfundationem cœnobii Vallisoletani; ubi etiam sui spiritus ostendit excellentiam, solitudinem, & continuam Dei contemplationem, in qua plures à Deo accepit favores. Tanta se pœnitentia macerabat, ut alter Hilarion appellarêtur. Fuit in cibo parcissima, in oratione nimia, noctes orans ducebat insomnes, & ibi multis se se cruentabat disciplinis: in humilitate exemplum cæteris præbebat sororibus: erga sanctissimum erat devotissima, & sic Missam semper ad modum crucis sita audiebat: cilicio asperrimo, quoadvixit, usa est. Bestia infernalis tantis virtutibus invidens, crudeliter illam persequebatur, é cujus agône exibat satis contorta, illam enim crudeliter flagellabat, é quibus tormentis morbum contraxit mortalem, quo pénitus consumpta corpore, sed spiritu consolata, hac die ad immortalem ascendit vincentium coronam, non sine nota spiritus prophetici. *F.* In Gallia inter Ursulinas Montbrisson obitus Ven. Mariæ Chapuy, seu ab Incarnatione, quæ in Religione vixit rara observantia, & tali silentio, ut licet in cœnobio ignis arderet, & latrones ingrederentur, nihil proferret; & cum silentium sit orationis clavis, in oratione erat assidua, in qua Deum suavi Sponsi titulo appellabat. Gravi morbo oppressa, quem indicibili patientia toleravit, sancte hac die denata est.

COMMENTARIA.

AD DIEM DECIMUM SEXTUM MARTII.

A. S. Finianus Hibernus S. Columbani diſcipulus, ab ipſo inſtitutus eſt Abbas Surdenſis, ubi innumeris clarus miraculis, hac die ſancte oppetiit circa ann. 615. De illo præter alios agit Henſchenius in Actis SS. hac die tom. 2. Martii.

B. B. Torellus de Puppi Caſſentini, quod eſt oppidum Diœceſis Aretinæ, & juxta fluvium Arnon, natus eſt circa annum 1188, ex Paulo. Cum juvenis ætatis ſuæ vitiis laxaret habenas, miraculo ad meliorem frugem converſus eſt, nam, cum per platéam cum laſcivis ſodalibus iter faceret; ecce é feneſtra quadam Gallus céleri volatu ductus, in ejus brachio ſtetit, & ter cantus edidit; ut moris eſt ſui, forſan ut illum in vitiis ſordeſcentem excitaret. Audiit, & omen Torellus interpretatus, & in ſe reverſus, Abbatem quendam petiit, ut habitum ab illo ſuſciperet: illum ab Abbate precibus ejus commoto accepit, & ſtatim in eremum ſeceſſit, ubi Eremitorio conſtructo Eremiticam ducens vitam, vixit incredibili pœnitentia; quotidie enim duntaxat quatuor unciis panis, & menſura aquæ veſcebatur: per tres horas tantum noctu quieſcebat, in lectulo ſpinis conſtructo, & poſito pro cúlcitra ingenti ſaxo, & ſæpius nudus ſupra nudam terram excubabat. Multoties à ſátana muliebrem oſtendente figuram eſt tentatus: ille autem diſciplinis, aqua frigida, & aliquando eſcarum abſtinentia tentationes domabat. Poſt triginta hujus vitæ annos ob debilitatem, ad véteres eſcas legumina, vinum que addebat lymphatum: ſicque tranſiens ab Angelo eſt admonitus, quod poſt triginta dies erat obiturus, quare in Gratiarum actione, & multis precibus dies intermedios præteriens, tandem genuflexe orans, levatis in cœlum mánibus, atque óculis, ſpiritum Deo tradidit hac die anno 1282, ut plures dicunt, vel ann. 1288, ut ait Henſchenius in Actis SS. hac die; ſepultuſque eſt apud Vallumbroſos, licet inter clericos ob hoc eſſet contentio. Poſt illius óbitum cymbala omnia Puppii, & vicinorum oppidorum divinitus mota ſonuêre. In vita, & morte multis claruit miraculis, & unum ex illis fuit, quod cum ad tumulum portaretur, apparuit lupus inter manus prehenſum porculum deportans, & illum abjecit ante B. Torelli féretrum, tanquam oblationem illius exequiarum. His ergo præjactis, modo indagare fas eſt; cui ex Religionibus hic Beatus pertineat? Scio enim, tum Vallumbroſos, tum Minoritas illum ſibi arrogâre, ſed quo fundamento, videatur.

Imprimis videtur non Vallumbroſis pertinêre, quia licet hic ordo tunc temporis jam eſſet inſtitutus, incepit enim anno 1030. in Apennini jugo conditus, & magnis incrementis augeretur, tamen Hieronymus Radeolanus ejuſdem ordinis chronographus citatus ab Henſchenio in Actis SS. hac die, & Wadingo tom. 7. n. 22. texens elogia omnium beatorum ſui Ordinis, B. Torelli nullam facit mentionẽ tãquã de ſuo. Accidit ultra, quod habitus, quo á tempore antiquo imago hujus Beati eſt depicta, ab habitu hujus Ordinis eſt diverſus, ut dicendum eſt infra. Amplius ipſemet Hieronymus ſupra ait, B. Torellum fuiſſe Eremitam, & in eremo vixiſſe, quin nec umbratice ſui eſſe Ordinis inſinuet: ob hoc poſt mortem B. Torelli gravis exorta eſt contentio inter clericos, & Vallumbroſos, inter quos hic Beâtus eſſet tumulandus: & licet pro PP. Vallumbroſis ſententia daretur, & inter illos B. Torellus eſſet ſepultus, nil exinde ſequitur, quia etiam corpus B. Bartholi Confeſſoris apud noſtrates in cœnobio S. Germani eſt ſepultum, & corpus B. Imeldæ Virginis noſtri Ordinis eſt in cœnobio S. Mariæ Magdalenæ Bononienſi monialium S. Dominici; & idem de aliis dici póterat; & tamen Minoritæ ſibi pertinere autumant B. Bartholum, ut examinandum eſt die 13 Decemb. & noſtri probant inconcuſſe ſibi, & non Dominicanis B. Imeldam pertinêre, ut oſtendêmus die 12 Maii: ergo licet *B.* Torellus inter Vallumbroſos ſit ſepultus, nil exinde inferri poteſt, quod illis pertineat.

Quantum ad Minoritas, quantum ad me eſt, facili negotio res diſſolvitur; quia

quia plures sibi solent arrogare, qui nunquam sua clausura salutarunt: nonnullos é nostris adducerem, si opus esset; duo, vel tres satis erunt; v. g. B. Clara de Monte Falcho, B. Albertus Patavinus, Ven. Alphonsus de Orosco, quos litterati Augustiniani cœtùs nuncupant, & fatentur alumnos; quo non obstante, nonnulli inter Minoritas numerâre non verentur. Quod autem huic Religioni sanctissimæ B. Torellus nullâtenus pertineat, ad hominem probo ex dictis P. Wadingi, & Arturi in suo Martyrologio dicentium, quod B. Torellus vixerit octoginta annos, & obierit an. 1282. é quibus âmotis 80 annis, patet ortum fuisse anno 1202. si ergo ipse Beatus in eremum secessit anno suæ ætatis, parum, minus ve, vigesimo, ergo in eremum secessit anno 1222. & Ordo S. Francisci confirmatus est ab Honorio 3. an. 1227, inquo tempore prius erat ordo ad intrinsecum, id est ad Fratres habendos, quam ad extrinsecum, id est, ad Tertiarios disponendos: quommodo ergo hic ordo sine privilegio Pontificio, & sine forma institueret Tertiarios? Tandem fortius: Interea Ordo Seraphicus Assisii quoddam parvum cœnobium duntaxat habebat, & ad hoc necesse fuit, ut Ordo Benedictinus S. Francisco conferret domum S. Mariæ Angelorum, vel Portiunculæ, & adhuc Puppii non erat hujus Ordinis cœnobium; sed B. Torellus non Assisii, sed Puppii morabatur, & ibi ad prælatum cœnobii existentis perrexit, & habitum Tertiarii adeptus est: ergo. Insuper quia habitus, quo B. Torelli imago ab illis sæculis est depicta, ut dicendum, est diversus ab habitu Minorum: ergo: Ob hoc Henschenius in Actis SS. hac die asserit, quod sicut Vallumbrosis, ita etiam Minoritis B. Torellus non pertinet.

Quantum ad nos attinet, dicam, non esse absurdum dici, nostratibus pertinêre. Primo, quia titulus Eremitæ nostræ proprius est Religionis; sed B. Torellus absolute Eremita vocâtur, ut præter dicta patet ex Wione, qui de B. Torello hac die agens: ait: S. Torelli conversi, & Eremitæ miraculorum gloria clarissimi: & ita asserit Hieronymus Radiolanus ubi sup. & omnes alii cum Henschenio: ergo cum dicatur Eremita, & Eremitice vixerit, & in illo tempore ordo alter Eremiticus non esset, bene inferri potest, nostris præ aliis pertinêre. Secundo, quia habitus hujus Beâti erat pallium nigrum, quod magis indicat ordinem Augustinianum; unde nulli exduobus pertinet ordinibus, ut infert Henschenius ubi supra: sic: patet, quod in cornu Evangelii est ejus icon antiqua simplicitate sculpta cum pallio nigro: unde neutri parti convenit. Tertio, quia jam his temporibus per totam Italiam propagata erat institutio S. Joannis Boni, ut ait N. B. Jordanus de Saxonia lib. 1. cap. 8. sic: Cum autem fama conversationis ejus per loca vicina crebresceret, plurimi ad eum conversi sunt &c. Et, ut Constantius Laudensis in vita B. Joannis Boni lib. 2. cap. 3. ait, illum instituisse fratres, & Sorores Tertii Ordinis de Pœnitentia ad suam Congregationem spectantes, ut fuêre Buonacursius, Artusius, & alii, & cum habuerit per Italiam plura cœnobia, credibilius est B. Torello habitum Tertiarii contulisse, quod patet ab exclusione, quia, si jam tunc noster Ordo, non alter alius, poterat instituere Tertiarios; & talis invenitur B. Torellus ab anno 1222, tenendum est, unum fuisse ab illis, quos S. Joannes Bonus instituerat.

Opponi potest primo, quod B. Torellus habitum Tertiarii accepit Ab Abbate cœnobii Puppiensis, qui titulus à nostratibus videtur alienus. Dico primo, talem titulum magis ab aliis duobus ordinibus esse alienum, & tamen B. Torellum sibi vendicant: ergo, ut argumentum solvamus, illi prius debent respondêre. Dico secundo, ex hoc potius titulo magis jus nostrum patefieri, cum titulus Abbatis semper in usu fuerit in nostra Religione, ut cum pluribus probat N. Fr. Franciscus Ribera in vita S. P. Aug. p. 2. lib. 4. cap. 11. fol. 352. n. 398. & Latius N. Fr. Jacob Jorda tom. 1. lib. 1. fol. 64. a num. 14.

Opponi potest secundo, quod licet pallium, quo utebatur B. Torellus, esset nigrum, tamen intus utebatur tunica ejusdem coloris, quo utuntur Minoritæ: ergo si expallio nigro infertur fuisse Augustinianum, ex tunica inferri potest fuisse Minoritam. Respondetur ex hoc potius nostrum jus confirmari: quia, ut ait N. Nicolaus Barianus in causa Vitaliana apud Herrer. tom. 1. fol. 367. dum de B. Joanne Bono; Ego vidi, & tetigi cappam B. Joannis Boni Mantuæ, quæ grisei coloris est, qualis scilicet coloris nunc est habitus

habitus ipſorum Minorum, & plurimi fide digni mihi retulerunt, ſe vidiſſe in Conventu noſtro Mantuæ inſtrumentum publicum profeſſionis, quam emiſit ipſe B. Franciſcus in manibus præfati B. Joannis Boni. Et N. Marques cap. 13. § *18.* fol. 249. concordiam coloris inter cappam B. Joannis Boni, & Ordinis Seraphici ſibi á M. Fr. Petro de Perêa, Epiſcopo Archipenſi, oculato teſte, aſſertam affirmat; & addit ſe vidiſſe partem ejuſdem cappæ, quam ex Italia N. M. Ludovicus ab Angelis in Hiſpaniam detulerat. Videatur Herr. ubi ſup.

Opponi poteſt tertio á Vallumbroſis, quod B. Torellus apud eos eſt ſepultus: ergo illis potius, quam nobis, pertinebit; quia ſicut noſtri AA. aſſerunt. B. Chulmanum noſtris pertinére, quia ſepultus eſt in noſtro cœnobio Pivonienſi Bohemiæ; ut refert N. Herrer. tom. 1. Alph. fol. 132, & Torelli in Centur. 2. cap. 1. fol. 138. ita etiam B. Torellus dici poteſt Vallumbroſi pertinére, quia apud eos eſt ſepultus. Jam ſupra reſponſum dedimus. Addo tamen non currere paritatem, quia S. Chulmanus, non ideo ſolum noſtris dicitur pertinére, quia apud noſtrates eſt ſepultus, ſed etiam quia fuit verè Eremita: & apponam verba N. Herrer. ubi ſup. quia ſane non levis conjectura eſt, ut ſanctum hunc virum inter noſtros computemus, cum á tanto tempore habitum pro-Eremita noſtro, ſepultumque inter Eremitas noſtros, non ut extraneum, ſed ut domeſticum. Hæc ille. Cum vero B. Torellus apud Vallumbroſos adhuc conſervet titulum Eremitæ, & habitum nigrum, quæ ad illorum ordinem non ſpectant, & ſic illum, non ut domeſticum, ſed ut extraneum, debeant cognoſcere; ideo licet inter eos ſit ſepultus, non inde inferri poteſt ſuo Ordini, ſed potius Auguſtiniano, pertinére; quia res ubicumque eſt, ſui Domini eſt.

Opponi poteſt quarto, quod B. Torellus ſemper in eremo vixit, & ut ſic noſtræ Religioni, ut cœnobiticæ, videtur non poſſe pertinére. Reſpondetur primo, nos non dicere illum fuiſſe ex numero Fratrum conventualium, ſed Tertiariorum, vel Mantellatorum, qui parte, qua velint, poſſunt exiſtere. Reſpondetur ſecundo, quia vita eremitica plus noſtræ, quam alteri Religioni, eſt conformis, ſed hoc non obſtante, duæ Religiones aſſignatæ B. Torellum ſibi adoptare conantur: ergo juſtius noſtra illum ſibi adoptare, & adaptare poterit. Reſpondetur tertio, quia Religio Auguſtiniana, & ſi communiter videatur cœnobitica, attamen plures habuit ſanctitate præſtantes, qui extra cœnobium Eremitice vixére quorum, nonnulli fuerant S. Galganus Eremita, de quo 13 Decemb. agendum eſt, B. Henricus Bolzanus, de quo 30 Junii, & Ven. Maria Martin monialis in cœnobio Sanctiſſimæ Trinitatis prope Fontem Rabiam, qui omnes é cœnobiis ſuis de ſuperiorum licentia egredientes, in eremo vixére: ergo ſi hoc Fratribus conceſſum eſt, cur non & Mantellatis? Unde reor pro noſtro jure non deeſſe fundamenta, ut dicamus B. Torellum noſtris pertinére, & nobiſcum ſentit N. Torelli tom. 5. an. 1282. fol. *17.* á num. 3. Videatur Henſchen. ubi ſup.

C. Ven. Didacus Ortiz natus eſt in Provincia Manchæ in Caſtella, in cœnobio Toletano habitum aſſumpſit, & ibi ſe Deo, & Religioni per tria vota ligavit anno 1524. ubi maximis claruit virtutibus. In Peruntinam Provinciam inter undecim ſocios perrexit anno 1559. ubi plures ad fidem reduxit: at poſt multos labores captus inſidiis Angelinæ Polanquilaco, & aliorum, crudeliſſime tortus, tandem glorioſiſſimum noſtræ fidei addidit teſtimonium anno 1563. Dies ignoratur, ſcio tamen noſtrum Torelli tom. 8. an. 1568. fol. 500. num. 11. aſſérere, hoc martyrium forte accidiſſe circa finem anni, quia conſtat in frigidiſſimo tempore accidiſſe. Verum quia ignoratur dies tam glorioſi martyrii, juſte de Ven. Didaco fit mentio hac die, quo profeſſus eſt; & in hoc ſequor NN. Portillo, & Leal, in m. ſ. qui de illo hac die faciunt mentionem. His additur N. Diſcalceatus Fr. Auguſtinus á S. Maria in ſuo Trium-viratu ſpirituali, dum de Ven. Didaco cap. 17. nbi ait illum obiiſſe *16* Martii, quod non probat, quia NN. Calancha, & Brulius in Chronicis Peruntinis de die altum ſilentium tenuére: unde bene diceret, ſi hac die de illo tanquam, in qua profeſſus eſt, ageret. De Ven. Didaco agunt NN. Herrera tom. 1. Alph. fol. 192. Torelli ubi ſup. & in Centur. 5. cap. 27. fol. 543. Eiſſ. in Encom. lit. D. Maigretius in Martyrograph. Arpe in Diario SS. tom. 2. fol. 131. Portillo tom. 1. fol. 509. Joſephus á D. Antonio tom. 3. Floris SS. fol. 643. De

Ven.

Ven. Didaco dici poſſunt illa Naſonis carmina lib. 1. Triſtium elegia 4.

Tot mala ſum paſſus, quot in æthere ſidera lucent,
Parvaque quot ſiccus corpora pulvis habet.
Multaque credibili túlimus maiôra, ratamque,
Quamvis acciderint, non habitura fidem.

D. Ven. Eliſabetha Neapolitana in eadem civitate floruit mirabili ſanctitâte inter mantellatas Ordinis, ubi obiit hac die 16 Martii anno 1621. ut teſtatur N. Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 142. De illa etiam agunt NN. Cruſenius in Monaſtico Auguſtiniano, Herrer. in Alphab. fol. 212. lit. E. Torelli in Cent. 6. cap. 59. fol. 711. n. 2.

E. Ven. Gregoria ab Spiritu Sancto nata eſt in oppido Victoriæ Regni Granatenſis, ex Joanne Vidania, & Maria Gambôa, in cœnobio Valliſoletano Incarnationis habitum ſuſcepit, circa an. 1625: & poſt profeſſionem multis clara virtutibus, perrexit cum aliis in fundationem cœnobii Granatenſis, ubi claro degens exemplo, deceſſit anno 1671. De illa agit N. Villerin. tom. 2. lib. 32. Additione 8. tract. 1. fol. 465.

F. Ven. Maria Chapuy, ſeu ab Incarnatione vixit inter Urſulinas de Montbriſſon in Gallia, ubi per breve tempus virtutibus conſummâta, hac die ſpiritum exhalâvit anno 1631. ætatis 20. De illa agitur in Chron. Urſulin. fol. 245.

DECIMO SEXTO KALENDAS APRILIS.

XVII.

A. In Hibernia tranſitus glorioſus S. Patritii Epiſcopi, & Confeſſoris, qui cum á S. Germano Epiſcopo Antiſiodorenſi ſacris litteris, & monaſtica vita eſſet inſtitutus, & á Cœleſtino primo, primus Scotorum Epiſcopus eſſet conſecratus, & ad Hiberniam miſſus, ibi non ſolum Dei verbum diſſeminavit, ſed etiam S. P. Auguſtini exempla ſecutus, feras, & barbaras inter gentes monaſticum intulit inſtitutum, & magno cum úbere propagavit: & cum per quadraginta annos ſignis innumeris coruſcaſſet, & totam Hiberniam ad fidem convertiſſet, hac die ad coronam tantis méritis méritam translatus eſt. *B.* Ibidem depoſitio S. Mocuvii Epiſcopi Endrumenſis, diſcipuli S. Patritii, cui ab infantia tráditus, in fidei myſteriis, & in ſcientiis, inſtructus eſt, & cum doctiſſimus evaſiſſet, de illo S. Patritius vaticinatus eſt, virum egregium futurum litteris, & ſanctimonia, quod accidit: & cum aliquando uterque eſſent interſe confabulantes, é cœlo in medio illorum báculus delapſus eſt, de quo Mocuvius, non vero Patritius, miratus eſt; imò iſte ad S. Patritium converſus dixit, à cœlo electum ſe eſſe Epiſcopum Endrumenſem; & mox Mocuvius à S. Patritio ſacris eſt initiatus Ordinibus, & ad Epiſcopatum ſacratus; & in ſuam Eccleſiam profectus eſt, ubi munus ſanctiſſime éxequens, multis claruit miraculis: & cum é monaſterio, in quo erat, in agrum recreationis cauſa egrederetur, àcredulam dulciter perſonantem auſcultans, ſtetit, ut ejus cantilenam auſcultaret, qua finita, in propriumrediit cœnobium; quod intrans, manſit ſtupefactus; omnia enim mutata vidit, alioſque prælatos, & Fratres, à quibus viſus novitatem non parvam intulit, & ab illis agnovit jam trecentos, & amplius annos tranſiiſſe à tempore, quo à cœnobio eſt egreſſus. Hoc ipſe ſatis obſtupefactus, morbo lethali correptus, ſanctiſſimam animam ſuo tradidit Creatori. *E.* Ravennæ in cœnobio Vivarienſi obitus S. Marci Aurelii Caſſiodori, viri clariſſimi, & doctiſſimi, qui, cum prius inter Senatores Romanos loco frueretur, & Theodorici Italiæ Regis eſſet cancellarius, his, & aliis abjectis honoribus pro habitu Eremitico, ad

Vivarienſe cœnobium profectus, ibi inter iunumera ſui ingenii monumenta, & virtutum teſtimonia, ſenio, & meritis confectus, ad perennem in cœlis gloriam meruit ſublimari. *D.* Apud Lunellium, Galliæ urbem, triumphus glorioſus VV. Antonii Elvenſis, & Innocentii Barcellenſis Luſitanorum, qui duo é Florentia, ubi ſtudiorum cauſa ſteterant aliquandiu, egreſſi, & per dictam civitatem tranſeuntes, à Lutheranis, & Calviniſtis comprehenſi, pro fidei veritate, cui firmiter adhæſêre, crudeliter interempti ſunt hac die, quorum corpora pompa ſunt condita honorifica, & illorum martyrium ab Ordinario ſolemniter probatum eſt, & multos per annos celebratum fidelium concurſu, & occurſu ad illorum ſepulchrum ob prodigia ibidem perpetrata. *E.* Tridenti obitus Ven. & incomparabilis viri Hieronymi Seripandi, qui fuit orator Chriſtianus, doctrina, & eloquentia illuſtris, & adeo honores peroſus, ut Epiſcopatum Aquilanum, & Archiepiſcopatum Salernitanum ſibi oblatos recuſaſſet: á Pio tamen IV. Cardinalis S. Suzannæ electus, factuſq; eſt, & Concili Tridentini Legatus, & præſes, ubi acriter pro fidei veritate comprobanda contra hæreticos decertavit; donec ſeptuagenario maior, meritis conſummatus, pridie ſui obitus familiaribus convocatis de auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, morientium Viatico, acutiſſime diſſeruit, lacrymis verba comitantibus: tandem ſumma pietate, qua ſemper vixerat, magno cum ſuorum deſiderio deceſſit hac die, ſepultuſque eſt in templo S. Marci, & poſt Neapolim ad Eccleſiam Ordinis, ubi habitum prius aſſumpſerat, translatus eſt. *F.* Hiſpaniæ memoria Ven. Antonii Molinæ, qui poſtquam inter noſtrates diutius degiſſet, & lectoris, Prioriſque munera egregie exercêret, maioris perfectionis deſiderio ad montem Carthuſiæ migravit, ubi, ut paſſer ſolitarius, lectioni, orationique déditus, varios tractatus, in quibus pietatis, & ſanctitatis odorem exhalare dignoſcitur, prælo dedit; poſtque annos ſancta converſatione tranſactos, debitum naturæ feliciter perſolvit. *G.* Romæ in cœnobio Diſcalceatorum obitus Ven. Thomæ à S. Hieronymo, viri doctrina, & ſanctitate clariſſimi; fuit enim Verbi Divini præco Evangelicus: inſuper claruit ſolitudine, paupertate, puritate, tam verbo, quam opere. Poſt nonnullas in Ordine dignitates. Romæ gravi morbo correptus, hac die piiſſime vitam terminavit. *H.* Aragoniæ in cœnobio monialium Mirambel memoria Ven. Magdalenæ Palomar, fœminæ raræ pœnitentiæ, humilitatis, charitatis, orationis, & cœterarum virtutum, in quibus cœteris erat ſororibus ſpéculum ſingulare; quibus exornata virtutibus, ibidem ſancte deceſſit. *I.* Apud Urſulinas de Avergne in Gallia obitus Ven. Agnetis á S. Getrude, quæ ſexennio ætatis ſuæ Deo dicata, Religionis deſiderio inflammata, inter Urſulinas admiſſa, ibi rara ſanctitate vixit; & cum morti foret proxima, illi Deipara apparuit glorioſa, & ægrotantem ſolata eſt, & hæc læta intonuit: Maria Mater Gratiæ &c. Tandem riſu breviter ſoluto, ut ridêret in die noviſſimo, ſpiritum felici exitu exhalavit hac die, & poſt mortem in denatæ vultu non palliditas, ſed quaſi cœleſtis innotuit pulchritudo, & ſorores non mærentes, ſed valde conſolatæ, de ejus obitu permanſere. *L.* Hac die Translatio S. Bathildis Reginæ Francorum, & quondam Clodovæi Secundi uxoris, quæ in agro Pariſienſi in monaſterio Kalenſi ſepulta eſt.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM SEPTIMUM MARTIJ.

A S. Patritius in Anglia natus eſt anno 368, ubi à Barbaris captus in ſervum venúmdatus eſt ann. 384. à S. Martino Turonenſi ſacris eſt initiatus anno 398, ſub S. Germano Antiſiodorenſi monaſticam eſt amplexus anno 403: juſſu Angeli ſibi apparentis Romam petiit anno 431, ubi à S. Cæleſtino in Epiſcopum conſecratus eſt ann. 433. In Hiberniam perrexit anno 436, ubi multis virtutibus, & miraculis mirifice claruit: cumque omnem ad fidei veritatem reduceret, poſtquam vitam duceret per annos, vel 122, vel 123; ſanctiſſime in pace quievit anno 491; ut cum Jocellino, & Sigisberto, & aliis aſſerit N. Arpe in Pantheo fol. 58.

His præjactis, exorta eſt contentio inter Eremitas, & Lateranenſes Canonicos de

de quorum numero fuerit S. Patrius? Canonici omnia invidentes Eremitis, monasticam S Patritii absolute negare conantur, inter quos antesignanum se fecit Pennotus cum duobus fundamentis: primum est: S. Patritius á S. Martino Turonensi institutum suscepit; sed institutum S. Martini erat Canonicorum: Ergo etiam S. Patritii. Secundum est: in Cathalogo SS. Canonicorum approbato á S. Pio V. est S. Patritius, tanquam sui Ordinis alumnus: Ergo. En fundamenta, inquibus tam grandis Canonicorum machina fundatur; & cum quibus solent Eremitis insultâre. Talia sunt, ut primo obtutu penitus evanescant. Ad primum dico, falsum esse S. Martinum Canonicum fuisse, omnes enim illum vere monachum fuisse confitentur; ut patet in ejus vita. Insuper, quia S. P. Augustinus Canonicos reformavit an. 397. ut tenet N. Delcampo in Histor. Generali, & omnes nostri; sed S. Martinus, qui obiit anno 369. multo ante erat Episcopus; ergo non inter Canonicos, sed potius inter monachos numerandus erit. Sed hoc dato, adhuc non convincitur, quia etiam S. Patritius anno 303. sub S. Germano Antisiodor. monasticam amplexus est; quod non implicat, quia plures Clerici, & Canonici, postea monachismum sunt amplexi: N. S. Joannes á S. Facundo ex Clerico, & Parocho noster Eremita factus est, & S. Raymundus de Penafort ex Canonico Barchinonensi monachus S. Dominici etiam est factus; & sic de pluribus: unde ex argumento Pennoti magis S. Patritii infertur monachatus. Ad secundum respondeo, maximam détegi incohærentiam in argutiis Pennoti, quia etiam Xistus Quintus nobis concessit de S. Fulgentio, & S. Guilelmo officium recitâre: insuper Joannes 22. Bonifacius 9. Martinus V. Xistus IV. Alexander VI. Julius II. Leo X. Gregorius XIII. S. Augustinum nostræ Religionis véterem institutorem appellant; & tamen hæc omnia apud Pennotum nihili pendent: quid ergo dicendum est ad ejus argumenta? Quid? est, quod Pius V. in tali concessione non definivit, sed locutus est secundum probabilitatem, quam tunc habebat, quia aliás Clemens X. anno 1672. die 19 Augusti nostratibus non concederet de S. Patritio tanquam de nostro officium recitâre.

Solutis ergo Pennoti fallaciis, nostras licet proponere rationes. Prima sit. S. Martinus Turonensis fuit vere monachus in monasterio Mediolanensi, ut ait Bonifacius IV. & Petrus Cluniacensis: ergo etiam S. Patritius, qui ab illo didicit institutum. Antecedens, simul, & consequentia patet ex Jocelino ex vita S. Patritii cap. 22. ubi de S. Martino loquens ait: & quia idem sanctissimus Sacerdotum Carbunculus monachus fuit, cognato suo Patritio monasticum hábitum, & ejus instituta tradidit obsérvanda, quæ ille devote suscepta, actibus habitui respondentibus adornavit, & in eisdem perseveravit. Idem Jocelinus ibi cap. 111. ait. Maris namque profluvium implendo, totum locum consuetum, & spatium occupavit; sed solum locum illum, in quo cuculla S. Patritii continebatur, intactum dimisit. Hæc ille: quis ergo negabit cucullam esse monachorum proprium indumentum? Id ipsum asserit infra Jocellin. cap. 185. Super cætera indumenta cuculla candida amiciebatur, ut ipsa habitus forma, & colore monachatus sui speciem, & candorem humilitatis, & innocentiæ repræsentaret. Unde, & monachi in Hibernia S. Patritii sequendo vestigia per multa temporum volumina, habitu simplici contenti erant, quem ovium ministrabat lana, qualibet extrinseca tinctura remota. Confirmatur authoritate Bedæ, qui tom. 3. in vita S. Patritii lib. 1. ait. Peracto vero quadriennio apparuit ei Angelus Domini, & dixit illi: Vade ad plebem Dei, id est Eremitas, & solitarios nudis pedibus, & conversare cum eis, ut probéris per aliquod tempus, & venit in solitudinem, & mansit cum Eremitis per octo annos. Venit iterum ad eum Angelus Domini, & dixit ad eum: Vade ad illos, qui sunt in insula inter montes, & mare &c. Sicque permansit cum Insulanis illis novem annis, habitus ab eis in magna veneratiône. Res amplius patet ex chirographo S. Patritii invento in monasterio Glastonensi, ut réferunt Richardus Stanihurtus in vita S. Patritii, & N. Marques cap. 15. §. 5. fol. 286, quod sic se habet: In nomine D. N. Jesu Christi: Ego Patritius humilis servunculus Dei anno Incarnationis ejusdem 433. in Hiberniam a SS. Papa Cælestino I. legatus, Dei gratia Hibernicos ad fidem veritatis converti. Et cum eos in fide catholica solidassem, tandem in Britanniam sum reversus ad Insulam Avaloniæ, & ibi duodecim Fratres invêni Eremiticam vitam ducentes, & cum in-

veni eos humiles, quietos, elegi potius cum illis abjectus esse, quam Regalibus Curiis habitare, sicque invitum in pastorem me prætulerunt.

Confirmatur ulterius, quia S. Patritius à S. Germano didicit institutum; sed S. Germanus monasticum sequutus est, ut refert Constantius in ejus vita apud Surium tom. 4. lib. 1. cap. 9. ubi ait. Indumentum, cuculla, & tunica in discretis fuere temporibus. Et cap. 12. ait. Itaque vir doctissimus, quod est difficilimum, inter frequentias populorum, solitudinis vitam, & Eremum in sæculi conversatione servavit. Et lib. 2. c. 31. agens de ejus exuviis post mortem ait: Cucullam cum interiori cilicio Petrus Episcopus usurpavit; ex vero Antistites, ut aliquid monimenti ex successione sanctitatis acciperent, disrumpere, quod superfuerat, maluerunt; unus pallium, alter cingulum accepit; duo sagulum diviserunt. Hæc omnia sunt signa vera S. Germanum sub Eremitico, & Augustiniano vixisse instituto: ergo etiam tale fuit S. Patritii institutum.

Unde ergo appâret in vita S. Patritii Canonicorum institutio? Usque adeo me latet, & latebit. Unde jure merito inter nostrates numerâtur; & ita mecum sentiunt NN. Delcampo in Cathalogo SS. Herrer. tom. 2. Alph. fol. 231. Torelli tom. 2. in Sæculis fol. 125. & in Centur. 1. cap. 44. fol. 77, Marques, Ludovicus ab Angelis; Franciscus de Ribera in vita S. P. Augustini p. 2. lib. 4. c. 14. fol. 358. n. 432, Portillo hac die, fol. 533. Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 144; & in Panthæo fol. 56, Josephus à D. Antonio tom. 1. fol. 539, & plures etiam ex exteris.

B. S. Mocuvius Episcopus Endruensis discipulus S. Patritii obiit sanctissime circa annum 780. De illo agunt Philippus Osuvellanus, & N. Portillo hac die tom. 1. fol. 551.

C. S Marcus Aurelius Cassiodorus, relictis sæculi pompis, monachismum Augustinianum amplexus est in cœnobio Vivariensi in Urbe Ravenatensi, ubi innumeris libris compositis, sanctitate clarus, hac die in cœlum volavit ann. aut 562, aut 576. ætatis 97. De illo Mitfordius in suo Martyrolog. & Henschenius in Actis SS. in prætermissis agunt. Ex nostris de illo agunt Elss. in Encom. lit. A. fol. 104; Nativitas Monte 3. lit. A. fol. 520. num. 144; & plures alii. Verum monachi S. Benedicti acriter decertant hunc clarissimum Heroa sui Ordinis fuisse; libenter annuerem, si saltem inveniissem fundamentum remotissimum; quia recordor legisse in suo Venerabili Ruperto lib. 3. in Regula S. Benedicti tom. 3. cap. 7. fol. 965. verba sequentia.

Contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque nostrum dicit: ego quidem sum Augustini, ego autem Benedicti, ego vero Regulæ hujus, vel illius, ego autem Christi, quod ultimum útique verum, & bonum est absque contentione fateri. Nonne hujusmodi contentiones habere schismata facere est? Neque enim absque inflatione contenditur, nec parum unus adversus alterum inflatur pro alio, cum dicit is, qui se profitetur esse Augustini contra illum, qui se profitetur esse Benedicti? Augustinus Episcopus est, Benedictus monachus est: Episcopus sine dubio maior est monacho: nonne meus Ordo altior est Ordine tuo?

Unde passionem exuens, quæ in opinionibus apud AA. vulgariter esse solet, ne forte arguar á Verbis Apostoli Ad Galatas 5. Sic stulti estis, ut cum spiritu cæperitis, carne consumemini? Pacis conglutinandæ studio referam, quod sentio verissimum; scilicet, quod S. Aurelius nullatenus ad S Benedicti Ordinem póterit pertinêre, cum illo fuerit antiquior: Rem probo: S. Aurelius, ut apud omnes est certum, vixit 97 annos: cum ergo obierit, vel anno 562. ut nonnulli asserunt. vel anno 576. ut alii, licet minus vere, renarrant; sequitur, quod vel natus fuerit anno 465. vel 479. & cum eximia clareret doctrina, Theodorici Italiæ Regis magisterium exercuit, ut de illo narrat Volaterranus lib. 13. & elegantius Joannes de Bussieres in Flosculo Historiarum Areola 13. anno 491. fol. mihi 253. sic: Annumerandus in Theodorici bonis Cassiodorus, ipsius maximum ad amplitudinem instrumentum, Consiliis agenda dirigens, & doctissimis scriptis acta illustrans; simul Principi suo Agamemnon, & Homerus. Vir doctrina magnus, sanctitate penè par; bene apud posteros styli gloria méritus, at meritissimus exemplo; quo negotiis aulicis extricatus, Deo uni intendens, se claustro abdidit, cujus angustiæ mundum excludunt, ut cœlo páteant.

Et Theodoricus, á virtutibus degener, manîa correptus, in felici fato oppetiit

tiit anno 526. regni 33. justa primordia teterrimo exitu corrumpens, ut in vita S. Joannis Papæ 27 Maii, & apud historiographos narratur: post cujus obitum S. Aurelius in Vivariensi cœnobio Ravennæ monachismum amplexus est, sub quo vixit usque ad annum 562, quod est certius, vel 576. quod non probatur. Hæc de S. Aurelio. Nunc de S. Benedicto sit Sermocinatio: Hic S. Patriarcha, ut apud doctiores Annalistas est certum, prodiit ad lucem anno 527; ut inconcusse asserunt NN. Purific. in Antidoto tract. 3. c. 5. folio 88, & in Chron. Leal in Chron. Purificat. 2. Exam. 11. fol. 130; ex Benedictinis Fr. Bernardus de Brito in Chron. Cistercienſi. Ex exteris Bussieres ubi supra fol. 260. Cum ergo bis septem annos impleret, scilicet anno 541, à Romano Abbate monachi habitum suscepit: cum quo in Sublaco inclusus stetit 35. annos; & sic perficiuntur 576. anni: inde in Cassinum perrexit, ubi suæ Religioni posuit fundamenta in spatio quatuordecim annorum, in quibus sexaginta tres anni, quos vixit, adimplentur, obiit enim anno 576.

His præjactis arguo sic. Si S. Cassiodorus ab anno 526. in Vivariensi Cœnobio monasticam vitam amplexus est, quo anno nondum in lucem prodierat S. Benedictus, qui ortus est anno 527: & si ille in dicto monasterio sancte oppetiit anno 562, ante quatuordecim annos, quam S. Benedictus suam fundaret Religionem, vel anno 576, in quo illam S. Benedictus fundavit, quommodo póterat sub S. Benedicti instituto vivere, aut vixisse S. Aurelius; præcipue, cum Vivariense cœnobium, in quo S. Aurelius vixerit, nullum fuerit ex duodecim, quæ S. Benedictus In vita sua in Cassino fundavit! Cum ergo hæc supputatio sit inconcussa, inconcussum manet, S. Aurelium S. Benedicti claustra ignorasse, & injuste a Trithemio, & aliis inter suos numerári, ut jam dudum nobiscum asseruit Baronius tom. 6. ann. 494. n. 77. fol. 498, ubi ait..... Perperam meæ sententiæ illi faciunt, qui ei, quos non genuit, alienos partus supponunt: qui, inquam, nimio ejus Ordinis, sub quo profitentur, amôre, nonnullos famæ illustres viros, qui etiam ante S. Benedicti tempora floruerunt, ejusdem fuisse regulæ professores imprudenter, & inconsulte nimis affirmant: præstitit hoc inter alios Trithemius, authorque cæteris posterioribus fuit id ipsum faciendi. = quid, rogo, cum S. Benedicto S. Cæsarius Arelatensis Episcopus, qui, antequam nasceretur ille, erat Antistes, ut superius demonstratum est. Quid ad eumdem pertinet Faustus Regiensis Episcopus, qui eodem cum sancto Cæsario vixit tempore? Quid insuper ad S. Benedictum Eugippus Abbas, qui antequam ipse S. Benedictus sumeret monasticum habitum, jam S. Severini discipulus, & monachus erat? Sed quid insuper Cassidorum pro animi arbitrio sub ejusdem S. Benedicti regulis monachorum referunt? Dolui, fateor, considerans veritatis candorem non illustrari, sed obscurari ab his, qui nullum habentes delectum, quoscumque reperiunt doctrina, vel sanctitâte claros, vitæ monasticæ alumnos, eosdem sub S. Benedicti regula constituunt professores; cum tamen jam ante tempora S. Benedicti constet etiam in omnibus occidentalis Ecclesiæ Provinciis viguisse diversa genera Monachorum, ut, quæ sæpius dicta sunt, certissimam fidem faciunt.

Quod autem fuerit monachus, omnes concorditer fatentur, & quod fuerit Augustinianus, asserunt prædicti, & plures alii, & patet, quia inter egregia sui ingenii monimenta composuit compendiosa methodo explanationem Psalmorum, in qua in compendium reduxit omnia á S. P. Augustino in libro Psalmorum prolata, Nobiscum sentiunt Elssius, & Nativitas. Monte 3. fol. 520. vide 19 Januarii.

D. VV. Antonius Elvensis, & Innocentius Barcellensis Lusitani fuerant, quorum primus professus est Olyssippone anno 1540. & dictus est Fr. Antonius á S. Augustino. Cum vero in Florentiam pergeret studiorum causa, & exinde egressus esset cum comite Fr. Innocentio, apud Lunellium in Gallia ab hæreticis, simul & socius, crudeliter trucidatus est hac die anno 1561. quorum martyrium ab Ordinario probatum est. De illis agunt ex NN. Simplicianus á S. Martino in Chron. Ordin. fol. 679. Roman Centur. 12. an. 1561; Herrera tom. 1. fol. 21. & fol. 400. Antonius á Purificat. in Theatro Triumphali, & in Chronolog. Monastica hac die fol. 40. D. Alexius de Menezes in Vitis SS. hujus Provinciæ fol. 34. Torelli Centur. 5. cap. 2. fol. 518. & in Sæculis tom. 8. an. 1561. fol. 426. num. 2. Arpe tom. 1. SS. fol. 146. Elss. in Encom. Josephus á D. Antonio tom. 1. Floris SS.

fol. 684. Portillo tom. 1. fol. 553. & Leal ibidem in lib. lit. C. fol. 124. & 159. Ex exteris Georgius Cardoſo in Agiolog. Luſitano hac die fol. 106. & duo Dominicani ſcilicet, Alphonſus Fernandes in Hiſtoria Eccleſiaſtica, lib. 3. cap. 20. & Petrus Calvo in Lacrymis Juſtorum p. 2. cap. 12. fol. 68.

Epigramma in illorum Laudem.

Grande nefas: binos ligat ater Apoſtata Fratres,
A verâ cupiens hos removêre fide.
Auſcultare negant Fratres indigna roganti,
Conſtantique animo ſuſtinuêre fidem.
Unde duo fortes incommoda nulla timebant;
Vivit in illorum pectore firma fides.
Sic manet infandi mens obſtupefacta Tyranni;
Dum ſua vis Fratres exſuperare nequit.
Armat in innocuos quæcumque nocentia Fratres,
Quos ánimat cæſos vivida relligio:
Ergo polum illuſtres fuſo petiêre cruore:
Pro Chriſto fuſus tollit ad aſtra cruor.

E. Ven Hieronymus Seripandus Troiæ in Apulia ex illuſtri proſapia natus eſt 6. Maij anno 1493, & anno 1507, eodem die Neapoli Eremi noſtræ clauſtra eſt ingreſſus; poſt varias in ordine dignitates Neapoli die 24. Maij ſummum Religionis clavum adeptus eſt anno 1539; & an. 1561. die 20. Februar. à Pio 4. in 2. Creatione 18. Cardinalium purpura donatus eſt titulo S. Suſanæ; & poſt Sacri Concilii Tridentini Legatus, ubi ſumma ejus eruditio non parum illuxit, & cum in vita ſanctiores Ordinis Patres, aut æquaret, aut ſuperaret; à puero enim in Deum ſuam ſpem ponens, ſæpius repetebat: Mihi autem adhærêre Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam, piiſſimè Tridenti deceſſit anno 1563. De die autem ſui obitus dubium eſt, N. enim Gandulfus in lib. de Cardinalibus noſtri Ordinis ait obiiſſe 9. Martii, N. Portillo tom. 1. fol. 503, 13. Martii; certius tamen eſt obiiſſe 17. Martii, ut dicitur in Calce Concilii Tridentini, & ita aſſerunt, dum de illo agunt, NN. Herrera tom. 1. fol. 544, Toreli tomo 8. anno 1561. fol. 426. à num. 3, & anno 1563. fol. 436, ubi late de illo agit, & refert orationem in ejus exequiis habitam Bononiæ in ædibus D. Jacobi á Fr. Ægidio Marcheſino Dominicano Bononiæ lectore 4. nonas Aprilis. Arpe in Pantheo Elogio 86. fol. 293; Joſephus à D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 717, Elſſius in Encom. Auguſt. Milenſ. Jorda in Excellentiis Ord. lib. 3. c. 6. fol. 316; & alii plures. Ex exteris Poſſevinus, Pallav. Ciaconius ad an. 1563, Seraderus in monumentis Italiæ fol. 3. Laurentius Craſſus p. 1. Elogiorum fol. 1. Nicolaus Toppi in Bibliotheca Neapolitana fol. 160. N. Michael Hoyerus Flandrinus in Miſcellaneis fol. 145. affert celebre Elogium ad effigiem N. Seripandi, quod ita eſt.

Seripandus, iſtud os ſacrum talis fuit,
Seu Purpuratos éminens inter Patres,
Cortina Cœli, panderet ſenſus Deum.
Fidemque priſcam voce fatiloqua gravis
Aſſereret Heros; ſive moderamen ſacræ
Clavumque turmæ gereret, ac cuncta daret
Oracla mundo: talis offuſus ſolo,
Aut inter aras cælitum fudit preces,
Meritus rubentem luce non una togam
Apicemque ſacrum. Macte divinum caput
Aureliani lumen, & ſidus gregis
Umbrare potuit ars quidem vultus tuos;
Sed ſenſa, ſed cœleſte portentum ingens
Senibuſque longe dulcius melos cycnis,
Non ipſe Apelles, non ſuâ Zeuxis manu
Valeat referre: nam licet, ceræ leves
Humana lentâ conſequi poſſint mora
Maiora nemo monſtra, quæ donat polus,
Adulteris exprimere, ſed ſuccis poteſt.

De Ven. Cardinali Seripando cecinit Hieronymus Borgius Epiſcopus Barcæ.

In cœlo, Seripande, Deus tibi præmia ſervat,
Nos meritas laudes accumulâre decet.

Tecum

Tecum omnis periit ſcelerum caligine merſa
Parthenope, in lucem, te duce, ſane redit.
Illa quidem ſupero maneat facundia fonte,
Ad ſuperos homines quæ trahit uſque choros.
Cedat Thriecius, qui traxit in oppida vates,
Sylveſtres homines, ſanctaque jura dedit.
Orphæus terrenum, Seripandus rectius arcem
Cœli mortales nunc habitare decet.

Et N. Nicephorus Sebaſtus de eodem.
Si qua fides faſtis, eademque & dira Britannis
Pelagium, hæc Afris protulit Aurelium.
Triſtia ſic lætis miſcet Deus, inde venenum
Prodiit, hinc fundit ſcorpius antidotum
Auguſtinenſis ſic tu, Seripande, Lutherum
Falce Tridentina ſternis, & interimis.

De illo agit Ughell. tom. 7. Italiæ Sacræ fol. 438.

F. Ven. Antonius Molinas Caſtellæ in oppido de Villa-nova Infantum natus eſt ex Antonio de Molina, & Franciſca de Herrera; in Salmanticenſi cœnobio profeſſus eſt die *17.* Martii ann. 1575. cum poſtea eſſet Prior cœnobii Numantini, ad Carthuſianos migravit, ubi in tractatibus edendis, & piis operibus intentus cum odore ſanctitatis deceſſit circa annum 1619. De illo agit N. Herr. in Alphab. tom. 1. fol 32.

G. Ven. Thomas à S. Hieronymo inter Diſcalceatos floruit obſervantia: obiit Romæ ſumma cum pietate. De illo agit Fr. Joannes Bartholomæus Luſtro *16.* n. 22. fol. 462. ejus imago cum aliis depicta extat in ſuo Eborenſi Diſcalceatorum, cum hoc elogio. Ven. P. Thomas à S. Hieronymo obſervantia clarus, oratione, & prædicatione inſignis; regulam S. P. Aug. non ineruditis tercentum ſermonibus elucidavit in tres tomos. Prælaturæ fugientem ultro inſecutæ ſunt; obiit pie Romæ 17. Martii anno 1670. ætat. 59, religionis 30.

H. Ven. Magdalena Palomar in cœnobio monialium Mirambel in Aragonia hac die profeſſionem emiſit anno 1603. ubi ſancte obiit. Agit de illa N. Jorda tom. 3. in Hiſtor. Aragon. lib. 3. cap. 9. fol. 220. num. 5.

I. Ven. Agnes à S. Getrûde floruit inter Urſulinas de Avergne in Gallia mirabili ſanctitate, & hac die anno 1626 é vivis deceſſit. Urſulin. Chronic. fol. 203.

L. Hac die refertur Translatio S. Bathildis Reginæ Francorum, & monialis in monaſterio Kalenſi, in quo obiit anno 670. die 26. Januar. Agit de illa Sauſſai Andreas in Martyrologio Gallico.

QUINTO DECIMO KALENDAS APRILIS.

XVIII.

A. Hac die in noſtro Ordine feſtum S. Gabrielis Archangeli, qui B. Virgini Mariæ Dominicæ Incarnationis myſterium inſcrutabile nuntiavit. *B.* In Inſula Mindanao paſſio cujuſdam ex noſtratibus, qui ab infidelibus in rabiem actis comprehenſus, in odium fidei crudeliter occiſus eſt. *C.* Bononiæ in cœnobio Corporis Chriſti tranſitus B. Illuminatæ Bembæ Virginis, genere, pietate, & monaſtica obſervantia illuſtris, quæ una fuit ex illis Virginibus, quæ B. Catharinam Bononienſem ſecutæ ſunt ad erectionem cœnobii corporis Chriſti, poſtquam ſub noſtro habitu aliquot per annos vixiſſet; & quæ omnia acta S. Catharinæ in libello notavit; cumque in dicto cœnobio meritis, & virtutibus claruiſſet, ſancte obiit,

&

& ibidem ſolemni pompa ſepulta eſt. *D.* Olyſſippone in cœnobio maiori depoſitio Ven. Lucæ á Reſurrectione, viri raris prædíti virtutibus, & præcipue charitate, in qua floruit tempore peſtis, motus enim illa, de ſuperiorum licentia, nozocomium ſalutis petiit, ubi per triennium ſumma cum charitate inſervivit ægrotis: & tandem etiam peſte correptus, factus charitatis victima, oppetiit: & in ſignum ſuæ intenſivæ charitatis poſt aliquot annos in ejus ſarcophago manus repertæ ſunt incorruptæ. *E.* Eodem die memoria Ven. Joſephi á S. Auguſtino Laici, & Michaelis á Viſitatione ſacerdotis, qui Ven. Lucam relatum ad Nazocomium ſalutis comitati ſunt, quorum primus maxima etiam charitate erga peſte correptos coruſcavit, lacte enim caprarum nonaginta infantes orbos parentibus peſte defunctis aluiſſe refertur, quos veluti nutrix piiſſima in manibus fovebat, & orbitati eorum conſulebat. Hæc inter charitatis opera, pie decedens, in cœlum, ubi nunquam frigeſcit charitas, coronandus volavit; quorum etiam manus annos poſt nonnullos, ut illius oſtenderent ſanctitatem, integræ repertæ ſunt. *F.* Panhormi in cœnobio S. Nicolai depoſitio Ven. Alexandri á S. Franciſco Diſcalceati, qui ab ingreſſu Religionis, virtutibus operam dedit, præcipue humilitati, ſolitudini, orationi, paupertati, & obedientiæ. Cum vero in Ordine plura cum zelo, & prudentia munia exercèret, ibidem pie naturæ conditioni ſatisfecit.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM OCTAVUM MARTIJ.

A. Feſtum S. Michaelis Archangeli plures abhinc annos in noſtra Religione celebratur in hoc menſe, & hac die, licet alibi 26 Martii celebretur; & rite in hoc menſe celebratur, quia opinantur plures in hoc menſe Angelos fuiſſe creatos, & inſuper, quia in hoc menſe Incarnationem Æterni Verbi Deiparæ nuntiavit.

B. Paſſio unius ignoti nominis ex noſtratibus accidit hac die, anno 1637. in Inſula Mindanao, ut referunt NN. Herrer. lit. N. de Perſ. SS. & Elſſ. in Encomiaſtico lit. N. fol. 534.

C. B. Illuminata Bemba filia clariſſimi Laurentii Bembi ſenatoris Véneti, vixit in cœnobio Ferrarienſi noſtrarum Tertiariarum ab anno trigeſſimo cum Ven. Lucia Maſcaroni, & S. Catharina Bononienſi, cum qua in cœnobio Bononienſi Corporis Chriſti Ord. S. Franciſci degens, & illius acta ſcribens, beato fine quievit hac die. Agunt de illa ex NN. Herrer. in Alphab. tom. 1. fol. 140. dum de S. Catharina Bononienſi, Joſephus á D. Antonio in ſuo Iman Spirituali fol. 63. num. 31. Ex exteris P. Artur à Monaſterio in Martyrolog. Franciſcano hac die, omneſque iſtius Ordinis Hiſtoriographi, & P. Henſchenius in prætermiſſis hac die in Actis SS.

E. Ven. Lucas á Reſurrectione Luſitanus filius Ægidii Gonçalves, & Mariæ Picottæ; profeſſus eſt Olyſippone anno 1565. fuit provisor nozocomii ſalutis tempore peſtis, qua poſt triennium correptus, pie deceſſit hac die, anno 1599. De illo agunt NN. Leal in m. ſ. lib. lit. C. fol. 85. Arpe in Diario SS. p. 1. fol. 169. Purificat. in Chronol. monaſt. hac die fol. 41. Joſephus á D. Antonio tom. 1. Floris SS. folio 717. Ex exteris Georgius Cardoſo in Agiolog. Luſit. hac die fol. 215.

E. VV. Joſephus á S. Auguſtino Laicus cum Michaele á Viſitatione, cum prædicto infirmis ſumma cum pietate inſervierunt, quorum primus circa an. 1600. creditur obiiſſe. De illo agit N. Leal in lib. lit. C. m. ſ. fol. 123. & 595. ubi etiam de altero agitur.

F. Ven. Alexander á S. Franciſco natus eſt in oppido dicto Lingua groſſa, quod eſt Siciliæ Caſtellum anno 1600. qui anno 1623. inter Diſcalceatos ſe Deo dicavit in cœnobio Panhormitano S. Gregorii, ubi ſe Deo per tria vota ligavit 10 Novembris anno 1624. & cùm in Religione, & verbo, & ópere valde coruſcaret, hac die ibidem denatus eſt anno 1676. ætatis 76. & Religionis 52. Agit de illo Fr. Joannes Bartholom. Luſtro 17. num. 123. fol. 487.

QUAR-

QUARTO DECIMO KALENDAS APRILIS.

XIX.

A. Festum sanctissimi Joseph, Sanctissimæ Virginis Mariæ Sponsi dilectissimi, & nostræ Religionis Patroni singularissimi. *B.* In Hibernia in cœnobio Bencorensi natalis S. Lactini Confessoris, qui jussu S. Angeli Urielis, ejus custodiæ deputati, S. Congellum petiit, á quo inter monachos susceptus, S. viro Molvæ, etiam á S. Angelo sibi in magistrum deputato, inhærēs, plurimū in virtutibus claruit: quotidie quinquaginta Psalmos recitabat; unde sacræ scripturæ tantam consecutus est notitiam, ut in omnibus scripturis evaserit versatissimus. Tandem multis virtutibus, & miraculis, etiam post obitum, illustris, hac die in cœlum volavit. Est specialis patronus contra veneficia, aliasque dæmonis infestationes. *C.* In Insula Mindanao triumphus alterius ex nostris nominis ignoti, qui captus ab infidelibus, & membratim conciisus die præcedenti, attamen miraculose usque ad hunc duravit diem, quo, susceptis Ecclesiæ Sacramentis, animam triumphaturam in cælis suo tradidit Creatori. *D.* Prope Minam Lybiæ urbem triumphus glorioſus duorum FF. Lusitanorum, Athanasii de Jesu, & Gasparis ab Angelis, qui á piratis Arruchelensibus comprehensi, & in odium fidei crudeliter verberati, in mare projecti sunt. *E.* In eadē Insula Mindanao passio gloriosa Ven. Joannis á S. Nicolao discalceati, qui ex Hispania, in Philippinam profectus, ibi á Mauris captus est, & ad illorum Regem crudelissimum nomine Corralat ductus, illius jussu plura perpessus est; & cum impius Rex á Christianis victus esset, illum in ligno fecit suspendere, & furore commotus, multis affecit vulneribus, & postea ex alta rupe jussit præcipitare, unde martyrio hac die occubuit glorioso. *F.* In Insula Capitis Viridis depositio Ven. Francisci á Cruce ejusdem tertii Episcopi, undè evellens vitia, & plantans virtutes, innumeros ad meliorem frugem reduxit. Cumque boni Pastoris partes explesset, verbo, exemplo, & prodigiis nonnullis clarus, hac die é vivis piissime decessit, & sepultus fuit in Sede Cathedrali, & post annos aliquot corpus ipsius incorruptum, & odoriferum repertum est. *G.* Hac die memoria Ven. Petri de Gratia Lusitani, viri scientia, & pietate glorioſi, qui ex hoc regno in Indiam profectus, zelo catholicæ religionis incensus, concionibus suis plures ad fidem convertit; inter eos fuere Rex Affutensis, qui in baptismo dictus est D. Philippus, & sex illius filii, qui appellati sunt, Antonius, Ludovicus, Petrus, Sebastianus, Catharina, Susanna; item Rex Comanensis antea Ohihu, postea Alphonsus dictus, & sex ejus filii scilicet, Sabene, dictus in baptismo Nonius, Affani, dictus Sebastianus, Assa, dictus Augustinus, Coacoá, dictus Eduardus, Hyo Hyu, dictus Antonius: item Rex Abramuzensis & magna plebis multitudo. Cum que per universam Guineam Visitationis Generalis munere fungeretur, depravatos que incolarum mores, & abusus detestabiles summa cum prudentia compescceret, tantis laboribus exhaustus, & meritis glorioſus, ad præmia coronandus migravit. *H.* Peruvii in monasterio S. Josephi pretiosa mors Ven. Beatricis de Orosco, nobilitate sanguinis, sed plus virtutibus insignis; fuit enim una ex præcipuis ejusdem cœnobii fundatricibus; donec de se præclaræ virtutis plura reddens testimonia, hac die cum magna sanctitatis opiniône ex hac vita migravit. *I.* Segorbii in cœnobio monialium depositio Ven. Helenæ á S. Josepho ibidem monialis eximiæ sanctitatis, obquam ad nonnullas fundationes vocata est; in omnibus floruit virtutibus, præcipue humilitâte, silentio, oratiône, devotiône erga Deiparam, & animas Purgatorii, patientia in morbis; quibus attrita, & præmonita de die, & hora sui obitus á Puero Jesu ter illi apparente, hac die felici fato denata est. *L.* In Lusitania in cœnobio Eborensi Pueri Jesu transitus Ven. Elisabethæ de

Jesu

Jeſu monialis, cujus vita prodigiis plena refertur; ipſa enim pœnitentia claruit, ſeſe enim ciliciis, & disciplinis aſſidue macerabat, & crucem punctis acutis ſecum ad pectoris radicem aſportabat. Ante ejus obitum á cœnobii Monialibus viſa ſunt in ejus corpore patefieri manibus pedibus, & lateré quinque vulnera ita clare, ut cunctis videntibus eſſet ſtupori: inſuper humerus ita gravatus erat, ut oſtenderet, lignum aliquando aſportaſſe ponderoſum. Obiit tandem hac die meritis multis cumulata, & inter Angelicos pie creditur choros aſſidêre, quæ in terris in meritis Angela videbatur.

COMMENTARIA.

AD DIEM DECIMUM NONUM MARTIJ.

A. S. Joſeph. Sponſus caſtiſſimus Deiparæ, Protector datus eſt noſtræ Religioni á Sede Apoſtolica anno 1722. die 25. Aprilis; & hujus conceſſionis tenor infra ponitur.

Sacra Rituum congregatio, ad humillimas preces P. M. Gaſparis de Molina Ordinis Eremitarum Calceatorum S. Auguſtini, aſſiſtentis Generalis Hiſpaniarum, per Eminentiſſ. & Reverendiſ. D. Cardinalem de Bellugo relatas, Gratiam in ſimilibus factam extendendo, benigne indulſit, ut officium proprium Patrocinii S. Joſephi, & Miſſa reſpective, iiſdem modo, & forma, quibus ſub die 27 Januar. 1700. Ordini Eremitarum Excalceatorum S. Auguſtini congregationum Italiæ, Germaniæ, nec non Hiſpaniarum, ac Indiarum conceſſum fuit, in poſterum Tertia Dominica poſt Paſcha, á PP. etiam Calceatis ſupradicti Ordinis recitari, ac celebrari poſſint, & valeant. Die 25 Aprilis 1722. F. Cardinalis Paulutius Præfectus.

N. M. Tedeſchi Archiep. Apæn. S. R. c. Secr.

Jamdudum noſtra Religio protectionem Deiparæ adepta eſt, ut ipſa cuidam noſtri Ordinis Novitio declaravit dicens, eſſe ſuæ Religionis patronam; ut referunt NN. Gondiçalus Holem, & Elſſius in Encom. lit. N. 5. Juvenis; & alibi multoties, ut Deo dante, oſtendam in Anno Virgineo Auguſtiniano: & ſub tanto Virginis patrocinio liberata eſt hæc Religio á multis, & variis diſcriminibus, quæ á ſui primordio perpeſſa eſt; taliter, ut dici poſſit de illa illud Pſalmi 128: ſæpe expugnaverunt me a juventute mea: etenim non potuerunt mihi. Cum ergo per conjugium mirabile Deiparæ S. Joſeph eſſet conjunctus, & quos Deus conjunxit, ſeparare non liceat; ideo judicavit Eccleſia juſtum eſſe cum Deipara illius Sponſum noſtrum Protectorem nominare, quod fecit, & ſtatim Religio illius patrocinii ſenſit magnitudinem; nam cum litigaretur inter Eremitas, & Canonicos circa identitatem Corporis S. P. Auguſtini in cœnobio Papienſi S. Petri in Cælo Aureo reperti; pro noſtris ſtetit corona triumphalis. Hoc certe debet Religio patrocinio S. Joſephi; ut pote qui pro Eremitis pugnavit, factus illorũ novus Protector, & Pater, inquam, quia nomen Joſeph valde coincidit cum hoc nomine Auguſtini: ut aſſerit N. Ludovicus ab Angelis in vita S. P. Auguſt. lib. 1. c. 1: ſic. Augias apud Græcos, Joſeph apud Hebræos, Auguſtinus apud latinos: & Joannes Echius Serm. Nativitatis Chriſti fol. mihi 78. ait. Quidam hic expendunt Etymon nominis Joph, cui reſpondet apud Romanos Auguſti appellatio; utrumque enim auctum, vel additum ſignificat. Religio ergo Auguſtiniana ſub S. Joſephi patrocinio commorare, qui certe nanciſcetur tibi petitiones cordis tui; nec ſuam ſinet vanam dici potentiam, quia, ut ait Naſo lib. 2. de Ponto.

Conſpicitur nunquam meliore potentia cauſa,
Qnám quoties vanas non ſinit eſſe preces.
Hoc nitor iſte tui generis deſiderat, hoc eſt
A ſuperis ortæ nobilitatis opus.
Hoc tecum commune Diis, quod utrinque rogati
Supplicibus veſtris ferre ſoletis opem.

B. S. La-

B. S.Lactinus monachus fuit in cœnobio Bencorensi sub disciplina S.Congelli Abbatis, ubi miraculis clarus obiit hac die, anno *621*. De illo agunt Acta SS. Henschenii hac die, & alii plures : & certe nostræ Religioni constat pertinêre; quia intali cœnobio S. Columbani institutio servabatur, ut omnes nostri asserunt historiographi.

C. Quidam martir Ordinis in Insula Mindanao hac die ab infidelibus triumphum reportavit anno 1637, út referunt NN. Herrera lit. N. de Person. SS. & Elssius in Encom. lit. N. fol. *534*.

D. VV. Athanasius de Jesu Aronchiensis, & Gaspar Ab Angelis prope Minam á pyratis Arruchelensibus capti, post verbera, in mare præcipitati, martyrium prepessi sunt hac die, anno *1575*. De illis agunt NN. Antonius á Purific. 2. p. Chronic. fol. *266*. & in Chronol. monast. fol. 41. Leal in m. s. lib. lit. C. fol. *137*. Arpe in Diario SS. hac die fol. 160. Josephus á D. Antonio tom. *1*. Floris SS. fol. *696*. Ex exteris Georgius Cardoso in Agiologio Lusitano tom. 2. fol. *230*, & *237*.

E. Ven. Joannes á S. Nicolao Matritensis, qui ex Hispanja in Philippinas profectus anno 1622. prædicationis causa ab infidelibns insulæ Mindanao captus, & crudeliter tortus, sanguine fuso pro Christi fide, in cœlum ascendit dealbandus hac die, anno *1637*. De illo agunt NN. Portillo tom. 1. fol. 559. Josephus á D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. *695*. ubi de illo refert plura. Torelli, Arpe fol. 118.

F Ven. Franciscus á Cruce Villaviçosánus, & in patria nostræ Religionis habitu assumpto, & professione emissa die 2 Julii, anno 1528. ob egregias animi, ingeniique sui dotes anno 1445. die 3 Julii creatus est Episcopus Oppiensis, & suffraganeus Conimbricensis; postea ob obitum D. Joannis Parvi nominatus est Tertius Episcopus Capitis, seu Finis Viridis an. 1547. à Joanne Tertio Lusitaniæ Rege, ubi summa cum prudentia, sanctitate, & prodigiis munus exercens, octogenario maior, post 23 annos prælaturæ, rara cum sanctitatis opinióne decessit hac die anno 1574. sepultusque est in sua Cathedrali. De illo agunt NN. Signinus in Chron. Ordin. Roman. Centur. *12*. N. Purific. de Viris illustribus lib. 1. fol. 44. & in Chron. p. 2. fol. 205. Herrer. in Alph. tom. *1*. fol. 240. Elssius in Encomiast. lit. F. Josephus á D. Anton. ubi sup. fol. *692*. Agiologium Lusit tom. 2. fol. *229*, & *236*.

G. Ven. Petrus de Gratia Lusitanus Algarbiensis, ex urbe Tavilensi, vixit in Religione raro cum humilitatis exemplo, & litteris divinis, & humanis clarus, arte enim poetica fuit egregius. Anno 1572. á N. Ven. Augustino de Castro, tunc Provinciali, in Indiam missus est cum superiori Gaspare ab Angelis, & aliis duobus, scilicet, PP. Josepho de Moraes, & Hieronymo ab Incarnatione, ubi cum esset Prior cœnobii Minæ in regno Angolæ an. 1567. ad fidem convertit tres Reges, Affutensem, Camanensem, & Abramuzensem: & postea 17 Novemb. an. *1575*. in sacro expiavit lavacro sex filios ipsius Regis Affutensis, & 4 Decemb. ejusdem anni sex alios filios Regis Camanensis; & die 20 Januar. an. *1576*. in nostro cœnobio Minensi publico in Sacrario SS. Sacramentum exposuit, ad cujus adorationem tres prædicti Reges cum coronis, & sceptris processêre. Hæc sunt, quæ de Ven. Petro scimus; cætera nobis non patent; ignoramus enim, & diem, & annum sui obitus. De illo tamen ex NN. agunt Herrera tom. Alphab. fol. *286*. Crusen. Purific. in Theatro Triumphali Choro 9. & *17*. & de Viris illustribus lib. 3. cap. 11. fol. 95. Torelli tom. *8*. an. *1573*. fol. 582. Leal in m. s. lib. lit. C. fol. 52. & Mag. Ludovicus de Casa Genuensis in lib. tredecim Elogiorum, quæ anno *1666*. Alexandro 7. dicavit; ubi in primo Elogio, quod est de Ven. Petro de Gratia, cecinit.

ELOGIUM.

Quæ Triregnum venerâris in Petro,
Triplici cum Rege, Roma, Petrum aspicias,
Sane uterque Piscator,
Aquas effundens iste, ille relinquens,
Magnis uterque piscibus implevit retia sua.
Novum in Petro sydus agnosce:

Quot enim Bethlemotica olim ſtella perduxit,
Totidem trahit ipſe Reges ad Chriſtum.
Victi jam tandem erubeſcite Cæſares:
Piſcationem ſuam Petrus
Non aureo hamo, ſed præda ipſa nobilitat,
Quam, præter morem, non ex aquis in retia,
Sed ex Evangelico rete trahet ad aquas.
Ut latius regnet fides,
Diademata piſcatur, & ſceptra.
Quamvis non deorſum tendat Petra iſta, ſed ſurſum,
Pondere tamen ſuo,
Ad Chriſti pedes Regia inclinat capita;
Et Crucem érigens, curvat imperia.
Quidquid de ſuo Deucalione Poeſis prophana jactaverit:
Hac Petra uſus eſt Deus,
Ut cœlo mortuos Reges, & Populos animâret ad vitam,
Pretioſiſſima, citra veritatis injuriam,
Indorum flumina ſunt.
Theſauros, & opes fluvialis aqua dat Regibus;
Reges Luſtralis aqua dat Chriſto.
Sub virga didicit olim petra molleſcere,
Et percuſſa dolorem ſuum eliquavit in fletus:
At liquida, non corporum, ſed animarum ſolatia,
De Petra ſua,
Non deſertum, ſed Eremus Auguſtiniana produxit.
Ut familiares Petro cuilibet aquas ſcires:
Primus, vel Artis magiſterio, vel doloris,
Pedes direxit ad fluctus,
Oculos erudivit ad lacrhymas:
Alter idolatriæ naufragia parans in aquis,
Manibus ſuis, præter myrrham ſponſæ,
Luſtralis aquæ infuſione, amariſſima Erebo tormenta diſtillat.
Mirare Lector:
Auguſtiniana fœcunditas,
Sæculorum detrimenta non ſentiens,
Vel in ſenectûte ſua
Reges parit.

H. Ven. Beatrix de Oroſco Soror Roderici de Oroſco Marchionis de Mortara una, & præcipua fuit ex fundatricibus monaſterii S. Joſephi in Peruana Provincia, ubi hac die cum magna ſanctitatis opiniône ex hac vita migrâvit anno 1603. Referunt NN. Joachimus Brulius in Hiſtor. Peruana lib. 7. cap. 6. n. 5. fol. 224. Elſſ. in Encom. Auguſt. lit. B. fol. 119.

I. Ven. Hélena à S. Joſepho in urbe Valentiæ orta eſt, & in cœnobio Spei ibidem exiſtenti inter moniales adſcripta eſt, ubi raro ſanctitâtis exemplo per viginti annos commorâta eſt: inde maioris perfectionis deſiderio accenſa in cœnobium S. Urſulæ Recolectarum ejuſdem urbis tranſiit: & inde vocata eſt ad fundationem cœnobii Olleriæ, ubi profeſſionem emiſit anno 1611. & tandem vocata eſt ad fundationem cœnobii S. Martini Segorbienſis, ubi per 25 annos vixit mirabili ſanctimoniæ odore, ubi periodum ſuæ vitæ aſpexit 19 Martii anno 1638. De illa mentionem faciunt N. Villerinus tom. 3. fol. 234. lib. 40. tract. 2. §. 2. Jorda tom. 2. Hiſtor. Valent. lib. 4. cap. 5. fol. 284. num. 10.

L. Ven. Eliſabet de Jeſu fuit monialis in cœnobio Eborenſi Pueri Jeſu, quæ licet pulcherrima eſſet, & ditior, tamen has naturæ dotes animoſius deſpexit, induebatur enim indumento pauperrimo, & anguſto: abſtinentia fuit rara, ab enim die S. Joannis Baptiſtæ uſque ad S. Michaelis feſtum, quoadvixit, jejunium obſervavit: inſuper á die omnium ſanctorum, uſque ad Chriſti Nativitatem: ad hæc addebat pia Dei famula

famula omnibus anni feriis quartis, sextis, & sabbatis jejunare: disciplinis, & ciliciis assidue se se macerabat: crucem acutis punctis oneratam secum ad carnis radicem continue deportabat, quæ ita tergori infixa est, ut arduitate avelli posset; in choro prima, & assidua, numquam sedère visa est. S. Francisci Minorum Patriarchæ devotione languebat, dicens, eidem ob sacra stigmata invidère: & hæc verba in oratione sæpius articulare visa est: hæc meruisti, hæc muruisti. Ante obitum 14. diebus extasim passa est continuam, in quo tempore nil gustavit obsonii. Interim ab omnibus cœnobii monialibus visa sunt in ejus manibus, pedibus, & látere quinque vulnera ita clare, ut néminem latêret, imo admirationi essent: insuper humerus ita gravâtus erat, ac si lignum aliquando asportaret ponderosum. Obiit tandem hæc Dei Sponsa, relinquens suæ rarum virtutis testimonium, die 19 Martii anno Domini 1691. Hæc mihi concessa sunt ex quadam relatione, quam ab ejusdem cœnobii monialibus accepi: quæ relatio, de hac, & de aliis agens mentionem, in mea potestate est.

TERTIO DECIMO KALENDAS APRILIS.

XX.

A. Bracharæ in Lusitania natalis S. Martini Episcopi, & Confessoris; qui ex Germania veniens, factus primo Episcopus Dumiensis, deinde ad Bracharensem Sedem evectus est, ubi Augustiniani instituti plura condens monasteria, jam annis confectus, sed plus méritis, & miraculis illustris, in cœlum hac die translatus est; cujus festum in Bracharensi, & Portucalensi Sedibus annuatim solemniter celebrâtur. *B.* In monasterio Fontanellæ transitus S. Vulfrani monachi, & discipuli S. Wandregisili, postquem ejusdem monasterii Abbas factus est: erat enim divinæ dilectionis igne succensus, patientia clarus, oratiône devotus, abstinentia insignis, omnibus affabilis; obquæ Episcopus Senonensis creatus est; unde divinitus admonitus Frisiis Verbum Dei prædicavit, & aliquando nonnullos aspiciens in aquis sumergendos, illos, super aquas ambulans, é periculo liberavit. Tandem solitudinis desiderio inflammâtus, relicto Episcopatu, Fontanellam secessit, ubi miraculis innumeris glorioſus, hac die ad paradisi gaudia migravit. *C.* Eodem die mors pretiosa S. Cutberti monachi, & discipuli S. Boisili Abbatis in cœnobio Melrosensi in Scotia, qui, postea cœnobio fundato in Insula Farnensi, cum virtutibus, & miraculis coruscâret, creatus est Episcopus Lindisfarnensis in Northumbria, ubi summa cum prudentia, & sanctitate gregem suum regens, hac die ad cœli palatia regnatûrus ascendit. *D.* In Anglia S. Hereberti Eremitæ, & Confessoris, qui familiaritate S. Cutberti Episcopi Lindisfarnensis claruit, à quo sanctorum scientiam, & vitam æternam didicit promerêre, quam hac die glorioſe consecutus est. *E.* Britaniæ natalis B. Clementis, viri eximiæ scientiæ, & sanctitatis. *F.* In Philippinis triumphus glorioſus Ven. Alphonsi à S. Augustini Discalceati, qui pridie ab infidelibus crudeliter est vulnerâtus, & adhuc vivens hac die summa patientia, & adhuc zelo animarum glorioſus, hac die ad sui triumphi palmam evolavit;

COMMENTARIA

AD DIEM VIGECIMUM MARTIJ.

A. S. Martinus in Pannonia natus, ibi Eremiticam induit cucullam in cœnobio S. Severini Noricorum Apoſtoli, qui obiit circa ann. 482, die 8. Januar. inde in Hieroſolymam profectus, loca ſacra viſitavit, ubi per annos demoratus aliquot, in litteris Græcis, præter Latinas, evaſit eruditiſſimus. Inde in Luſitaniam pergens, ad fidem convertens Theodemerum Regem, & prôcerum multitudinem, in monaſterio Dumienſi noviter fundato Abbas, & Epiſcopus creatus eſt. Poſt ſex annos creatus eſt Epiſcopus Bracharenſis; quo tempore, ſcilicet anno 561, ut ait Henſchenius in Actis SS. n. 2; interfuit Concilio Bracharenſi. Qui tandem die 20. Martii ann. 579. ſanctitate, & miraculis clarus in cœlum migravit. Illum noſtri Ordinis fuiſſe aſſerunt NN. Athanaſius à S. Agnete in Candelabro aureo Templi, Salomonis fol. 106, Torelli Latiſſime tom. 2. fol. 370. ann. 563, Purific. 1. p. Chronic. lib. 2. tit. 3. fol. 179, & lib. 1. de Viris illuſtrib. c. 2. fol. 3. & in Chronol. monaſtica hac die fol. 42; Elſſ. lit M. in Encomiaſt. Arpe in Diario SS. fol. 150, Portillo tom. 1. fol. 560. Joſephus à D. Antonio 1. Floris SS. fol. 720, Ludovicus ab Angelis, & omnes noſtri cõmuniter, qui ad hoc non levi ducuntur fundamento: probant enim nec ad Ordines S. Raſilii, nec S. Benedicti aliqualiter pertinêre: non ad primum, quia ſi illius ordinis alumnus extitiſſet, certe in Luſitania cœnobia ejuſdem fundaſſet, quod nullus uſque adeo aſſeruit; non etiam ad ſecundum, quia S. Martinus nullibi Benedictinos aſpexis; & per viſum illos penitus ignoravit; ut patet ex partibus, unde vixit, ſcilicet Pannonia, Oriente, & Luſitania, in quibus illo in tempore regula S. Benedicti ignorabatur. Fortius: S. Martinus obiit anno 579, & ut probat Henſchenius ubi ſupra quaſi per 20. annos Epiſcopii munus exercuit; quibus ablatis à 579. remanent 559; in quo anno jam erat monachus, & Abbas. Cum vero S. Benedictus, ut diximus 17. Martii dum de S. Caſſidoro, natus eſſet ann. 527, & 14. anno habitum aſſumpſerit à Romano, & in Sublaco incluſus vixerit 35. annos, ſi hos jungamus, faciunt 576, in quo anno ad Caſſinum perrexit, & fundamenta ſuo Ordini cæpit imponere: ſi ergo S. Martinus jam diutius monachatum profeſſus, erat Epiſcopus Dumienſis, quomodo poterat eſſe Monachus religionis, quæ ad plurimum incepit ann. 576; & ille jam erat Epiſcopus ann. 559, ante ſeptemdecim annos à primordiis religionis S. Benedicti. Inſuper S. Martinus obiit ſenex ann. 579, & S. Benedictus ann. 589. ætatis 62: unde ſatis infertur nullatenus Caſſinenſium religionem ſalutaſſe, nec illorum fundamenta, ut acria, aliquid probant, imo per ſemetipſa jugulantur: dicunt enim, quia fuit Abbas, & ſimul Epiſcopus, quæ nomina noſtris Eremitis illo in tempore impropria videbantur. His, & aliis nullo labore reſpondent NN. Purific. & Torelli ubi ſupra; & talia ſunt, ut ad illorum ſolutionem multõs non opus ſit libros aperire. Videatur Fr. Franciſcus à S. Maria frater meus in Notis fol. 78.

B. Vulfranus monachus fuit in cœnobio Fontanellæ ſub S. Vandregiſilo, & poſt illum Abbas factus eſt, & tandem Epiſcopus Senonenſis; donec relicto Epiſcopatu, in Fontanellam ſecedens, ibi glorioſus miraculis, in cælum hac die migravit anno 741. Agit de illo late Henſchenius in Actis SS. fol. 143, ubi manifeſte aſſerit inter Benedictinos non eſſe numerandum; & nos oſtendemus noſtris pertinere die 22. Julii, dum de S. Vandregiſilo.

C. S. Cutbertus Abbas, & Epiſcopus Lindisfarnenſis, fuit ſanctitate, & miraculis clarus: obiit hac die anno 687. De illo agunt Henſchenius in Actis SS. hac die: & Tabulæ Auguſtinianæ etiam in hac die, & N. Jacob Font die 23. Januar. in Vita S. Boiſili fol. 350, & 12. Februar. in Vita S. Ethelvodi Epiſc. Lindisfarnẽſis fol 512.

D. S. Herebertus Eremita, & valde familiaris S. Cutbertis, ſub cujus diſciplina maxime in ſanctitate profecit; in hac die obiit ſancte circa ann. 687. Henſchenius in hac die in Actis SS. agit de illo.

E. B. Clemens, ſeu Claudius Británus, floruit

floruit in Academia Parisiensi, ubi fuit primus sacræ Theologiæ professor, circa annum 700, & hac die colitur. De illo agunt NN. Crusen. p. 2. c. 13. Elssius lit. C. fol. 148, Nativitas Monte 2. Corona 8. §. 1. 2. fol. 430, Marques in Defensione c. 15. §. 3, & alii.

F. Ven. Alphonsus à S. Augxstino in lucem prodiit in Hispania in Urbe dicta Cadis, inde in Philippinas profectus, ibi inter Discalceatos habitum assumpsit, ubi concionator factus Apostolicus, in odium fidei crudeliter trucidatus est hac die anno 1637. Agunt de illo NN. Herrera in Alphab. p. 1. lit. A, ubi asserit 26. vulneribus lethalibus sauciatum fuisse, & exupe præcipitatum adhuc biduo vixisse, & corpus in mare fuisse projectum, præter aliquas reliquias à fidelibus desumptas, Torelli Centur. 6. cap. 94. foli 759, ubi asserit cum ipso etiam tres alios martyrium passos fuisse, Portillo hac die tom. 1. fol. 566. Arpe in Diario SS. fol. 172; Josephus à D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 698, Ludovicus de Jesu in Histor. Congregat. Hisp. Decad. 5. c. 7. §. 2.

DUODECIMO KALENDAS APRILIS.

XXI.

A. In cænobio Jurensi natalis S. Lupicini confessoris, & fratris S. Romani, ejusdem cœnobii in civitate Lugdunensi fundatoris, qui vitæ sanctitate, & prodigiis glorioſus, hac die in cœlum migravit. *B.* In Hibernia depositio S. Endei Abbatis Aranensis, qui ex duce nobilissimo ad meliorem frugem à S. Fanchea sorore sua conuersus, cœnobium erexit in loco Killaines, inde in Britanniam perrexit ad Rosnacum cœnobium, ubi sub Mansini Abbatis aliquandiu vixit disciplina, exempla sanctorum secutus: donec sub S. Patritio cœnobium Latinum fundavit, & postea alia decem in Arania, ubi virtutibus, & miraculis clarus, hac die, peregrinationis suæ curriculum feliciter consummavit. *C.* In cœnobio Cortonensi mors pretiosa B. Ugolini Mantuani, viri eximiæ puritatis, candoris, & pietatis: claruit dono afflictos consolandi: erga Christi passionem fuit devotissimus, obhoc in látere ejus Christus vulnus impressit, ut particeps suæ fieret passionis, quod, quoadvixit, occultavit; donec mirabili sanctitate glorioſus, & prodigiis plurimis illustris, hac die ad perennis gloriæ translatus est bravium; sepultusque est in communi Fratrum cæmiterio. Sed triginta post annis transactis Deus illius voluit monstrare sanctitatem, per illum enim plura operatus est miracula. Insuper é látere B. Ugolini supra sepulchrum pullulans lilium candidissimum egressum est, & tunc cymbala omnia Urbis per semetipsa ictibus gratissimis sonuêre; sed témere scisso lilio, aliud é vulnere véteri simile primo pullulavit: & ipsa nocte ipse B. Ugolinus cæcæ vétulæ cuidam apparuit, monens, ut ipsius corpus ad suum tumulum transferre curaret. Tumulus apertus est, & corpus B. Ugolini integrum repertum est, cum vulnere láteris recenti, & lilio pullalante, & odorem afflante mirabilem: & cum hoc lilium scinderetur, quod diutius grata viriditate permansit, cæca relata visum recepit. Quo miraculo exhumatum est sanctum cadaver, & in decenti loco collocatum est intempli corpore à látere Evangelii sub custodia quinque clavium, quarum quatuor sub Magistratuum, & ultima sub Prioris potestate manent. Corpus durat integrum, oculis apertis, immotis dentibus; & suavissimam aflans odorem. Hoc anno à Cortonensibus in Patronum electus est, & decem operatus est miracula: illi quotannis festum celebratur cum processione publica: & olim vix aliquod operabatur miraculum, cymbala per se mota sonabant. *D.* Brixiæ transitus B. Angelæ Brixiæ Virginis, & nostri Ordinis Tertiariæ, mirabilis sanctitatis fœminæ, quæ postea, cœlo monente, Congregationem Ursulinarum in Brixia fundavit sub Regula, habitu, vita, & constitutionibus Augustinianis. Claruit innumeris virtutibus, quibus exornâta, hac die ad virginum cho-

ros

ros feliciter evolavit. *E.* In Narnienſi urbe memoria Ven. Auguſtini Geminianenſis, qui, ſpretis mundi pompis, inter noſtros Eremitas ſe Deo per tria vota dicavit. Fuit Eccleſiaſtes doctiſſimus, & ad omnia mirabilis; ingens, & ſuæ patriæ, & Religionis decus, & exemplar. Ægidii Albernotii Cardinalis fuit ſuffraganeus; poſtea Epiſcopus Narnienſis creatus eſt, ubi plurimum pro Dei Eccleſia laboravit, nam à Peruſino Legato Summi Pontificis Florentiam miſſus, publicis concionibus, & orationibus ad ſenatum habitis, eam civitatem non ſolum ſummo reconciliavit Paſtori, ſed etiam multa ab illa impetravit auxilia, quibus ipſe Landum Ceſenæ comitem expulit, eamdemque urbem Apoſtolicæ Sedi pacatam reſtituit, & inde Cruciatam contra Infideles, miro pietatis ardore, evulgâvit. Tandem meritis plenus glorioſis, in Domino quievit. *F.* In cœnobio Fragenſi Provinciæ Aragoniæ obitus Ven. Joannis Ferrarii, viri doctrina, & pietâte clari, qui hac die pie è vivis exceſſit. *G.* Matriti in cœnobio Incarnationis memoria Ven. Aldoncæ ibidem monialis, ſanguine clariſſimæ; erat enim Comitum de Miranda proles legitima, ſed plus virtutibus claruit; fuit enim eximiæ erga Sanctiſſimum devotionis; taliter, ut anteipſum duntaxat mens illius requieſceret, & ſic in illius cultu omnes ſuos, & pingues redditus conſumere guſtabat. Plures à Deo, in præmium ſuæ devotionis, accepit favores; illi ſæpius apparebat, & dulciter loquebatur, in cujus ſignum ejus imago pingitur in manu tenens Puerum Jeſum ipſius collum digito contingentem. Creditur tandem Aldonçam pie deceſſiſſe. *H.* Prope Valentiam in cœnobio Beniganim Conceptionis, & S. Joſephi obitus Ven. Victorianæ à S. Ludovico, quæ religionis ardens deſiderio, invitis parentibus monaſterium ingreſſa eſt, & vocationi ſuæ ſatisfaciens, brevi claris claruit virtutibus, præcipue oratione, humilitate, pœnitentia, donec tot meritis cumulâta ad dulces cœleſtis Sponſi amplexus hac die vocata eſt. *I.* Almanſæ in cœnobio Corporis Chriſti tranſitus Ven. Annæ à SS. Sacramento ejuſdem cœnobii fundatricis, quæ poſt ſæculi nuptias, cum ditiſſima maneret, ſuis ſumptibus illud fundavit, ubi claruit humilitate mirabili, ſerviens ſuis, ut ancilla minima, ſororibus, & ſic inter illas prælaturam recuſavit, duntaxat contenta de horti cultu tractâre, & habitus, veſteſque ſororum ſarcîre. Inter pœnitentiæ, & orationis exercitia pie animam hac die exhalâvit; & poſt obitum ſuæ æternæ ſalutis non defuere indicia. *L.* Aragoniæ in cœnobio S. Annæ oppidi S. Mathæi depoſitio Ven. Monicæ Ferrer monialis, quæ ab ingreſſu religionis magnis, & mirabilibus claruit virtutibus; in illa enim fuit oratio continua, humilitas profunda, charitas ſingularis, pœnitentia mirabilis, & obſervantia inculpabilis. Choro, & ſi Senio confecta, unquam abfuit. Adhuc octogenaria ſeſe crebris diſciplinis cruentabat, quibus adminiculis, ſicut Lilium inter ſpinas ſuam fragrantiam ſervat, & candorem, ſic illa illibatam ſuam ſervavit animi, & corporis puritatem, obquam de ſe miram fragrantiam exhalâbat. Erat devotiſſima Virginis Mariæ, cujus continue officium parvum recitâbat. Et cum illud hac die recitâret, ſine ulla ægritudinis ſpecie, præter ſenectutem, receptis prius pie Sacramentis, animam ſuo ſuam tradidit Creatori. *M.* Lucenæ in cœnobio S. Martini obitus Ven. Mariæ à SS. Trinitâte, monialis magnarum virtutum, quas inter crudeles dæmonis tentationes acquiſivit; claruit obſervantia, zelo, humilitâte, & patientia incredibili in injuriis tolerandis, & in cæteris virtutibus in gradu heroico claruit, præcipue pœnitentia, ob quam amplius cadaver, quam viva, videbatur. A Chriſto Domino plures accepit favores, & quadam die illi apparuit dicens, ſupra ejus humeros laborioſam crucem poſuiſſe, & velle, ut illam patienter deferret, quia ipſi ſuum numquam auxilium defuiſſet. Tandem plus meritis, quam annis, cumulâta, hac die magno cum ſororum deſiderio è medio ſublata eſt.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM PRIMUM MARTIJ.

A S. Lupicinus frater S. Romani, de quo jam 28 Februarii, cum quo fundavit cœnobium Jurenſe, & ibi ſanctitâte clarus, hac die in cœlum volavit, anno, ut ait Henſchenius in Actis SS. 480. licet N. Arpe, cum N. Cardinal, Noriſio

Norisio in Vindiciis dicat obiisse ann. 462, biennium post Fratris obitum, quod credo verosimilius. De illo late agit N. Jacob Font 28. Februar. in Vita S. Romani, Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 162, Torelli tom. 2. fol. 300, ann. 546, & tom. 5. in Appendice, Petrus Delcampo in Cathalogo SS, & omnes illi, quos ad 28. Februarij, dum de S. Romano, retulimus, ubi utriusque Augustinianum probauimus monachatum.

B. S. Endeus Dux nobilissimus in Hibernia ad religionem observandam reductus est á S. Fanchea sorôre sua, & sic monachismum tempore S. Patritii amplexus, sub illo maxime religionem propágans, multis ædificatis cœnobiis, hac die sancte decessit anno 540. Agit de illo Henschenius hac die fol. 267, ex cujus dictis satis constat nostri Ordinis fuisse, quia S. Patritius ibi valde nostrum disperšit institutum.

C. B. Hugolinus Mantuæ natus, obiit tandem sanctus in cœnobio Cortonensi die 21. Martii anno 1478, qui vita, & morte claruit prodigiis clarissimis: de quo late agunt NN. Coriolanus in Chron. num. 15. inter Beatos ordinis; Crusen. p. 3. c. 2. fol. 128, Roman. Centur. 11. fol. 79, Cardin. Ægidius Viterb. in Registro 17. Decemb. anno 1508, Andreas Gelsominius Episc. Asculanus in suo Thesauro c. 21. fol. 240, Herrera tom. 2. Alph. fol. 494; Torelli Centur. 4. cap. 6. fol. 372, & in Sæcul. tom. 6. fol. 116. Elss. in Encom. Portillo in m. s. Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 152, Josephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 576; & plures alii etiam ex exteris citati in Flore SS.

D. B. Angela Brixia Venetiis nata est circa annum 1506. exhumili prosapia; sed iliam Deus innumeris charismatibus nobilitavit; fertur enim de illa, à baptismo innocentiam à lethali culpa illæsam usque ad obitū conservasse. Tali erga Deum incendebatur amore, ut, ejus audito nomine, penitus liquefieret. Ex vitis sanctorum, quas frequentius legebat, ad sui mores componendos plura suscepit documenta. Cum annos bissenos explesset, parentum suorum sensit defunctionem, & extunc cum altera sorore in avunculi mansit potestate; & ambæ sorores vitam sequi spiritualem cœpêre; operam navabant devotionibus, pœnitentiis, & altarium ornationibus, Ecclesiæ ritus imitantes: humi somno tradebantur, & noctes orando fere ducebant insomnes. Inter hæc Angelæ soror defuncta est, & Angelam in solitudine manentem Deus piissime cœpit interius dirigere, & sic defunctionem sororis summa cum patientia tulit; & cum illius statum scire concupisset, hæc eadem illi apparuit gloria, & honore coronata inter Deiparam, & innumeros cœlestes: tunc Deipara Angelam allocuta, dixit: si permanseris in eo, quod cœpisti, eâdem nobiscum gloria potiêris. Cœpit ferventius altaris Sacramentum suscipere, ubi plures à Deo suscepit favores. Interea habitu Augustinianaram Tertiariarum suscepto, tribus se votis simplicibus alligavit, & emendicato victu vitam sustentabat. In illa maxime coruscarunt pœnitentia, humilitas, & charitas, mundique contemptus; cujus in testimonium, vestibus induebatur vilibus, & obsoletis, et, ut paterêtur, indusias aqua frigida madefactas induebat. Jejunia frequentabat, solo pane, & aqua vitam tólerans, per hebdomadas quadragesimæ, triduo nihil obsonii vescebatur, & altero triduo tres nuces, tot castaneas, & tres ficus capiebat: numquam in domo sua rogus exarsit. In sermône miram affabilitatem ostendebat: cujuslibet indoli se se accomodabat; ad discordias componendas spiritu emicuit singulari. Divinitus edocta, Latinum intelligere & loqui calluit idiôma; dubiis arduissimis concionatorum, & Theologorum maximè cum horum stupôre respondebat. Et apposita methodo abstrusiora S. Scripturæ loca explanabat, obquæ ejus domus tanquam pietatis, & doctrinæ cœlestis frequentabur Gymnasium.

Eadem spiritu claruit prophetico: cum aliquando in nostra Brixiensi Ecclesia orationi vacâret, visa est extra se, & sensibus rapta, & à terra elevata: visiones veras à falsis discernebat, ut contigit, cum illi sátanas in forma Angeli splendentis apparuit. Desiderio loca sacra Hierosolymis videndi incensa, ad illa perrexit anno 1524, cum ad insulam Candiam perveniset, ibi à summo lucis Authore lucis ministerio privâta est; qua re nil conturbata, comite ad directionem quæsito, iter arripuit patienter; donec itineris metam consecuta est: & cum Calvariæ locum inviseret, fere præ dolore patientis ibi Domini se se morientem cognovit. Ex Hierosolymis regressa, & iterum Candiam salutans, ante Christi Crucifixi imaginem provolûta, illum gemebun-

da

da precibus rogâvit, ut ſui miſertus, ſi ſuæ gloriæ prodeſſet, viſum reſtitueret: ad has orantis preces præceps vi usilli à Domino reſtitutus eſt; & navem conſcendens nautas ab evidenti diſcrimine liberâvit. Venetias ingreſſa, in domum Virginum S. Sepulchri recepta eſt, & inde Brixiam petiit, & poſtea Romam, unde benigue recepta eſt à Pontifice Clemente VII, qui illi piorum locorum régimen committebat. illa autem humiliter munus abjiciens, in Brixiam perrexit; ubi aliquando orans ſcalam adinſtar Jacob quandam aſpexit, cujus cacumen cælum tangébat, & Angelos per illam deſcendentes, & aſcendentes, item plures Virgines pretioſe ornatas; quarum duæ, & duæ tot Angelis Sociatæ aſcendebant, & melos ſuaviſſimum, & hanc vocem clare loquentem audivit: Angela, quouſque Virginum ſodalitatem non érigas, ſoſpes eris. Viſu ſuſpenſa manſit, ſe ſe ad tantum opus cognoſcens indignam. Rem tótam aperuit D. Seraphino Bononienſi Canonico Lateranenſi, qui illam admonuit, Dei voluntatem eſſe, abipſa novam Virginum inſtitui religionem: hujus interpretationi illa non annuit; quare illa in nocte Angelus illi apparuit, à quo diriter flagellâta eſt, & poſtea Chriſtus, á quo acriter objurgata eſt, eo quia morabatur fundâre Virginum religionem ſibi magnæ gloriæ futuram. Hujus ergo reſolûta, fundationem incepit Brixiæ anno 1537. tali fortuna, ut ſtatim illi proponerentur ad ingreſſum 76. Virgines Spontaneæ, à quibus illa in Prælatam electa eſt, renuens tamen titulum fundatricis, ubi de ſe rarum dabat ſanctitatis exemplum: donec nunciato ſui obitus die à quodam concionatore in feria ſexta Paſſionis, lethali morbo eſt correpta, & morti proxima, forma conſpicua, & mirabili, & omnium in ſe amores attrahente, induta eſt, ſicque interdulcia ad cæleſtem Sponſum colloquia, felicem ſpiritum exhalavit die 21. Martii ann. 1549. ætatis ſuæ 34. Corpus ejus parva erigebatur ſtatura, tenue erat, conſtabat albo colore, óculis gratis, vultu læto, & amabili.

Contentio orta eſt inter Canonicos Sedis Brixienſis, & Lateranenſis S. Afiæ, ubi corpus B. Angelæ eſſet ſepeliendum: per menſem duravit contentio, quo tempore corpus permanſit inhumatum, incorruptum tamen, & adinſtar infantis tractabile, & ſuavem ſpirans odorem. Tribus noctibus ſucceſſivis Lux non vulgaris apparuit ſuper locum, ubi corpus jacébat: ſoluta tamen lite, felix corpus tumulatum eſt in Eccleſia Lateranenſium S. Afiæ in túmulo marmoreo; à terra elevato, ubi integrum, & pópulo expoſitum ſervatur, cum ſequenti Epitaphio.

Propoſito martir, Virgo actibus, ore magiſtra,
Cum tribus aureolis Angela dives erat.
Angela nuper erat, morum, vitæque magiſtra,
Nunc patriæ tutrix, præſidiumque veni.
Angela viva fui, nunc Angela mortua dicor:
Sum tamen Angelicis Angela juncta choris.
Vos, qui me noſtis, exemplo vivite noſtro,
Sic facile, ut docui, mortua adhuc doceo.
Conditur hoc tumulo, cui nomen, & inſuper omnis
Vita fuit ſuperis æquiparanda choris.
Angela diviſa eſt tria per loca: corpus in arca,
Spiritus in cœlo, nomen in ore virùm.
Angela, virtutum varia redimtîa corôna,
Hic jacet, extrema reſtituenda die.
Spiritus æthereas penetrâvit fervidus arces,
E ſummo ingenuus adſtitit ille Deus.
Illa hæc eſt Virgo, quæ morum régula viva,
Illuſtrem erexit virginitâte chorum.
Brixia, crede mihi, ſacrum venerâre ſepulchrum:
Nil non fauſta Deo próxima virgo poteſt.

Cum hoc B. Angelæ lemma quidam inſipiens légeret adoleſcens, intra ſe dubitans, ſecum dixit; vellem agnoſcere, ſi in lemmate ſcripta vera ſint? adhæc in B. Angelæ

gelæ tumulo duo ictus impetu cum magno ſonuêre; quibus auditis celer advênit ſacriſta, qui ab adoleſcente cognovit ictuum illorum originem ſuam incredulitatem fuiſſe.

Epigramma ad B. Angelam.

Urſula ſprevit opes, formam, connubia, ſceptrum:
Spreverunt ſociæ taliter ejus opes.
Ah ſuperi! Quot erant! Decies plus mille puellæ;
Et ſua ſpreverunt omnia, quotquot erant.
Hæc, ſeu ficta, negas! nunc fiunt: vera fatêre;
Talia cum ſociis Angela Virgo facit.
Urſula ſi plures ſocias, tot & Angela, junxit,
Virginibuſque ſuis quælibet aſtra replet.

Congregatio Virginum à B. Angela inſtituta ſic permanſit uſque ad annum 1572, quo tempore per varias Italiæ urbes diſperſa, ad inſtantiam S. Caroli Borromæi, & Pauli Leonis Vadovitæ Epiſcopi Ferrarienſis confirmata eſt à Gregorio XIII. die 24. Novembris ann. 1572, & extunc non ſolum per Italiam, ſed etiam Galliam, & alia regna inſtitutio B. Angelæ diſperſa eſt ſub patrocinio S. Urſulæ, & Sociarum, duplici tamen vitæ tenore; aliæ enim votis ſimplicibus, aliæ tamen ſolemnibus liganſur.

His poſitis, quæri poteſt, cui religioni B. Angela pertinêat? Scio enim in Chronico Urſulinarum Italice ſcripto dici fuiſſe Tertiariam Ordinis Minorum. Res mihi improbábilis appáret: primo, quia nullibi in ejus vita conſtat cum Minoritis communicatiônem habuiſſe; imo conſtat, noſtram Eccleſiam frequentaſſe, & ibi celebrem extaſim habuiſſe: conſtat etiam ſuam inſtituiſſe Congregationem ſub régula, & conſtitutionibus Auguſtinianis; imo etiam ſub eodem habitu nigro, corrigia præcincto, ut probat N. Torelli tom. 8. fol. 562. num. 9. & idem officium in noſtro Ordine uſitatum recitâre conſtat: quare cum quædam ex Urſulinis in Gallia obiret, noſtri Fratres convocati ſunt, ut illam, tanquam S. P. Auguſtini filiam, ſepelîrent, quod factum eſt, ut jam ſupra diximus.

Conſtat etiam, quod, cum inter Urſulinas Arelatenſes pie obiiſſet Ven. Joanna de Rampelle, de qua ſeptimo Julii agendum eſt, & adhuc inter vivos manſiſſet Frate ſuus, dictus Rampelle, vitæ inſolentis homo, à Sorôre ſua commotus eſt, ut ad meliorem reduceretur vitam, & inter noſtros admitti ſatâgeret, ut ibi vitam ſanctam ſequerêtur; quod fecit frater, ut precibus ſuæ obtemperâret ſorôris, & poſt annos in noſtro Ordine ſancte deceſſit. Conſtat etiam plures cognomine S. P. Auguſtini nuncupari: etiam conſtat ex Joanne Ludovico Gotofredo in Archontologia Comica fol. 75, quod anno 1612. menſe Novembris, die S. Martini aliæ puellæ, quæ etiam Urſulinæ dicuntur, & locum habent in Suburbio S. Jacobi Lutetiæ, aſſumpſerunt novum habitum ſub regula S. P. Auguſtini, & tria vota ſolemnia nuncuparunt ſecundum diplomata, quæ à S. P. Paulo quinto obtinuerunt.

Si ergo Urſulinæ ſub Auguſtiniana Regula, & habitu degunt, quis negabit, B. Angelam etiam ſub his vixiſſe? Si enim Minorum Tertiaria fuiſſet, ſuis Virginibus nec regulam, nec hábitum Auguſtinianum dediſſet, imo Franciſcanis illas ſubjeciſſet. Exemplum patet in S. Cæſárea Arelatenſi; quam convincimus inter noſtras numerandam eſſe moniales, quia monachiſmum amplexa eſt in cœnobio à N. S. Cæſario fundato: pariformiter in præſentiarum dicendum eſt de B. Angela; quare non deſunt AA. aſſerenres illam noſtro Ordini pertinêre; ſunt enim ex NN. Herrera in Alphab. tom. 1. fol. 26, & 27, & tom. 2. fol. 287, Torelli in Centur. 5. c. 25. fol. 547, & in Sæculis tom. 8. fol. 561. à n. 8. Ex exteris Jacobillus de SS. Fulginatenſibus fol. 177, dum de Ven. Paula à S. Urſula. De B. Angela etiam agunt Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana fol. 65, Octavius Florentinus in ejus vita, impreſſa anno 1605, Ferrarius in Cathalogo Generali; Gelenius in Faſtis Agrippinenſibus, Henſchenius in Actis Sanctorum inter Prærermiſſos hac die, & Hugo Querre Congregationis Oratorii in ejus vita, & Philippus Bonanni Societatis in Cathalogo Ordinum p. 2. in fine, ubi ait: B. Virgo An-

gela nata eſt in oppido, cui nomen eſt Dezengano, ſpatio unius milliarii ab urbe Veronenſi diſtante. Hæc vitæ puritate, cum preces Deo offerret, ſibi viſa eſt intueri ſcalam, ſcalæ Jacobi ſimilem, per quam Virgines pretioſis veſtibus exornatæ, & coronis redimitæ aſcendebant, & cum voces ſuaviſſime concinentes audiret, ab ipſa Congregationem Virginum inſtituendam eſſe intellexit. Unde Virgines conjunxit ſuo exemplo anno 1537. ſub invocatione S. Urſulæ, quod inſtitutum Brixienſis Antiſtes primum approbavit, civeſque ſuas opes obtulerunt, ut creſceret. Poſtea, anno 1544. Paulus III. ſtabilivit, & Gregorius XIII, Xiſtus V, & Paulus V. privilegia conceſſere: Urbanus vero VIII. die 10. Sept. anno 1633. conceſſit, ut ſolemnia Religioſorum vota profiterentur, & ſcholas aperirent, quibus puellæ ſine ulla mercede, edocerentur. Crevit hæc ſocietas in Gallia, Germania, & America, & Roma anno 1689, evocatis cum facultate Pontificia é Bruxellis aliquot ejus inſtituti monialibus á ſereniſſima Laura, Ducisſa Mutinenſi, matre Reginæ Anglorum. Idem Bonanni ubi ſupra affert varias Urſulinarum imagines, ſcilicet, quæ ſunt Romæ ſub invocatione SS. Ruffinæ, & Secundæ anno 1602, & quæ etiam degunt in urbe Parmenſi anno 1575, & in urbe Placentina, & in urbe Caſtelionis, quæ dicitur, Caſtilio Striverorum, & ſpectat ad ditionem Gonzagarum, & eſt inter Mantuam, & Brixiam, cujus fundatrix fuit Olympia Gonzaga cum duabus ſororibus, quæ erat neptis S. Aloyſii Gonzagæ. Sunt etiam Urſulinæ apud Helvetios, quas inſtituit Anna Antonia natione Burgunda.

N. Herrera ubi ſupra addit, quod Fulgini extat domus illarum, condita anno 1600. die 29. Junii à Matre Paula Fulginatenſi in Oratorio, quod ipſa anno 1595. in Eccleſia S. Sebaſtiani erexerat, ut teſtatur Jacobillus in Hiſtor. Epiſcoporum, & Beatorum Fulginatenſium.

Apud me eſt hujus B. Angelæ imago depicta, in dextera librum oſtendens apertum, cum hoc lemmate: Ama Deum ſupra omnia; proximum ſupra te: In fine legitur illud Geneſeos cap. 28: Vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei aſcendentes, &c. & ſic depingitur inter duas ſcalas, per quarum unam Angeli deſcendunt, & per alteram aſcendunt, in quibus ſignificabantur ſuæ Urſulinæ moniales, quæ inſtar Angelorum, in cælum erant aſcenſuræ, ut poſtea clarebit, quia inter illas, plures, vitam imitantes Angelicam, in cœlum aſcendiſſe credendum eſt.

E. Ven. Auguſtinus ortus eſt in oppido Geminianenſi, in ditione Florentina poſito, ex nobili familia Tinnaciorum. Cum eſſet doctiſſimus, & piiſſimus, Lino ſucceſſit in Epiſcopatu Narnienſi hac die anno 1343, ut conſtat ex Regiſtro Vatino Clementis VI. Epiſt. 100. anni primi: plenus meritis pie obiit anno 1370. De illo agunt NN. Herrera tom. 1. Alph. fol. 97. Torelli tom. 6. fol. 20. n. 5, Landucci in Sylva Ilicetana fol. 136. Ex exteris Ughellius in Italia Sacra tom. 1. de Epiſcopis Narnienſibus.

F. Joannes Ferrarius floruit in cœnobio Fragenſi Provinciæ Aragoniæ doctrina, & ſanctitate, qua ad cælum iter fecit hac die anno 1430. Refert N. Herrera tom. 1. Alphab. de monaſt. Virorum, dum de Fragenſi fol. 260.

G. Ven. Aldonça filia Comitis de Miranda floruit mirabili ſanctitate in cœnobio Matritenſi Incarnationis. De illa agit late N. Villerin. tom. 1. lib. 7. tract. 3. fol. 347, ubi aſſerit illam noſtro indutam habitu fuiſſe hac die anno 1611.

H. Ven. Victoriana à S. Ludovico in lucē prodiit oppido Beniganim regni Valentiæ, ex Mathia Tudela, & Laudomia Matheu. Religionis accenſa deſiderio, in cœnobio Conceptionis ſuæ patriæ admiſſa eſt die 19. Aug. ann. 1611, ubi rara exornata virtutibus, hac die, & anno 1637. pie mortalitatem exuit. De illa agunt NN. Villerin. tom. 3. lib. 19. tract. 3. §. 2. fol. 209, Jorda tom. 2. lib. 5. c. 13. fol. 565. n. 13.

I. Ven. Anna à SS. Sacramento fundatrix, & monialis fuit cœnobii de Almanſa, ubi ſolemnem emiſit profeſſionem 17. Februarii anno 1610, ubi ſancte degens, ſancte denata eſt hac die anno 1634. ætatis 84. De illa plura refert Jorda ubi ſupra c. 10. fol. 535.

L. Ven. Monica Ferrer orta eſt in oppido S. Mathæi regni Valentiæ, parentes habuit Petrum Ferreres, & Eleenoram de Villanova; inter moniales S. Annæ ſuæ patriæ admiſſa, profeſſionem emiſit anno 1608, ubi cum odōre ſanctitatis é medio ſublata eſt hac die anno 1673. De illa agit N. Jorda tom. 2. lib. 4. cap. 13. fol. 438. n. 20.

M. Ven.

M. Ven. Maria à SS. Trinitate orta est in oppido Monturque, ex Francisco de Andrade, & D. Joanna Rico de Algava; dicta est in sæculo D. Maria Bernarda; habitum recepit in cœnobio S. Martini Lucenæ 18. Aug. ann. 1654. Vixit raro sanctitatis exemplo, in cujus testimonium plura scitu digna in ejus vita narrantur. Obiit tandem summo cum suarum desiderio die 21. Martii ann. 1677, nondum triginta annis expletis. De illa agit N. Villerin. tom. 2. lib. 32. Additione 6. §. 2. fol. 443.

UNDECIMO KALENDAS APRILIS.

XXII.

A. Carthagine in Africa natalis S. Deigratias ejusdem civitatis Episcopi, qui plurimos fideles à Wandalis captivos proprio ære redêmit; donec his, aliisque sanctis operibus exornatus, hac die in osculo Domini quievit. *B.* In Philippinis obitus Ven. Petri à Cruce, cui Deus in concionibus tantam contulit efficaciam, ut pro quodam æstimaretur Apostolo. Cum esset in Provincia Pangasina in insula Luzonii, & vidisset Indicam fœminam in brachio infantem deportâre, & ab illa quæreret, quò infantem deportaret? Ad hæc fœmina parens respondit, ad tumulum deportare, quòd ad lucem sit natus visu oculari privatus. His auditis P. Ven. infantem ab iniquæ matris rapuit lacertis, & illum sacri baptismatis lavacro expiavit; quo facto Deus infanti cum gratia lucem cóntulit ocularem, cujus prodigii confirmatio à Loci Ordinario probata est per multos testes, jussumque est per omnes ínibi insulas promulgari miraculum, quod profuit, ut matrum feritas erga pueros postinde cessaret. Tamdem Ven. Petrus post multa opera bona, tantôrum labôrum præmio fruiturus, cœlestem ad Patrem hac die evolavit. *C.* Olyssippone in cœnobio S. Annæ depositio Ven. Elisabethæ à Resurrectione, quæ fuit una ex primis istius cœnobii fundatrícibus, quæ ad talem humilitâtis gradum accessit, ut sibi gloriæ esset, viliora monasterii exercêre ministeria; sic, quo advixit, sola cœnobium, quale est, mundabat; ob quod à sátana plures perpessa est molestias, illam enim aliquando exalto præcipitavit, & exinde fere gibbosam reliquit. Claruit pœnitentia, se se disciplinis asperrimis cruentans. Erga pauperes valde liberalis fuit, quidquid enim sibi erat, illis ministrabat, & hæc omnia benefacta animabus Purgatorii applicabat, à quibus plura, quæ postea acciderant, cognôvit. Erga Deiparæ Conceptionem devotione incendebatur, ad cujus festivitâtem, jejuniis, disciplinis, & orationibus parabatur. Gravi morbo correpta est, & jam morte appropinquante, ad cœnobii valvas mulier accessit incognita, afferens in cálatho flores odoriferos, & recentissimos, ut super lectum morientis jacerentur, quod Deiparæ versum est favori, quibus ornata ad lectum cœlestis Sponsi floridum hac die migravit.

COMMENTARIA

AD DIEM VICESIMUM SECUNDUM MARTII.

A. D. Deogratias Episcopus Carthaginensis, qui plures fideles ab infidelibus captos in persecutione Wándalica liberaliter redêmit, & cum triennio munus exercêret pastorale, sancte in cœlum hac die migravit circa annum 455. Inter NN. annumeratur in tabulis Augustianis, & à Torelli tom. 1. anno 452. fol. 730.

n. 1, & tom. 2. anno 455. fol. 6. num. 5. Agitur etiam de illo in Martyrologio Romanæ, à Baronio, & Actis SS. Henſchen.

B. Ven. Petrus à Cruce Toleti natus eſt, & ibi in cœnobio Ordinis profeſſionem emiſit 12. Sept. anno 1577, & anno 1590. in Philippinas profectus, ibi verbo, & exemplo inter illas gentes barbaras valde profecit, donec meritis plenus in pace quievit. De illo agunt Herrera tom. 2. Alph. lit. P. fol. 251, Portillo hac die tom. 1. fol. 571.

C. Ven. Eliſabetha à Reſurrectione fuit una ex Tertiariis profeſſis in Recluſorio Oliſſipponenſi titulo pœnitentiæ Jeſu Chriſti ſub noſtro habitu, & regula, fundato à Joanne Tertio Portugalliæ Rege ad inſtantiam N. D. Joannis Suarii, ubi viginti per annos permanſere, ab anno 1543, & inde ad cœnobium S. Annæ ſub regula S. Franciſci tranſierunt; & in ſignum prioris inſtituti adhuc in ſua Eccleſia imagines SS. PP. Auguſtini, & Monicæ conſervantur, & adhuc ejuſdem cœnobii moniales rem teſtificantur: Videantur, quæ diximus die 13. Januar. dum de Ven. Margarita à Salvatore. De Ven. Eliſabetha agunt N. Leal in m. ſ. lib. lit. C. fol. 203. ſub anno 1543, & Georgius Cardoſo hac die in Agiolog. Luſitano fol. 266. & 271. lit. C.

DECIMO KALENDAS APRILIS.

XXIII.

A. In Africa tempore Wabdalicæ perſecutionis ſub Hunerico Rege glorioſus triumphus ſanctorum monachorum Auguſtinianorum Liberati Abbatis, Bonifacii Diaconi, Ruſtici, & Servi ſubdiaconorum, Rogati, Septimi, & Maximi monachorum, qui omnes é Capſenſi cœnobio ab impiis miniſtris extracti, & Carthaginem deducti, cum in fidei confeſſione permanerent, in navi imponuntur ſine remige, manibus, pedibuſque ligno confixis juxta aridorum lignorum congeriem, & ignem appoſitum, ut inter elementa oppoſita glorioſi Chriſti milites, & cremarentur in aqua, & mergerentur in igne. Ter lignis admotus, ter etiam extinctus eſt ignis, qua re excandeſcens tyrannus, navalibus remis illorum, quos ignis non læſerat, ſacra capita contundi, & excerebrari juſſit, mox corpora in mare projiciuntur, quæ tamen ab igne, & aqua illæſa, ad littora deducta ſunt; & in monaſterio Biguenſi collocata ſunt. Quorum feſtivitas indultu Apoſtolico in noſtro Ordine decimo Kalendas Septembris celebrâtur. *B.* In Cornuvallia natalis S. Fingaris Martyris filii Clitonis Regis Hiberniæ, qui ad fidem per S. Patritium Converſus, & Principis dignitatem, coronamque poſt obitum Patris contemnens, in Cornuvalliam tranſiit, ubi Eremiticam, & ſolitariam vitam ducens ſub S. Patritii diſciplina, poſtea inodium fidei per Theodoricum Cornuvalliæ Regem crudeliter interemptus eſt. *C.* In Anglia in cœnobio Farnenſi obitus S. Ædelvaldi monachi, & Anachoretæ, diſcipuli S. Cutberti, qui, cum ſub iſtius diſciplina multos per annos in monaſtica converſatione probatus eſſet, eidem ſucceſſit in regimine cœnobii Farnenſis, & poſtea multis annis degens in monaſterio dicto Inripum, & Sacerdotio ibi initiatus, multis glorioſus miraculis, hac die in cœleſtem patriam evolavit. *D.* In Campania natalis S. Benedicti monachi, qui tempore Tótilæ à Gottis in clibano ardenti incluſus, altero die, abſque ulla flammarum læſione repertus eſt. *E.* Eugubii in Umbria pretioſa mors *B.* & egregii viri Petri Eugubini, qui ante religionis ingreſſum ſe egenorum altorem in neceſſitatibus, & in litibus fecit advocatum. Mundi contemnens fallacias, in cœnobio Eugubienſi ſe Deo per tria vota dedicavit; ubi obſervantia, contemplatione, pœnitentia, humilitate, cæteriſque virtutibus ad miraculum coruſcavit. Non minus claruit in ſcientiis; adeò enim in illis exiit verſatiſſimus, ut in Galliam miſſus, ibi per multos annos lecturam in Academia légeret, & tanquam ſcientiarum oraculum haberetur; quibus motus Ordinis Generalis, eum in Gallia ſuum Vicarium Generalem nominavit; & poſtea, ut nonnulli

nonnulli asserunt, Patavii electus est Generalis, quod munus mirabili exemplo exercuit: nudis pedibus, non equo usus, cœnobia visitabat: erat mitissimus, & valde compatiens: donec egregiis méritis glorioſus, & multis celeberrimus, in cœnobio Eugubiensi sanctissime decessit in quadam feria sexta hebdomadis sanctæ. Cumque jam esset in sepulchro, accidit, ut in matutinis fratribus hymnum sanctissimum: Te Deum laudamus cánere incipientibus, in sepulchro Petrus alternis vocibus psallerat: Te Dominum confitemur. Suavi alternantis concentu commoti Fratres, ad templum próperant, ut, quis esset tantæ suavitatis author, aspicerent. Nemine viso, divinitus illustrati, Petri sepulchrum aperiunt, & ecce Petrum in genua flexum, & ore aperto reperiunt, quasi ut confodales monéret: In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. Quo miraculo, exuviæ tanti viri in decentiorem locum translatæ sunt, & collocatæ in altari Samaritanæ; & in hoc die illius festum celebrátur. *F.* Eboræ in Lusitania in cœnobio Pueri Jesu, tunc Recluſorio, transitus B. Constantiæ Xiræ nostri Ordinis mantellatæ, multis exornatæ virtutibus, quæ licet cæca esset oculis corporis, ad Deum tamen illos habebat apertos, & sic plus terrenis cœlestia contemplabatur: & licet oculorum exercitio careret, Angelum tamen præparatum habebat, qui eam in hyeme in juvenili fórma, in Ecclesiam duceret, & in domum redúceret; cumque annis, & méritis cumulâta esset, felici fato decessit, sepultaque est in Ecclesia Cathedrali, ubi sub ara maxima ejus exuviæ asservantur, & olim pluribus miraculis coruscarunt. *G.* In Indiis passio glorioſa Ven. Joannis das Penhas, qui, cum inter infideles spiritu Apostolico prædicaret, & verbo, & exemplo valde prodesset, plures ad fidem convertens, ab Idolatris crudeliter ligatus, & vestibus exutus, plusquam triginta sagittis confossus, & proprio cruore purpuratus, ad martyrum exercitum candidatum glorioſus migravit. *H.* In Hispania in cœnobio Agrippinensi memoria Ven. Petri de Castrillo, qui, cum hac die in cœnobio Burgensi professionem emisisset, tempore S. Thomæ de Villanova tunc Prioris, in prædicto postea degens monasterio, sanctitatis opinione é vita migravit. *I.* In cœnobio D. Juliani urbis Valentinæ depositio Ven. Angelæ Tesa monialis ex obedientia, cujus vita multis claruit virtutibus, præcipue humilitate, oratione, pœnitentia, & erga Sacramentum altaris singulari devotiône, dono que lachrymarum. Quoties se se altaris sacro reficiebat obsonio, toties ita spiritu incendebatur, ut secum feruorem continêre non potens, illum in flammis per os, & oculos evómeret, suo pronuncians Sponso piissima colloquia multis cum lachrymis, cum quibus abunde locum, in quo genuflexa erat, madefaceret. Tandem expleto suæ vitæ curriculo, annis, & méritis confecta, receptis pie Sacramentis, ad vitam transiit hac die immortalem, emittens de se odorem suavissimum, qui multos per dies in cubiculo, quo obiit, perduravit. *L.* In Gallia apud Ursulinas de Lisieux transitus Ven. Annæ à Passione, quæ, vix septennium attigerat, devotionis semitam secuta est, & tota in legendis sanctorum morabatur. Tredecim annorum facta, matris consentiens voluntati, inter Ursulinas adscribi postulavit, quo adepto, nimiæ solitudini dabat operam; taliter, ut, licet in eodem cœnobio duas haberet sorores, illas, ut non sorores, conversatione tractaret: unde, cum aliquando in recreatione cum una sermonem texeret, veniam hujus, tanquam sceleris, petiit à prælata, quæ illi injunxit, ut scelus hoc non amplius perpetrasset: quod illa intelligens, ne ad sororem amplius loqueretur, per biennium nec verbum quidem protulit sorori: quo scito, à prælata juſſa est sororem pétere, & ab illa veniam postulâre pro scélere, quod fecit suppliciter. Ob egregias virtutes in prælatam electa est, quod munus rara cum prudentia adimplevit. De consilio prælatæ, Confessarii, & Visitatoris arduum emisit votum faciendi interne, & externe quidquid ad Dei gloriam magis congrueret. Morbo lethali agonizans, dicebat: Tibi, mi Domine, gloria. & mihi pati: & cum à superiori audiret, se à cœlesti Sponso vocari adnuptias, exclamavit: Eia, Pater mi, eamus, eamus: & his dictis: Te Deum laudamus, dulciter concinuit, quo finito animam exhalavit.

COM-

COMMENTARIA.

AD DIEM VIGESIMUM TERTIUM MARTIJ.

A. SS. Liberatus, & ſocii monachi martyres Africani ſub Hunerico Rege, qui omnes in odium fidei poſt varia tormentorum genera excerebrati martyrium coronarunt anno 484. Circa diem diverſimode loquuntur AA: nam Maurolicus, Felicius, Witfordus, Galeſinius, Caniſius, Ferrarius, & Petrus de Natalibus apud Henſchenium in Actis SS. hac die, aſſerunt hac ipſa die paſſos fuiſſe; Baronius vero cum N. Marques in Origine Eremitarum, & Torelli Centur. 1. cap. 35. dicunt ſucceſſiſſe 2. Julii. Martyrologium Romanum agit de illis 16. Auguſti; in noſtro tamen Ordine agitur illorum feſtivitas 23. Auguſti, olim ritu ſemiduplici ab anno 1672, die 6. Auguſti ex Conceſſione Clementis X, modo tamen duplici ex Conceſſione Benedicti XIII. In hac varietate quod ſentio eſt, illos hac die eſſe paſſos, plures enim id affirmant; & die 16. Auguſti illorum exuvias fuiſſe translatas, ut tenet Baronius; cum autem hæc ipſa dies feſto S. Alipii Epiſcopi præocupata fuerit, ideo illorum feſtivitas ad 23. translata eſt. De illis, præter citatos, agunt ex NN. Ambroſius Staibanus in Templo Eremitico fol. 236, Herrera in Alph. tom. 1. fol. 1. Elſſ. in Encom. lit. L. Marques ubiſupr. c. 12. §. 3. fol. 197, Portillo 17. Aug. Arpe in Diario SS. tom. 2. fol. 113, ubi aſſerit illos obiiſſe 17. Julii ann. 474, Joſephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 3. fol. 448. D. Maximus Epiſcopus Ceſar-Auguſtanus anno 474. Ex exteris Rodericus Carus in notis ad Flavium Dextrum anno 429. & Petrus Calvus tom. 2. in Lacrymis Juſtorum fol. 65. c. 12, & Victor Uticenſis lib. 3. perſecutionis Wandalicæ, qui omnes autumant, illos Eremitas Auguſtinianos fuiſſe, quia in Africa religio Auguſtiniana, non vero floruit altera, & illos fuiſſe noſtri Ordinis teſtatus eſt Clemens X. in Conceſſione relata.

C. S. Fingaris filius Clitonis Regis Hiberniæ, ad fidem à S. Patritio converſus, poſt Eremiticam vitam ducens, ſub S. Patritii diſciplina in Cornuvvallia, ibi juſſu impii Theodorici Cornuvvalliæ Regis fuſo ſanguine fidei glorioſum adauxit teſtimonium hac die anno 450. Agunt de illo Vilſonus in Martyrolog. Anglico in 2. Editione anno 1640, Henſchenius in Actis SS. hac die fol. 455, & alii.

C. S. Ædevaldus Anglus monachiſmum amplexus eſt in cœnobio Farnenſi ſub diſciplina S. Cutberti ibi Abbatis, & poſtea Epiſcopi Lindisfarnenſis, de quo egimus die 20. hujus, & cui in cœnobii regimine ſucceſſit: poſtea degens in cœnobio Inripum dicto, ibi miraculis clarus in pace quievit circa annum 680, & duorum exuviæ ſimul aſſervantur cum magna veneratione. De illo agit Henſchenius in Actis SS. hac die fol. 463.

D. S. Benedictus monachus in Campania floruit tempore Tótilæ, qui Campaniam devaſtavit circa annum 527, ut dicitur in Floſculo Hiſtoriarum fol. 257, quo anno, ut diximus, natus eſt S. Benedictus, ideo hujus Religionis non potuit eſſe N. S. Benedictus; tum quia jam monachus erat, cum alter natus eſt, tum etiam quia S. Benedictus regulam ſcripſit ætatis 40, & fuit anno 567, vel 49, ut plures volunt, & fuit anno 576; quo tempore jam Tótila vitam finierat. Hoc confirmatur verbis D. Gregorii Papæ lib. 3. Dialog. c. 18, ubi ait: Frater quidem mecum eſt in monaſterio converſatus; in ſcriptura Sacra ſtudioſiſſimus, qui me ætate præibat: hic ex multis, quæ neſciebam, me ædificare conſueverat. Hujus itaque narratione didici, quod fuit quidam in Campaniæ partibus nomine Benedictus, equidem ætate juvenis, ſed moribus grandævus, & in ſanctæ converſationis regula ſe fortiter ſtringens. &c. Si ergo N. S. Benedictus in Campania longe præceſſit in ætate, & D. Gregorium, & ejus ſocium D. Gregorio antiquiorem, bene colligitur illum etiam D. Benedictum Caſſinenſem ætate præceſſiſſe, & ſic illius religionis non fuiſſe. Cum vero inter ea per Italiam noſtra ſatis floruiſſet ob Africæ diſperſiones, & tunc ibi altera non floreret, inconcuſſe infertur Religioni Auguſtinianæ S. Benedictum Campaniæ pertinere. De illo agunt D. Gregorius

rius ubi supra Martyrol. Romanum, & Henschenius in Actis SS. hac die.

E. B. Petrus Eugubinus sic dictus ex patria, in qua est natus é nobili prosapia: inter nostros hábitu assumpto floruit scientiâ, qua, ut miraculum, celebrabatur: sed plus claruit sanctitâte, qua, ut prodigium, celebrabatur. Post varias in Ordine dignitates, hac die sanctissime decessit. De anno dubium est; alii enim asserunt obiisse anno *1287*, alii inter annum *1306*, & 1322. Ego tamen sequor Chronologiam N. Arpe in Pantheo Elogio 41. fol. 123; ubi ait, quod B. Petrus habitum induit circa annum 1250, In Galliam missus est Reformator anno *1256*, obiit 23. Martii teste N. B. Henrico de Urimaria anno *1306*. De B. Petro agunt Crusen: Herrer. tom. 2. Alph. fol. 238, Coriolanus n. 13. de Beatis, Pamphil. Torelli Centur. 2. c. *46*. fol. 180, & in Sæculis tom 5. fol. 263, Elss. in Encom. lit. P. Nativitas Monte. 1. Corona 3. §. 2. n. 4. fol. 37; Portillo in tomo 1. fol. 572. Arpe ubi supra; & in Diario SS. tom. 1. fol. 155, Josephus à D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 585. Ex exteris Jacobillus in SS. Umbriæ, & Henschenius hac die, & Joannes Bagata Veronensis Theatinus tom 2. de Admirand. lib. 4. c. 3. n. *28* ait, quod cum anno *1666*. transferretur corpus B. Petri, corpus ejus cum vestibus incorruptum repertum est.

F. B. Constancia Xira in civitate Eborensi Mantellata nostri Ordinis, floruit mirabili sanctitâte, quæ juxta omnes hujus Regni Historiographos, cœnobii Pueri Jesu Eborensis fundatrix extitit. Dubium tamen est de die, & anno, quo obiit. Plures illi diem trigesimum Maii, alii nonum Junii assignant, & in quibus diebus cum ejus socia, & non sorore, B. Maria celebrabatur. Cum autem non constet ambas eodem die obiisse, ideo duxit de illa tractandum esse hac die, qua in Eborensi Sede illius Anniversarium celebratur. Quantum ad annum difficilis est indagatio, certum tamen est anno 1462. adhuc vixisse, Quantum autem postinde vixerit, ignoratur. Quod autem *B.* Constantiæ, & B. Mariæ olim festivitas celebrabatur, festivitate. Pentecostes, fuit, quia in prima istius Octava illarum facta est Translatio. De illis agunt NN. Ludovicus ab Angelis in suo Viridario cap. 94; Purific. in Theatro Triumph. Choro 3, & in Chronolog. Monastica die 31. Maij fol. 61, & in Chron. p. 2. lib. 7. tit. 5. §. 1; Herrer. in Alphab. tom. 1. fol. *136*; Elss. in Encom. lit. C. fol. 154, & 465, Nativitas in Sylva lib. 5. c. *12*. n. 8. fol. 247; Josephus à *D.* Antonio tom. 3. Floris SS. fol. 785. Portillo tom. 2. SS. Ordin. die 9. Junii fol. 428. De ejus socia scilicet B. Maria Fernãdes agẽdum est die nona Junii. Ex exteris Petrus Calvus in Lachrymis Justorum tom. 2. lib. 2. c. *12*. fol. *65*; Torelli in Centur. 3. c. 28. fol. 269, & alii. De illis iterum erit Sermo 9. Junii, cum de B. Maria tractandum sit. Videantur interim Acta SS. die 30. Maij; & Agiolog. Lusitan. die 30. ejusdem mensis fol. 453, & *465*. lit. B.

G. Ven. Joannes das Penhas, qui in Indiis Verbum Dei prædicans infidelibus, ab illis triginta, & amplius sagittis confossus occubuit anno 1587. De illo agunt NN. Portilo hac die, & Josephus à D. Antonio Flore SS. tom. *1*. fol. 718. ex N. Joannes Grixalva in Chronico fol. 199.

H. Ven. Petrus de Castrillo in cœnobio Burgensi noster factus est hac die anno 1534; qui tamen postea in cœnobio Agrippinensi cum magna sanctitatis oppinioni obiit 14. Julii ann. *1605*, ut referunt NN. Herrera tom. 2. Alph. fol. 249, Elss. in Encom. lit. P. fol. *564*, Torelli in Centur. 5. c. *63*. fol. 591, Portilo tom. 1. fol. 575.

I. Ven. Angela Tesa Valentiæ é nobili prosapia orta est; parentes habuit Gregorium de Teza, & Angelam Galot. Inter moniales obedientiæ habitum suscepit ibi in cœnobio S. Juliani, & professionem emisit 21. Aug. ann. *1631*. ubi postea hac die in Jove sancto sancte occubuit anno 1690. N. Jorda tom. 2. lib. 4. c. 3. fol. 270. n. 12. de illa agit.

L. Ven. Anna à Passione Ursulina de Lisicux in Gallia floruit, & clara méritis ad præmium sibi meritum hac die migravit ann. *1662*. Agitur de illa in Chronico Ursulinarum fol. 303.

NONO

NONO KALENDAS APRILIS.

XXIV.

A. In Hibernia natalis S. Domangarti, filii Euchodii Regis Ultoniæ, cujus natalem S. Patritius illius matri prædixit; & hujus poſtea ipſe S. Domangartus fuit diſcipulus; qui, cum ſanctitate, & miraculis claruiſſet, Epiſcopus in patria creatus eſt, & innumeris meritis cumulâtus, hac die ad Coronam cœli ſubiit immarceſſibilem. *B.* Italiæ in cœnobio Aviliano pretioſa mors egregii Herôis B. Cherubini Teſta, qui ad Ordinem admiſſus eſt à N. B. Adriano, tunc Priore: & vix Religionem Cherubinus ſalutavit; ſe ſe in moribus Angelum eſſe demonſtravit, vel potius cœlum humanatum, quia, ſi cœlum ſtellis claret innumeris, ita etiam Cherubinus omnibus illuxit virtutibus; & has licet ſociis occultaret, tamen Deus illas per prodigia non pauca manifeſtavit: cereum enim accenſum intra manicam traxit illæſum, amphoram vino carentem miraculoſe implevit. Catinum fortuito fractum, ſine fractionis veſtigio, conglutinavit. Tandem innumeris meritis, & miraculis glorioſus, hac die in cœlum migravit: ad cujus deceſſum cymbala cœnobii per ſe mota ſonuêre; & ad ſonitum plurima populi, & procerum caterva concurrit ad cœnobium ad illius exequias celebrandas, & interim Cherubini corpus circunſtantium nares miro recreâbat odôre. Quo ſepulto, de ſepulchro mira ſentiebatur fragrantia, cujus ergo ſepulchro detecto, inventum eſt corpus candidum, & redolens lilium é corporis latere egreſſum: quare in decentiorem locum translatum eſt, & poſtea ad alium, ubi ſub arca clauditur Cypreſſina, & multis claret, & claruit miraculis. *C.* Senis in Iliceto obitus B. Gabrielis Zanzedarii de Chinuccio, qui nobili ſpreta proſapia, Iliceti horrores non horrens, ibi Auguſtinianam induit cucullam, & profeſſus eſt in manibus B. Antonii de Montechio: cumque de ſe ſanctitatis ſuæ clara redderet teſtimonia, Prior cœnobi Antoniani, & poſtea Ilicetani electus eſt, quæ cœnobia multis ornamentis, & redditibus auxit: & prudentiſſimo regimine gubernavit, & cum hæc benefacta multis virtutibus, & prodigiis exornâret, tempore regiminis Ilicetani morbo lethali correptus, impatienti ſuorum deſiderio, ad cœleſtes delicias ex Iliceti horrore hac die translatus eſt. *D.* In Monte Marano Diœceſis Beneventanæ memoria Ven. Cæleſtini Labonia, viri nobilate clari, qui ſeptennis Neapolim pergens ſtudiorum cauſa, ibi de ſe rari ingenii ſpecimen dedit. Tredecim jam annorum ab Innocentio Decimo creatus eſt Abbas cum baculo, & mitra inſignitus. Sexdecim mundi renuntians blandimentis, inter Excalceatos admiſſus, ſtatim vitæ, ac morum ſpiravit ſanctimoniam: ob quam à Clemente Decimo creatus eſt Epiſcopus Montis Marani, ubi aſſiduis concionibus plures Deo animas lucrâtus eſt. Pluries ſedit in Beneventanis conciliis ab Eminentiſſimo Urſino, poſtea Benedicto Decimo tertio, celebratis, cui erat chariſſimus, taliter, ut idem à Ven. Cæleſtino non dedignatus eſſet pluries pétere benedictionem. Plura in utilitatem ſuæ Sponſæ operâtus eſt. Fuit erga pauperes liberaliſſimus, taliter, ut exhauſto epiſcopalis menſæ ære, pretioſa, quæ habebat, in nummos converteret, ut pauperum indigentiam ſublevâret. Senio, & méritis confectus pio exitu in menſe Martio animam ſuo tradidit Creatori. *E.* In Oriente paſſio Ven. Ludovici Monterii Lamecenſis, noſtri Ordinis Corrigiati, qui, cum claſſium maris Malacenſis præfectus eſſet, à barbaris apprehenſus, & in fidei confeſſione perſevérans, ab iniquo tyranno Rajamanacor juſſus eſt occidi, & ſic ab exploſæ bombardæ ictu offenſus, animam exhalâvit. *F.* In cœnobio Goenſi S. Monicæ tranſitus Ven. Thereſiæ à S. Anna ibi monialis, quæ à Perſarum ténebris ad fidem converſa à N. Ven. Hieronymo à Cruce viro Apoſtolico, & ab illo baptiſata, & habitu aſſumpto intra menſem à baptiſmate,

felici

felici fato decessit, relinquens evidens suæ salutis testimonium. *G.* In India in celeberrimo Ordinis monasterio civitatis Goensis transitus Ven. Catharinæ Gomeziæ, magnarum virtutum Heroinæ, de qua fertur, quod à religionis ingressu Lectulo ad somnum non usa sit, sed supra cubiculi pavimentum quieverit, & pro culcitra scamnum imposuerit. In secundis, quartis, & sextis feriis totius anni à carnis, & piscium obsonio abstinebat. Egenorum fautrix fuit singularis, quibus largas eleemosynas suppeditabat. Erga altaris Sanctissimum erat devotissima, & ante illud, vel pedes vel genuflexa, numquam sedens, multas horas protrahebat. Ad ultimum vitæ terminum deveniens, morbo correpta læthali, quem sustulit patienter, sanctis Ecclesiæ munita sacramentis, á sororibus humiliter veniam deprecata, inter piissima ad Christi imaginem colloquia, à mortali corporis ergastulo, pio exitu, ut creditur, evolavit.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM QUARTUM MARTIJ.

A. S. Domangartus in Hibernia ortus est ex Euchodio Rege Ultoniæ, cujus natalem S. Patritius prædixerat, qui postea sub illo monachismum amplexus, ob virtutum mérita Episcopus ibi creatus, ad superos gloriosus migravit hac die anno fere 500. Agit de illo Henschenius in Actis SS. die 13. Februar. fol. 674. in vita S. Modomnoci, & die 24. Martii fol. 3. fol. 483.

B. B. Cherubinus de Aviliana in lucem ibi prodiit circa annum 1437. ex nobilissima Testarum familia, in patria sua in cœnobio D. N. de Gratia hábitum assumpsit anno 1452. tempore B. Adriani Berzeti viri sanctissimi Provinciæ alumni, ubi mirabili sanctitâte, & miraculis coruscavit, & obiit virgo die 24. Martii anno 1479; & post mortem in signum suæ virginitatis lilium é defuncti corpore pullulavit. Agunt de illo Herrera tom. 1. Alph. fol. 141, ubi asserit imaginem B. Cherubini depingi cum Cruxifixo in dextera, & duorum liliorum flore é latere germinâte. Agunt de illo Torel. tom. 7. Sæculorum ann. 1479. fol. 300. n. 15; Portillo hac die tomo 1. fol. 576, ubi late de illo asserit, dicens talia scripsisse ex relationibus sibi ex cœnobio Aviliano communicatis, Lacerda in quodlibet fol. 455. n. 35. Arpe in Pantheo Elogio 69. fol. 218, Josephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 590, ubi late de illo agit, Elssius in Encom. Aug. lit. C. Ex exteris Joannes Bagata Theatinus in Admirandis Orbis Christiani lib. 6. c. 3. §. 7. n. 80. In ejus Laudem cecinit N. Arpe ubisupr. sequens

EPIGRAMMA.

Sparge alio flores, urna hic sunt lilia plena;
Dum mihi sunt flores ossa, corolla cinis.

C. B. Gabriel de Chinuccio Senis natus est ex nobili familia Salimbenè, & Zanzedaria; qui motus à Fr. Thoma Galgano de Chinuccis, forsan ejus consanguineo, qui 16. Junii anno 1446. in nostro Ordine professionem emisit, etiam ad Ordinem recipi postulavit, & sic habitum induit 31. Maij anno 1478 in manibus B. Antonii de Montechio Prioris, & professus est 1. Junii anno 1479. sub eodem Priore in die Dominico, & qui ante Salimbene Mariani de Chinuccis vocabatur, post professionem Gabriel vocatus est. Ejus exemplo septem alii júvenes commoti Religionem ingressi sunt: inter eos celebratur Ven. Raphael Jacobi Mini de Piccolomineis; & post etiam frater suus Laurentius, qui dictus Dionisius, habitum suscepit 11. Maii ann. 1486. Noster autem B. Gabriel vixit mirabili sanctitate, obquam duorum cœnobiorum Antoniani, & Ilicetani Prior electus est. Fuit etiam à secretis B. Anselmi de Monte Falcho Generalis. Tandem mêritis clarus, die 24. Martii vitæ sanctissimæ finiit curriculum anno 1498. De illo agunt NN. B. Hieronymus Bonsignorius in suis comment. m. s. fol 79. Athanas. Fulloniens. in Comment. fol. 12, Gregor. Ful-

ginas in Horrorib. Ilicet; Alteſius in Elogiis, B. Paraclitus Bini, Herrera tom. 1. Alph. fol. 487; Ambroſ. Landucci Epiſc. in Sylva Ilicetana Elogio 41. fol. 118, Eliſ. in Encom. lit. G. fol. 222. Torelli in Cētur. 4. c. 30. fol. 406, & tom. 7. Sæculorum fol. 508. n 9; Portillo tomo 1. fol. 580; Hoyerus in Vita B. Joannis Chiſii; Arpe tom. 1. SS. fol. 157; Joſephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 1. fol. 701.

D. Ven. Cæleſtinus Labonia patritius Roſſanenſis ex Baronibus Campaniæ, & Bucchi Serii Roſſani, parentes habuit Joſephum, & Juliam Petram, ſexdecim annorum inter noſtros Excalceatos nomen dedit, & ob mirabilem vitæ ſanctimoniam, à Clemente X. creatus eſt Epiſcopus Montis Marani 17. Septembris, & conſecrātus 22. Novembr. anno 1670. Tandem, curriculo vitæ piiſſimè abſoluto, in Menſe Martio deceſſit anno 1720, poſt quinquaginta regiminis annos. De illo late agit Ughellus in Italia Sacra tom. 8. fol. 344.

E. Ven. Ludovicus Monterius Luſitanus Lamecenſis noſter corrigiatus, qui in Indiam Orientalem profectus, & militiam ſecutus, calluit militaria munera accuratiſſimè obire, taliter, ut ob facinora fieret Generalis Auſtralis. Cum vero anno 1583. hac die prælio navali contenderet cum barbaro Achem, ille cum paucis inphaſello evaſit vivus; captus tamen cum ſociis, coactus eſt á barbaris fidem deſerere; reſtitit intrepidus ſcéleri: quo viſo ad terrorem ante ipſum ſunt ſocii dilacerati, cumque in ſuo permanſiſſet propoſito; juxta bombardam oneratam appoſitus, globo ignito concuſſus, celeriter ad cœlum evolavit. Agunt de illo N. Purific. in Chronolog. Monaſtica hac die fol. 43, & Georgius Cardoſo in Agiolog. Luſit. tom. 2. fol. 290. & 295. lit. G; & quædam Relatio Indiæ N. D. Alexio de Menezes tunc Goenſi Archipræſuli dicata, & Fr. Franciſcus de Jeſus Dominicanus in poemate Malacæ Expugnatæ, ubi lib. 10. fol. 141 cecinit.

A' ſua viſta os eſtaõ deſpedaçando
Por lhe cauzar temor, elle animoſo.
A vida eterna lhes eſtá lembrando,
De que primeiro a gozem, invejozo.
Os miniſtros emfim executando
O barbaro furor do Rey irozo
Balla o fazem da peça fulminante,
Donde voando ao Ceo ſobe triumphante.

Epigramma Authoris ad eumdem.

Imperator Severus inter fumos occidit Vetronium Turinũ familiarẽ ob jactãtiam familiaritatis cũ illo. Oroſco Embl. 19. fol. 73.

Olim inter fumos periit Vetronius atros,
Stultus ovábat enim Regis amicitia.
Nunc inter fumos hic dux obit inclytus atros
Cœleſtis Regis clarus amicitia.
Exemplum accipiat, vult quiſquis ad aſtra ſubire:
Dux hic oſtendit, quo properēmus iter.

F. Ven. Thereſia à S. Anna monialis in cœnobio Goenſi S. Monicæ, in Perſide nata eſt ex Thoma Reque, & Eliſabetha à Cruce ad fidem converſis à N. Ven. Hieronymo à Cruce, in dicto cœnobio profeſſionē emiſit die 23. Februar. an. 1648, & brevi conſummata, ne malitia mutaret intellectum ejus, relicto ſanctitâtis odôre, hac die anno in eodem ad cœleſtis Sponſi nuptias evolâvit. Refert N. Auguſtin. à S. Maria Excalceatus in hiſtor. Goenſi lib. 4. c. 25. fol. 764. n. 477.

G. Ven. Catharina Gomes, ſeu à Matre Dei, in ſæculo dicta, Catharina Gomes Soares in India orta eſt: parentes habuit Felicianum Soares de Aboim, & Eufraſiam Gomes: religionis accenſa deſiderio, inter Moniales S. M. Monicæ in civitate Goenſi admiſſa eſt, ubi ſuarum virtutum indicia dedit evidentia, cum quibus uſque ad finem perſeverans, in Domino quievit, anno, vel 1680, vel 1681. Poſt annos aperto ejus ſarcophago, ut quædam ex ſororibus tumularetur, tantus, & talis egreſſus eſt odor, ut nullus alter terræ illi poſſet comparari. De illa agit Didacus Emmanuel Ayres de Azevedo, in ſuo Portugali illuſtrato fol. 44. n. 41.

OCTA-

OCTAVO KALENDAS APRILIS.

XXV.

A. In Hibernia obitus S. Enanii monachi, qui in sæculo degens, & mortali syncopa correptus, vitæ suæ cataſtrophen expertus est; verum à N. S. Congello in valetudinem vêterem redactus est: moxque in cœnobio Bencorensi sub disciplina ejusdem S. Congelli monachissimum amplexus, raris méritis, & claruisse, & decessisse refertur. *B.* Brixiæ memoria B. Luciæ Lanteri, quæ accensa desiderio ingrediendi Religionem, à Christo secum clara voce loquente audivit: Blanca, sic illa tunc vocabatur, & post in Religione Lucia; scio te nimis mihi servîre desiderâre in aliqua Religione reformata, scito ergo, meam esse voluntatem, ut habitum Augustinianum induas in cœnobio S. Crucis tuæ patriæ. His auditis, & rebus dispositis, hâbitum ibi suscêpit, ubi taliter se gessit in moribus, ut crebrius á B. Virgine fuerit visitâta, cum qua etiam aliquando cum Angelis commixta in Choro cantavit, & á B. Virgine Maria ducta est ad Inferni, & Purgatorii loca visitanda: & cum B. Lucia satis his affligeretur locis, in paradisum á Deipara deducta est. In Vigilia Purificationis Luciæ oranti apparuit Deipara, illam dulciter solâta, & dicens, ut eamdem sæpius oratione Angelica salutâret. Puerum Jesum in hostia sibi arridentem meruit aspicere. Infesto Annuntiationis ab Angelo salutata est, qui multa illi secreta cœlestia revelavit, & lilium é paridisiaco avulsum donavit viridario. Plurâ ab infernali hoste perpessa est nocumenta, quibus purgata, innumeris méritis, & miraculis illustrata, in cœlum migravit: cujus anima in cœlum ascendere visa est inter Christum, Deiparam, utrumque Joannem, P. Augustinum, & SS. Virgines, & martyres Catharinam, Luciam, & Barbaram, & innumerabilem Angelorum turmam. *C.* Salmanticæ in Hispania professio Ven. Ferdinandi de Toleto, viri sanctitâte clari, qui domum Salmanticensem sanctissime gubernâvit. *D.* Deniæ in cœnobio D. Monicæ obitus Ven. Annæ à Matre Dei, quæ, cum ob ardorem adolescentulæ pretiosis indueretur vestimentis, in die S. Magdalenæ, cœlesti jaculo vulnerâta, pristinam à se repulit vestium vanitatem, & vilibus ornata indumentis, ita per civitatem cucurrit, ut rite à cunctis illuderetur, & scandalo vêteris pompæ satisfaceret. Postea habitum inter Deniæ Moniales suscepit, & cum professionem emisisset, illam una é sororibus Christallo puriorem instrospexit; & hanc animi puritatem, quoad vixit, conservavit. Scrupulorum crucem sustinuit crudelissimam. Claruit charitâte, observantia regulæ, & statutorum etiam in minimis, & devotione passionis Christi, quam semper innumeris lachrymis meditabatur. Non minor illi fuit erga Deiparam devotio, illam tenerrime diligebat. Donec depasta ab arida febre, susceptis pie Sacramentis, hac die spiritum suo suum tradidit Creatori. *E.* In cœnobio Alciræ depositio Ven. Josephi Almansæ viri exemplarissimi, multæ orationis, & raræ pœnitentiæ, corpus enim suum cilicio ferreo, asperis disciplinis, & jejuniis panis, & aquæ continuis, & vestibus asperis macerâbat. Lectulo utebatur pauperrimo, & laneis tegumentis. Parum somni capiebat, sed multum orâbat, & orationem fere noctem per totam protrahébat. In regulæ, & constitutionum præceptis fuit observantissimus; in choro assiduus, solitudinis amans, erga pauperes compassivus, quibus maiorem quotidianæ portionis partem relinquebat, Missam summa cum devotione celebrâbat, ad cujus celebrationem multa se se oratione præparâbat. Cum esset Refectorarius, quæstionem cum janitôre habuit celeberrimam, cui illorum eleemosynas pauperibus distribuere pertinébat! Dicta tamen lis ad Priorem deducta, pro janitôre resoluta est. Magister Novitiorum bis est electus, & Novitios raro cum exemplo erudivit. Tandem oratiône, pœnitentiis, & cæteris virtutibus occupâtus, febre oppressus,

inter virtutum Theologarum actus heroicos, & ſuſceptis rara cum pietâte ſacramentis, hac die animam coronandam exhalavit. *F.* Barchinone inventio corporis Ven. Andreæ Tolera ſine corruptione.

COMMENTARIA.

AD DIEM VIGESIMUM QUINTUM MARTII.

A. S. Enanius ad viram revocatus eſt à N. S. Congello, ſub cujus diſciplina monachiſmum amplexus in cœnobio Bencorenſi, ibi ſancte deceſſit hac die, ut referunt Marianus Germanus, & Martyrolog. Tamlactenſe, & Henſchen. in Actis SS. hac die.

B. B. Lucia Lanteri Brixienſis orta eſt in terra Sarnica Brixienſis territorii ex Antonio Lanteri, & Poliſſena Muſenci, nobilibus Brixiæ cultoribus. Cum autem in Sarnico forte morarentur anno 1466, in lucem prodiit infans Blanca, ſic in baptiſmo, & in Religione Lucia vocata eſt. Septennium attingens, jam ad Deum pro peccatoribus preces offerebat, & Deiparæ coronam in Eccleſia devote recitabat. Cognoſcens mundi fallacias, in deſertum aufugere procurabat, & tandem é domo exiens, & à nutrice inventa, in domum reducta eſt, & ibi velut in deſerto habitabat, ubi illi oranti Deipara apparuit, illam conſolans, & benedicens: & licet electro purior ſibi eſſet conſcientia, tamen ad confeſſarii pedes, innumeras lacrymas effundebat, credens ſe præ omnibus peccatricem. Erga egenos piiſſimi cordis erat. Atrociter á dæmone tentata eſt in pudicitia; illa tamen oratiône dæmonis inſidias ſuperabat. Cum unius fœminæ in puteum Agnus Dei cáderet, & illa Blancam péteret, ut pro ſe, oraret, annuit hæc, & orans adepta eſt, ut Agnus Dei é putei fundo aſcenderet, & illum illa apprehendens, tradidit mulieri. Altero die infantem fere mortuum inter flammas, ubi ceciderat, ad Deiparam orans, e periculo liberavit. A Chriſto admónita eſt, ut monialium habitu indueretur in noſtro cœnobio S. Crucis, & illum induit in die SS. Innocentium ætat. 16. anno 1480. mutato in Luciam Blancæ vocabulo. Mox Eccleſiam petivit, De ogratis pro tali beneficio datura, tunc illi Deipara apparuit, & eandem benedixit inter moniales. Miſſæ aſſiſtens Puerum Jeſum in hoſtia cernere promeruit. Plures ægrotos, precibus ad Deum fuſis, liberavit. Ad matutinas preces ſurgenti apparuit cælitum Regina innumeris Angelis ſociâta, & Luciam hæc benedixit, & Angeli cantu dulciſſimo ſunt ſolati Puerum, & mulierem energumenos crucis ſigno abhoſte maligno liberavit. Fœminam à medicis derelictam reſtituit ſanitati. Id ipſum cum altero ulcus in caplte peſſimum tolerante perfecit. Prægnantem à morte liberavit, & cuidam diutius maritatæ, ſed ſterili, prolem adepta eſt. Cum aliquando pro altero ægroto deprecaretur, & illi ſoſpitatem nacta non foret, Deum rogavit, ut ſibimetpſi ejuſdem ægroti concederet ægritudinem; quod ſtatim conſecuta eſt, nam ſibi alterius ægritudo, & ægroto Luciæ ſanitas conceſſa eſt. Quendam inſolentem Magum ad meliorem frugem convertit, taliter, ut inter Minoritas habitum ſuſciperet. Sic etiam laſcivam fœminam é cæno vitiorum ad pudicitiam ſervandam reduxit. A Deipara ad Inferni, Purgatorii, & Paradiſi loca ducta eſt. Anno 1488. in die Purificationis á Deipara dulciſſime eſt conſolata. Et anno 1490. in vigilia primi diei quadrageſimæ illi apparuit Deipara cum Puero Jeſu, & ad Luciam Deipara ſic locuta eſt: Lucia, ecce tuus Sponſus, & his dictis, illam benedixit. Anno 1492. in Dominica Palmarum, illi iterum Deipara apparuit, & ramum Olivæ dedit: quo Lucia plures ægrotos, & energumenos tangens reddidit ſanitati. Anno 1491. in die Annuntiationis Angelus apparuit, & lilium dedit candidiſſimum, pulcherrimum, & odoriferum, & illam alter Angelus in Sacerdotis forma ſacra hoſtia e ſacrario éruta communicavit. Extaſi mirabili rapta, omnia noſtræ Redemptionis myſteria, ſibi in ſpiritu repræſentata, vidit. Ante Chriſti Crucifixi imaginem orans, Chriſti ſibi loquentem audivit, & ipſe Dominus illi promiſit, peccata remiſſurum illis, qui erga ſuam paſſionem habérent devotionem. Tandem tot méritis, & prodigiis clara

anno

anno 1492. ætat. 26, susceptis Sacramentis, sancté decessit; cum in choro cantarétur hymnus: Exultet cœlum laudibus: cujus anima veste pretiosa induta, diademate coronata, aurea zona præcincta, visa est inter Christum, Deiparam, utrumque Joannem, P. Augustinam, SS. Catharinam, Barbaram, & Luciam, & Angelos innumeros in cœlum conscéndere: & post mortem multis claruit prodigiis. De illa agunt NN. Herrer. tom. 2. Alph. fol. 7, Pamphil. in indice beatorum, Torelli tom. 7. ann. 1492. fol 408. à num. 11. ubi late de illa agit, Elss. in Encom lit. L. fol. 436.

C. Ven. Ferdinandus de Toleto Alvari Lopes, & Elvire Nunes Toletanorum civium filius hac die Salmanticæ anno 1421. professionem emisit 2 Julii, & anno 1321. Salmanticensem domum gubernavit. Obiit sancte: De illo agunt Herrera in Alphab. tom. 1. fol. 227, & Torelli tom. 8. fol. 76. anno 1521. n. 22. Elss. fol. 194.

D. Ven. Anna à Matre Dei Deniæ orta est é nobili prosapia, à mundi pompis ad honestam vitam reducta in die S. Mariæ Magdalenæ, exinde rarum de se tulit honestatis exemplum: inde ad cœnobium Deniæ, & Dominæ nostræ de Oreto convolavit, ubi rara degens observantia, rara sanctitatis opinione mortalibus valedixit hac die post annum 1580. Agit de illa N. Villerin. tom. 3. lib. 42. tract. 2. fol. 405.

E. Ven. Joseph. Almansa habitu nostro indutus est Alcyræ, ubi professus est anno 1667, cujus vita mirabilis sanctitâtis de se præbuit testimonia, inter quæ post plures annos pie decessit hac die, anno 1679, ut refert N. Jorda tom. 2. lib. 3. c. 24. fol. 111. n. 6.

F. Barchinone in cœnobio S. P. Aug. Inventio corporis Ven. Andreæ Folera, de quo actum est 1. Januar. lit. P; cujus corpus post septemdecim annos hac die ann. 1690. inventum incorruptum, ut testatur N. Jorda tom. 3. in hist. Catalaun. lib. 3. c. 2. fol. 420. n. 15.

SEPTIMO KALENDAS APRILIS.

XXVI.

A. Cæsaraugustæ in Hispania pretiosa mors S. Braulii Episcopi, & Confessoris, qui é nobilissima progenie ortus, cum S. Ildefonso litteras sub S. Isidore didicit, in quibus exiit consummatus. Inde monachismum Augustinianum amplexus in cœnobio de Massas, à S. Paulino fundato, ibi tali sanctitate vixit, ut defuncto Germano suo Joanne Episcopo Cæsaraugustano, in ejus locum sit suffectus miraculo cœlesti; nam super Episcopos Eligentes audita hæc vox est de S. Braulio: hic est servus meus, quem elegi, posui super cum spiritum meum: in quo mauere perfecti Pastoris munera explevit. Floruit exemplo virtutum, & verbi efficacia, de quo fertur, quod, cum aliquando populo sermonem faceret, albissima columba super ejus humerum apparuit, quæ ad aures illius dicenda suggerebat. Plura scripsit notatu digna; donec plenus sanctitâte, ad mortem pervênit, & ante ejus animæ exhalationem Angelici cantus, & hæ voces à pluribus sunt auditæ: Surge, surge, & veni, amice mi: quibus respondit Braulius: Præsto sum, Domine: quibus expletis ad sibi coronam in cœlo præparatam hac die evolavit. *B.* Genazzani memoria B. Sanctæ monialis in patria, fœminæ heroicarum virtutum, præcipue humilitatis, & pœnitentiæ. Adeo erga passionem Christi claruit devotione, ut, quoties de illa ante ipsam quis loqueretur, vel ipsa eadem meditaretur, extra suos sensus raperetur: donec virtutibus, & miraculis clarificata, é mundi tenebris ad lucem immarcessibilem vocata est. *C.* Nangazaqui in Japponia triumphus gloriosus Ven. Michaelis à S. Josepho Confessoris, qui, cum plures e barbaris suis ad fidem concionibus convertisset, pro laborum termino, martyrii corona méruit sublimari. *D.* Olyssipone in cœnobio Gratiarum depositio Ven. P. Francisci à Villafranca, viri egregii, & æterni nominis, fuit enim in prædicandi

prædicandi arte nulli ſuo tempore ſecundus. Ob egregias ejus virtutes, electus eſt Provinciæ Luſitaniæ cum B. P. Ludovico de Montoia reformator, quam ſanctis moribus, & legibus ad ſtatum reduxit primitivum; erat enim efficax in jubendo, & de numero illorum, qui tunc exemplo movent, cum exemplo docent. Fuit dæmonibus formidabilis. Dulci acrimonia in roſtris vitia arguebat. In choro fuit aſſiduus; cumque decem ſupra novem annos hanc Provinciam ſanctiſſime gubernaſſet, nonnullis Epiſcopatibus, & præcipue Bracharenſi Archipræſulatu recuſatis, tandem nephritidis, & architridis doloribus gravâtus, quos ſumma patientia toleravit, inſuper apoplexi oppreſſus, ſex ante obitum diebus, in quibus, & ſi ſenſus non expers, obmutuit; & perfecte ante obitum loquens, & répetens ſæpiſſime dulciſſimum nomen Jeſu, octogenario maior, & plenus meritorum, ad præmia hac die evolavit cœleſtia. *E.* Toleti in Hiſpania memoria Ven. Joannis de Velaſco, qui poſteaquam in novo orbe Evangelium magno cum fructu diſſeminaret, in Hiſpaniam rediens, ibi oblatas ſibi infulas recuſans conſtantia ſingulari, ibidem méritis, & ſanctitate clarus, primævæ culpæ ictum expertus eſt. *F.* Panhormi tranſitus Ven. Pauli à S. Petro Siculi Salernitani, qui inter Diſcalceatos habitum ſuſcipiens, floruit charitâte erga pauperes; cumque annis multis, & non paucis eſſet confectus virtutibus, hac die felici fato oppetiit. *G.* Valentiæ in cœnobio S. Teclæ memoria Ven. Sereſolæ ibidem monialis, cujus vita aliis erat ſororibus prodigium; fuit enim in oratione aſſidua, & præcipue in Chriſti paſſione meditabatur. Omnibus anni Véneris diebus ab aliqua ſe ſe ad Crucem ferream manibus, & pedibus ligari faciebat, & ſic ligata tribus horis manebat in memoriam trium horarum, in quibus Chriſtus in Crucis patibulo pependit. In pœnitentia fuit mirabilis, ciliciis ſe ſe onerabât aſperrimis; jejuniis multis, & diſciplinis macerabat cruentis. Cuſtodiam ori ſuo poſuit, nec, niſi neceſſa, proferebat. Claruit paupertâte, humilitâte, puritâte, affabilitâte, & devotiône mirabili erga ſacramentum altaris. Tantis ad obitum præparâta virtutibus, obiit ſanctiſſime; in cujus ſepulchro prodigium repertum eſt mirabile; cum enim annis poſt multis ejus ſepulchrum ad aliam ex monialibus ſepeliendam aperiretur, corpus Ven. Sereſolæ non incorruptum ſolum, imò etiam genuflexum facie ad SS. Sacramentum converſa inventum eſt, cunctis rei novitâte obſtupefactis, cujus ergo fabricata eſt arca lignea, in qua corpus iterum collocatum eſt.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM SEXTUM MARTIJ.

A. S. Braulius Cæſarauguſtæ ortus eſt ex nobiliſſima progenie: conſummatus in litteris, quas ſub S. Iſidoro didicit, in monaſterio Toletano SS. Maſſarum, ubi S. P. Auguſtini vigebat monachatus à N. S. Paulino inſtitutus, habitum induit, & vixit tali ſanctitâte, ut à cœlo ad Epiſcopatum Cæſarauguſtanum electus eſſet. Interfuit quatuor Conciliis Toletanis ann. 633, 636, & 638, & altero: donec innumeris méritis coruſcans, die 26. Martii anno 646. in pace quiêvit, regnante in Hiſpania Sindoſuinda. Corpus ejus in Eccleſia D. Noſtræ do Pilar tumulatum eſt. Deillo agunt Martyrologium Rom. hac die, S. Ildefonſus lib. de Viris illuſtrib. Flos SS. Hiſpaniæ, Tamay tom. 2. SS. Hiſpaniæ die 26. Martii, Henſchenius in Actis SS; & N. Jorda tom. 3. Hiſtor. Aragoniæ lib. 1. c. 6. fol. 18, ubi probat illum noſtratibus pertinêre, & affert authoritatem Liberati Gerundenſis Benedictini, qui in Chron. Hiſpaniæ ait: S. Paulinus, qui poſt fuit Nolanus Epiſcopus, monachus Eremita, & diſcipulus S. Auguſtini, ab eodem B. P. mittitur ex Africa ad Hiſpaniam, ut in ea introducat ſuum monachatum, Barchinone, Gerundæ Tarraconæ, Illerdæ, Bilbili, Cæſarauguſtæ, Calagurri, Emeritæ &c. Et cœnobium Maſſarum eſt idem à S. Paulino fundatum, & poſtea reædificatum à S. Braulio, in cujus ſignum adhuc ibi permanet veſtigium in Turre S. Braulii dicta.

B. B. Sancta de Gennazzano in patria ſua fuit monialis, ſeu potius mantellata, cujus vita refertur multis exornata eſſe prodigiis, & non ſolum in nomine, ſed pótius,

&

& plus in actibus sancta fuit, & obiit. Annus sui obitus est incertus, alii enim anno 1470, alii 1493. dicunt obiisse. In hac die de illa egimus mentionem, licet Portillo in m. f. de illa die 25. Aprilis cum B. Petrucia agat, ne in hoc opere ejus deficiat memoria. De illa agunt ex NN. Pamphil. fol. 88; Crusen. 3. p. Monastici c. 29. fol. 176. anno 1470, Roman. Centur. 12. fol. 103. ann. 1493; Coriolanus in Chronico, qui certe eam cognovit, Herrera tom. 2. Alph. fol. 380, Elss. in Encom. lit. S. fol. 617. Torelli tom. 7. ann. 1481. fol. 315. n. 2, & ultra, & in Centur. 3. c. 98, fol. 353; Joseph. á D. Antonio in suo Iman Spirituali c. 3. fol. 75, & alii plures.

C. Ven. Michael á S. Josepho in Japponia, in oppido Bungo dicto, ortus est exparentibus Christianis, qui vocabantur Leon Tanagu, & Maria Votzurci, & filio nomen Michaelis indidêre vaticinantes forsan, illum contra Orci astutias fuisse decertaturum. Religionis cupidus, nostro dedit nomen instituto in cœnobio nostro Bungi existenti, inde egressus, Manilã petiit, & petiit habitum, & illum adeptus est á P. Fr. Alphonso de Mentrida Provinciali, & sic habitum induit Manilæ in cœnobio S. Pauli die 26. Martii anno 1625, pluribus recusantibus, quia Michael Japponus erat: professus est tamen anno sequenti in manibus Ven. Eustacii Ortiz tunc Prioris, qui illum cognoverat, dum Bungi existeret. Litteris Michael satis instructus, & Sacerdotio initiatus, ardens desidério animas in Deum reducendi, prælatorum venia obtenta, cum Ven. P. Francisco á Gratia é Manila egressus est die 4. Augusti anno 1632, Bungum suam patriam invisit, & inde incipiens contra infidelium tenebras decertâre, ubi cognovit Ven. Franciscum á Gratia Nangazaqui vitam pro Christo prodegisse, illuc perrexit, sed breviter comprehensus, crudeliter necâtus est circa annum 1635, quia adhuc 11. Novemb. ann. 1634. sospes erat, ut probat N. Josephus Sicardus in Histor. Jappon. lib. 2. c. 17. fol. 314, ubi de illo late agit. De illo etiam agunt NN. Herrera tom. 2. Alph. fol. 70; Torelli Cent. 6. c. 83. fol. 743, Elss. in Encom. lit. M. fol. 489.

D. Ven. P. Franciscus á Villa Franca Toleti natus est ex nobili génere, quindecim annos natus Salmanticæ habitum suscepit, & studiis déditus exiit concionator inter omnes sui tẽporis primarius. Post aliquas Ordinis dignitates, á P. Generali Gabriele Veneto electus est socius Ven. P. Joannis Gallego ad Lusitanam Provinciam reformandam anno 1554: cum autem Ven. Joannes esset impeditus, ex consilio S. Thomæ de Villanova sócium elégit V. P. Ludovicum de Montoia, qui duo ad munus exercendum perrexêre an. 1555. Cœnobium Eborense ingressi sunt, & cum forte Prior, qui erat P. Fr. Franciscus Tosinus, domo abesset, illi convocata communitâte de more Ordinis, patentes litteras Generalis legi fecerunt. Domum rediens Prior factum ab illis cognoscens, illos ad cubiculum vocavit, & acriter reprehendit de excessu, quem, ipso inscio, perpetrarant. Postea Prior ad eorum pedes provolûtus, illos, tanquam sui prælatos cognoscens, veneratus est, Quam rem non ægreferentes duo Reformatores, ipsum deinde Priorem magno in pretio tenuére, & sic illum anno 1544. itérum ejusdem cœnobii Priorem elegêre. Multum valet erga maiores aliquando justa, & efficax reprehensio. Ad reprehensionem unius plebei tremuit Caliguli insolentia, sicut ad Sutoris Lusitani admonitionem emendata est Alphonsi Quinti ignavia.

Fuit Ven. Franciscus Confessarius Reginæ Catharinæ, & illius concionator, & D. Sebastiani Regis; item confessarius Infantis D. Mariæ conjugis Philippi 2. Nonnullos Episcopatus, & Bracharæ insulam á Regina *D.* Catharina oblatam recusavit, similis Catoni, qui noluit sibi in capitolio erigi statuam, dicens, melius esse rem meréri, quam possidêre. Lixbonæ in primo fidei actu prædicavit anno 1640, & in secundo Eboræ anno 1542, ubi combusti sunt quatuor judaizantes, quos signant quatuor figuræ lapideæ in cœnobii Eborensis frontispicio existentes. Hanc Provinciam per 19. annos, & menses octo in summa observantia gubernavit. Obiit tandem Ven. P. cum raro vitæ, & sanctimoniæ odôre die 26. Martii anno 1555. ætat. 81, Religionis 66. De illo agunt ex NN. Herrer. in Histor. Salmantic. c. 46. fol. 316, ubi transtulit vitam compositam á N. P. Ludovico de Azevedo, D. Fr. Alexius de Menezes in lib. VV. hujus Provinciæ. Rursus Herrera tom. 1. Alph. fol. 228; Elss. in Encom. lit. F. fol. 209. Purific. in Theatro Triumph. choro 7, & Chronolog. Monastica hac die fol. 41; & in Chron. Provinc. p. 2. fol. 231, & de Viris Illustrib. lib. 2. c. 7. fol. 61, Eduardus Paciecus

cus in vita Ven. P. Montoiæ c. 5. fol. 131. & Torelli tom. 8. ann. 1555. fol. 399. n. 35, & Centur. 4. c. 97. fol. 504; Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 164, Josephus à D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 703. Portil. tom. 1. fol. 582, & Leal in m. s. fol. 35. Ex exteris Agiol. Lusitan. die 21. Martii fol. 254, Petrus Calvus in Lachrymis Justorum c. 12. 2. p. fol. 68; Vincentius à Costa in discursu contra Judæos fol 94, & alii.

Etiam post obitum, Ven. P. Villafranca de hujus Provinciæ reformatione curabat. Cum enim anno 1590. in cœnobio Eborensi esset Prior P. Fr. Nicolaus à Trinitate, ob ejus ignaviam cœnobii observantia in dies deperibat. Hac re commoti duo SS. reformatores Villafranca, & Montoia, ægre irreligiositatem ferentes, & forte dicentes illud Isaiæ c. 5. Germen ejus delectabile, & expectavi, ut faceret judicium, & ecce iniquitas, & Justitiam, & ecce clamor, Priori duo fraterno habitu induti apparuerunt, dicentes é Castella venire, & velle licentiam, ut in cœnobio illa nocte cõmorarentur, & mane in Lixbonam profecturi. Mane facto, é cœnobio egressuri, ad cœnobii valvas, ad Priorem secreto loquentes, & de multis arguentes, illi manum constrinxére, & ilh alta voce retulit P. Villafranca: age pœnitentiam. His dictis duo reformatores disparuêre, nec amplius sunt visi. Hac monitione Prior correctus, erga cœnobii reformationem curam adhibuit maiorem, & multis se se pœnitentiis macerâvit, & cum sanctitatis opiniône decessit. Refert N. Leal in m. s. lib. lit. H fol. 37.

E. Ven. Joannes de Velasco die 26. Martii anno 1572. sit noster; post promulgationêm Evangelii in novo orbe, in Hispaniam regressus, & nonnullos Episcopatus recusans, Toleti sancte obiit anno 1623. Herr. tom. 1. Alph. 422, & in Historia Salmant. dum de filiis cœnobii Toleletani fol. 200, Elss. in Encom. fol 369.

F. Ven. Paulus à S. Petro Siculus Salernitanus, cum esset centum annorum, anno 1609. hábitum Discalceatorum suscepit, & vivens exemplariter, obiit Panhormi Sabbato Sancto 26. Martii anno 1622; sepultusque est in Ecclesia S. Nicolai: professus est 30. Novemb. anno 1610, & in Religione vixit 13. annos, & obiit ætate 122. annorum. Agunt de illo Crescentius in Præsidio Romano lib. 3. Narrat. 1, & N. Joannes Bartholomæus in Fratrilogio p. 2, & Lustro 7. anno 1622. fol. 200, numer. 16.

G. Ven. Seresola floruit mirabili, sanctitate in cœnobio Valentino S. Teclæ, ubi obiit anno 1595. De illa agit N. Jorda tom. 2. lib. 4. c. 7. fol. 292. n. 2.

SEXTO KALENDAS APRILIS.

XXVII.

A. Prati in Thuscia transitus B. Augustini de Favaronibus Romani, viri maximæ sanctitâtis, & profundissimæ sapientiæ; Sic & nomine, & re alter fuit Augustinus, cujus opera àdeo familiaria tenebat, ut ab eo edita viderentur: sic copiosus, ac profundus Theologus evasit, ut flumen divinæ sapientiæ videretur. Unus fuit, & præcipuus inter eos, qui ad S. Birgittæ examinandas revelationes destinati sunt. Ordinis electus est Generalis, cujus munus duodecim per annos sanctissime exercuit. A Martino Quinto ad nostros transferri corpus. S. M. Monicæ adeptus est. Ab Eugenio Quarto creatus est Archiepiscopus Nazarenus in Apulia cum administratione Ecclesiæ Cæsenatensis; ubi verbo claruit, & exemplo; fuit enim erga pauperes liberalissimus. Fere omne tempus vel orando; vel scribendo consumebat. Plura volumina scripsit. Cum vero se jam senio confectum vidisset, in cœnobium Pratense recepit, ubi in bona senectute, cum splendore sanctitâtis in vita, & morte miraculis confirmatæ, debito naturæ satisfecit: & post mortem

mortem tantam erga omnes concepit opinionem, ut assidue suo assisteret tumulo, quidam Religiosus, ut illius populo veneraturo ostenderet exuvias. *B.* Anglæ memoria B. Guilelmi Senghan, viri magnæ scientiæ, & sanctitatis, ob quas excellentias a B. Laurentio Generali in Angliam missus est, ut ibi Cœnobia Ordinis reformaret. *C.* In Indiis triumphus Ven. Hyacinthi de Jesu Maria Congregationis Excalceatorum Hispaniæ, qui in odium fidei in provincia Caraghæ lanceis confossus occubuit; cujus corpus per plures horas genuflexum, oculisque in cælum erectis, & immotis manibus ab infidelibus in mare projectum est. *D.* Valentiæ in cœnobio S. P. Augustini depositio Ven. Hieronymi Horcos, viri magnæ orationis, & contemplationis. Omnis perfectionis, & virtutis speculum se fecit; humilitate, patientia, & observantia fuit admirabilis; taliter, ut diceret, se propter minimam Religionis observantiam omnes paterentur labores. Tanti silentii fuit, ut, vix primus campanæ ictus sonabat, custodiam suis labiis imponeret, quin sæpius verbum absolveret inceptum, dicens, primum campanæ ictum esse ad ultimam vocis prolationem. Continuam Dei habuit præsentiam, & perennes erga Deum actus agebat amoris: etiam dormiens sensibus, corde ad Deum vigilabat, repetens: amo Deum. Multos orans à Deo suscepit favores. Erga Deiparam fuit devotissimus; cujus in honorem quotidie recitabat Hebdomadam in Ordine latis notatis, & Rosarium, quod etiam somno decitus præ manibus habebat. Erga Purgatorii animas fuit devotissimus, pro quibus sibi apparentibus, plura suffragia applicabat, & illi apparentes grates pro suffragiis exhibebant. In nocte unam sibi in cubiculo apparentem aspiciens, tali permansit dolore, ut, petens lectulum capillis nigris, mane cum illis candidis appareret. Magnam ex tonitruis concipiebat lætitiam, dicens, per illos excitari ad pœnitentiam peccatores. Prior factus, prius de ornamentis Ecclesiæ curabat, dicens, prius de his curandum, quam de Fratribus, quia his Deus dabat abundanter. Erga pauperes magna charitate flagravit, in cujus signum crebrius illi Deus panem multiplicavit. Tandem raris virtutibus, & mulris clarus prodigiis, hac die felici fato decessit. *E.* In eodem cœnobio felix depositio Ven. Josephi Milan, viri scientiæ, & Sanctitatis fama clari. Inter cæteras virtutes singulari erga pauperes charitate coruscavit: Obiit Sancte hac die cum magna animi pace, & quiete. *F.* Valentiæ in cœnobio SS. Josephi, & Annæ in oppido Olleriæ obitus Ven. Catharinæ a S. Francisco ibi monialis, fœminæ magnarum virtutum, quas sua coronabat pœnitentia, quæ talis extitit, ut aliis stupor extiterit Sororibus. Adeo atrocibus ad illam utebatur instrumentis, ut frusta carnis ex ejus corpore avellerent: disciplinæ, & jejunia erant continua. Oratione perpetua utebatur: ex choro nullatenus, nisi ex obedientiæ præcepto, egrediebatur. Ne orans somno langueiceret, subtus collum usque ad pectus ferrum habebat acutum, ut, si forte dormiret, aculeo læderetur, & somnum relegaret. Tandem sibi e cælo sui obitus die revelato, & ante triduum pie Sacramentis susceptis, tunc, nemine tangente, persese cœnobii cymbala sonuere, obiitque Sancte hac die, relinquens eximium suæ sanctitatis testimonium.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM SEPTIMUM MARTII.

A. B. Augustinus de Favaronibus Romanus, noster factus est Romæ in cœnobio D. N. de Populo. Studiis exiit ad miraculum doctus. Anno 1389. fuit Provinciæ Romanæ Vicarius Generalis anno 1419. die 19. Augusti. Aste electus fuit Generalis post obitum Petri de Vena, Præsidente Ven. P. Joanne Zacharia Saxoniæ alumno. A Martino Quinto, cui erat charus, Translationem Corporis S. M. Monicæ adeptus est. Electus est Archiepiscopus Nazarenus ab Eugenio IV, á quo etiam administrationem Ecclesiæ Cæsenatensis nactus est anno 1431. idibus Junii, cujus Bulla affertur ab Ughellio in Italia Sacra tom. 2. fol. 480. de Episc. Cæsenat. n. 64. & incipit: Dilectis filiis Ecclesiæ Cœsenat. &c. Obiit tandem sanctissimé anno 1443. vel Romæ, ut asserunt Pamphil. in Chron, & Ughel. ubi supra, vel, quod

eſt certius, Prati in Thuſcia, ut tenent Herrer. tom. 1. Alph. fol. 12. Elſſ. lit. fol. 93. in Encom. Torelli tom. 6. fol. 735. n. 3. Pæter hos de illo agunt. Anaſtas. Bergom. lib. 14. Coriolan. Pamphil. Strambel. Primas Auguſt. lib 5. c. 4. Cruſen. in Chron. p. 3. c. 24. & 25. Oroſco in Chron. Portillo hac die tom. 1. fol. 585.

B. B. Guilelmus Senghan Anglus, ſcientia, & ſanctitâte fuit præſtantiſſimus, in Angliam miſſus eſt a B. Lanfranco Generali, ubi plura edens volumina, ſanctè deceſſit circa annum 1264. De illo agunt Pamphil, Cruſen. Roman Centur. 9. fol. 52. M. Marquez ſub anno 1256. Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 278. Torelli Centur. 2. c. 15. fol. 151. & Joannes Pitſæus anno 1260. De illo quidam cecinit Auguſtinianus.

Anglia me genuit, formavit Roma, recepit
Anglia, quo cáperet, quæ mihi Roma dedit.

C. Ven. Hyacinthus de Jeſu Maria Gaditanus, ibi ortus eſt ex Petro de Molina, & Eliſabetha Lopes: in Manilam profectus, ibi in cœnobio S. Nicolai inter Diſcalceatos hábitum ſuſcepit, ubi multis claruit virtutibus: poſtea ad urbem Caraghæ profectus, & captus ab Indis, Eccleſias, & monaſteria diripientibus, Lancea confoſſus pro fidei Confeſſione occubuit, anno 1631, cum eſſet Prior Vicarius cœnobii Tagenſis, & poſt obitum immobilis genibus flexis, & oculis in cœlum erectis permanſit, ut réferunt NN. Herr. in Alph. om. 1. fol. 338. Torelli Centur. 6. c. 80. fol. 739. Elſſius in Encom. fol. 303.

D. Ven. Hieronymus Iloſcos ex Xativa oriundus: factus 15. annorum. Valentiæ hábitum ſuſcepit, ubi poſtea innumeris clarus virtutibus, & prodigiis, vitam Sancte terminavit die 27. Martii anno 1696. ætatis 67. Agit de illo late N. Jorda tom. 1. hiſt. Valentiæ lib. 2. c. 32. fol. 477.

E. Ven. Joſeph. Milan Doctor Valentinus, & vir multæ Religionis, valde erga pauperes liberalis, Sancte deceſſit Valentiæ in cœnobio Deiparæ de ſuccurſu hac die anno 1703. ætatis 53. Agit de illo N. Jorda tom. 1. fol. 509. n. 41. & tom. 2. lib. 3. c. 9. fol. 42. num. 64. ubi refert. illum fuiſſe filium legitimum Marchionis de Albayda, Cathedraticum Academiæ Valentinæ, & Priorem cœnobii Valentini.

F. Ven. Catharina a S. Franciſco nata eſt in oppido Olleriæ regni Valentiæ, ex Ludovico Oltra, & Raphaela Morrió, in cœnobio S. P. Aug. Olleriæ habitum ſuſcepit die 11. Septemb. an. 1612. & profeſſionem emiſit die 13. Octob. an. 1613. Floruit raris virtutibus, & incredibili pœnitentia. Obiit die 27. Martii an. 1666. Agit. de illa N. Jorda tom. 2. hiſtor. Valentiæ lib. 5. c. 17. fol. 677. num. 16.

QUINTO KALENDAS APRILIS.

XXVIII.

A Nurſiæ obitus S. Spei Abbatis, miræ patientiæ viri; nam per quadraginta annos oculorum cæcitatem paſſus eſt, ſed poſtea exercitium oculorum cœlitùs eſt conſecutus. Qui, cum multis meritis coruſcâret, & obitus ſui diem adventâre præſentiens, ſacramentis refectus, inter Pſalmos Sanctiſſimam exhalavit animam, quæ in columbæ ſpecie in cælum aſcendere a cunctis Fratribus viſa eſt. *B.* Bononiæ in cœnobio Corporis Chriſti depoſitio B. Paulæ Baptiſtæ a Mozuvacca Virginis, quæ plures per annos vixit mirabili pietate, & obvantia cum S. Catharina de Bononia in noſtro cœnobio Ferrarienſi inter Ordinis Mantellatas; poſtea Bononiam profecta cum S. Catharina, & B. Joanna de Lambertinis ad novum inibi formandum cœnobium ſub S. Franciſci inſtituto, ibi mirabili Sanctitâte deceſſit hac die, & per ejus merita Deus plura operâtus eſt prodigia, & unum

conti-

contigit Cardinali a S. Cruce Legato, nam ejus ope a quodam nævo, quo ejus facies deformior videbatur, mirabiliter liberatus est. *C.* Villaviçosæ in cænobio S. P Augustini in Provincia Transtagana transitus Ven. Vincentii Ferreira, qui cum ibi Priorem ageret, cum magna Sanctitâtis opinione hac die occubuisse narrâtur. *D.* Neapoli in cænobio Veritatis natalis Ven. Andreæ à S. Andrea, senis, venerandi qui molestissima infirmitate purgâtus, Sancte hac die decessit. *E.* In cœnobio Matricalensi depositio Ven. Annæ à Vega ibi monialis, quæ, & si usque ad quadragesimum annum vitam servaret communem, post inde maximò cum fervôre per viam salutis incessit, plurimæ orationi vacabat, pœnitentiam amplexa, quatuor in hebdomada diebus jejunium observabat, pane, & aqua sese duntaxat reficiens, parum somni supra tabulas nudas capiebat, fere totam per noctem insomnis orabat. Corpus domabat ciliciis, & ferrea catena, & ferreo circulo ad collum nimis ponderoso: nudis pedibus incedebat. Christum velut in Horto orantem, & sanguine manantem, & manus erectas habentem aliquando aspexit, qua visione extra sensus rapta diutius permansit. Altera die illum pauperrimum, spinis coronatum, & plagatum vidit: & in sabbato Sancto illum ad se manus extendentem intuita est. Extases in oratione habuit innumeras. Ultra annum solo pane, & aqua, & aliquando sine ullo absonio, vitam tolerâvit. Plures SS. P. Augustini, Nicolai de Tolentino, Guilelmi Aquitani promeruit visiones potiri. Claruit prophetico spiritu. Plures sâtanæ tentationes protrivit, triumphatisque humani generis hostibus immanibus, in hac die, quæ fuit Dominica Palmarum, Sancte ad cæli palmam, quam sibi suis meritis fabrefecit, evolavit. *F.* In eodem cœnobio memoria Ven. Augustinæ Ulloæ monialis raræ pœnitentiæ, & abstinentiæ, dequa non nulla prodigia referuntur; præcipue, quod suis precibus ignem in ipso extinxerit cœnobio excitatum. *G.* Alchodii in cœnobio monialium S. Sepulchri depositio Ven. Emmerentianæ ab Ascensione, ubi tanta fulsit sanctitâte, ut ad Deniæ fundationem vocaretur, & cum ibi magnis, & raris splendesceret virtutibus, ad illarum præmia ascendit coronanda. *H.* In eodem Alchodii cœnobio transitus Ven. Josephæ a Matre Dei, cujus impulsu, ut cervus undas, sic illa Religionem petiit, sæculum, divitias, & quinque fratres absque parentibus relinquens; ad miraculum virtutum semitam ingressa est; fuit enim profundæ humilitâtis, maximæ charitâtis, multæ pœnitentiæ, continuæ orationis, ubi à cælo plures suscepit favores. Erga Christi passionem, & Deiparæ devotionem fuit valde proclivis, ob quæ triginta explens ætatis annos in Priorissam electa est, cujus munus maximò cum cœnobii spirituali, & temporali proventu adimplevit: sed breviter consumpta est laboribus; & cum animam efflaret, quædam monialis ejus cubiculum ingrediens, vidit lucem magnam, & oculos allicientem, é corpore defunctæ resultantem, quæ visio sanctitâtis suæ famam confirmavit.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM OCTAVUM MARTII.

A S. Spes Abbas Nursiæ floruit sanctitâte, sub cujus disciplina claruerunt SS. Eutichius, Florentius. &c. Obiit Sancte hac die anno 513. De illo agunt D. Gregorius lib. 4. Dialog. c. 10. Acta SS. Henschenii hac die. fol. 717. & 23. Maii. Illum esse nostri Ordinis, patet ex N. Delcampo, qui in Cathalogo SS. asserit illius discipulos SS. Eutichium, & Florentium nostris pertinêre, & certe innegabile est, quia nulli alteri Religioni pôterunt pertinere; si non, appareat.

B. B. Paula Baptista a Mozucava diutius vixit in nostro cœnobio Ferrariensi sub disciplina N. Ven. Luciæ de Mascaronis, & postea anno 1456. simul cum S. Catharina Bononiensi, & BB. Joanna de Lambertinis, & Illuminata Bembo in cœnobium Bononiense Corporis Christi sub regula S. Francisci militans transiit, ubi relictis raræ sanctitâtis indiciis, hac die in cœlum migrâvit. De illa ex NN. agunt Herrera tom. 1. Alph. fol. 140. dum de B. Catharina, Joseph. a D. Antonio in suo Iman fol. 63. ex exteris Artur hac die in Martyrol. Francisc. fol. 120. Guarinus in

Histor. Ferrariensi, & Jodocus Grassetus in vita S. Catharinæ.

C. Ven. Vincentius Ferreira Lusitanus, cum Priorum ageret in cœnobio Villaviçosano, nota cum pietâte decessit hac die, anno 1640. N. Leal in m. f. lib. lit. c.

D. Ven. Andreas a S. Andrea Suessanus Sacerdos, vir multæ patientiæ, & virtutis: veneranda senectûte obiit Neapoli hac die anno 1432. sepultusque est in templo S. Mariæ Veritatis in Dominica Passionis. Agit de illo N. Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 9 n. 6. fol. 299.

E. Ven. Anna à Vega floruit in cœnobio Matricalensi mirabili sanctimonia, qua obiit hac die in die Palmarum anno 1627. nata est in oppido Fordesillas juxta Vallisoletum. De illa Agunt NN. Herrera tom. 2. Alph. Lit. M. de monast. fœminarum fol. 148. de Monast. Matricalensi, Portillo hac die tom. 1. fol. 187. Elss. Enc. fol. 65, & alij.

F. Ven. Augustina Ulloa in eodem cœnobio floruit sanctitâte. Portill. hac die in m. s. agit. de illa, sed annum, in quo obiit, non assignat.

G. Ven. Emmerentiana ab Ascensione, Valentiæ orta est ex Ferrando Ledesma, & Violante Borrul, in cœnobio Alchodii S. Sepulcri habitum suscepit die 4. Junii anno 1601. Inde ob virtutis specimen, ad Deniæ fundationem vocata est cum aliis, ubi summa cum pietâte obiit circa annum 1636. De illa agunt. NN. Villerinus tom. 3. lib. 36. tract. 25. 2. fol. 136. & lib. 37. tract. 2. fol. 161. Jorda tom. 2. lib. 5. c. 4. n. 1.

H. Ven. Josepha a Matre Dei Alchodii nata est ex Josepho Benevente, & Georgia Monllor, in eodem cœnobio Alchodii monialis facta, raro sanctitâtis odôre vitam terminavit hac die, anno 1613. ut de illa testantur NN. Viller; & Jorda ubi supr.

QUARTO KALENDAS APRILIS.

XXIX.

A In monasterio Luxoviensi depositio S. Eustasii Abbatis, & discipuli S. Columbani, qui ferme sexcentorum fuit Pater monachorum, & cum meritis, & miraculis claruisset egregiis, hac die humanam exuens caducitatem, ad incorruptibilem meruit conscendere coronam. *B.* In Hibernia transitus S. Furlaci confessoris, qui vitam traducens eremiticam, Sancte suæ vitæ curriculo finito, ad supéros hac die fertur decessisse. *C.* Treviris natalis S. Fridiburgæ Virginis, quæ a dæmone per N. S. Gallum liberata, contemnensque regales nuptias, ab ipso S. Gallo monialis facta est in cœnobio S. Petri, ubi postea in Abbatissam electa, & prudenter régimen exercens, in pace quievit. *D.* In Monte Romarico memoria S. Cœciliæ filiæ N. S. Romarici, quæ monialis facta, sancte hac die denâta est. *E.* Ravennæ natalis B. Antonii Ravennæ viri raræ sanctitâtis; pudicitiam usque ad extremam vitæ periodum custodivit; vînum, & carnes, tanquam Véneris incitamenta abhorrebat: multis, & raris illustratus virtutibus, ad cœlestem coronam, quam suis in cœlo meritis fabrefecerat, felici exitu volavit. *F.* Galliæ in Provincia Guienensi triumphus glorioſus VV. Antonii Bonis, & Nicolai Nautonier martyrum, qui perversitatem Calvinistarum arguentes, ab illis comprehensi, postea decollati, & in frusta dissecti sunt. *G.* Messinæ in cœnobio Annuntiatæ depositio Ven. Aloysii de Jesu Maria inter Discalceatos Fratris Laici; qui bona sua prius pauperibus distribuens, ut Evangelii dictis obtemperaret, in Religione vixit rara obedientia, & fervida oratiône, in qua plures effundebat lacrymas. Suis verbis omnes ad Dei cultum, & amorem alliciebat. Fistula molestissima ob intensos dolores laborans, illam, & illos patienter toleravit; quo tempore per Fratres observatum est, passeres plures ad fenestram cubiculi illius advenire, qui vibrissatione sua ægrotum dulciter allevabant. Fratribus illum solantibus dicebat: nil de mea infirmitate loquamini,

sed

sed de Dei duntaxat pulchritudine, & paradiso. Tandem satis in ægritudinis camino depuratus, ad justorum sedes pie creditur transvolasse. *H.* Olyssipone in cœnobio S. Monicæ defunctio Ven. Catharinæ a Sepulcro ibidem monialis, raræ humilitatis, abstinentiæ, charitatis, & fervidæ orationis, ob quas, & alias virtutes nomen Sanctæ adepta est, in quibus usque ac obitum perseverans, summa cum opinione decessit, quo tempore lux magna ex ejus cubiculo visa est ascendere in cælum, pluribus videntibus, & stupentibus, qui aderant; quo cognito nostræ Moniales cœnobii Conimbricensis S. Annæ illius exequias debita cum solemnitate celebrarunt, quibus finitis inventa est cera ultra quatuor metretas excrevisse. *I.* In cœnobio Arenarum S. Joannis Baptistæ transmigratio Ven. Agnetis a SS. Sacramento ibi monialis, quæ in societate Ven. Elisabethæ de Jesu, cujus fuit a secretis, valde in virtute profecit. Claruit charitate, & conformitate erga Dei dispositiones: in paupertate, & obedientia fuit singularis: erga Christi passionem fuit devotissima: incredibilis fuit in ægritudinibus patientiæ. Summa cum pietate decessit hac die; in cujus obitu cælestes sunt auditi concentus, & anima ipsius, Christo, & multis cœlicolum comitantibus, in cœlum visa est conscendere.

COMMENTARIA.

AD DIEM VIGESIMUM NONUM MARTII.

A. S. Eustasius, seu Anastasius, ut ait Causinus, ortus ex gente Burgundiorum, & genere claro, monachus, & Abbas fuit in cœnobio Luxovienſi sub S. Columbani disciplina, ubi sanctitate, & miraculis gloriosus, hac die in cœlum translatus est, anno *615*. Illum nostræ Religioni pertinere asserunt ex NN. Mayay. in Patriarch'; Delcampo in Cathalogo SS. Lit. E; Elss. in Encom. fol. 190, Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 166. Jacob. Font. in Viridario SS. Ord. in vita S. Bertrani die 24. Januar. fol. 354. & alii: ex exteris Causinus in Diario SS. & Henschen. in Actis SS. hac die. tom. 3. Martii fol. 784.

B. S. Furlacus Eremita floruit in Hibernia, ubi Sancte obiit hac die anno 755. Illum Noster Torelli tom. 3. fol. *189*. n. 5. probat nostri Ordinis extitisse.

C. S. Fridiburga ex nobilissimo orta genere, monialis facta est a N. S. Gallo in cœnobio Trevirensi S. Petri, ubi Abbatissam agens, sancte defuncta est hac die circa annum *650*. Acta SS. Henschen. hac die in prætermissis. de illa agunt. fol. *768*.

D. S. Cœcilia, Olim dicta, Clara Gegeberga, filia fuit N. S. Romarici', Comitis Austrasiæ, de quo 8. Decemb. à quo monialis facta est in cœnobio Montis Romarici, ubi postea in Abbatissam electa, rara sanctitatis opinione decessit, circa annum 630. Agunt de illa Menard. in *Appendice* 2. *Artur* a Monasterio, Henschenius in *Actis* SS. hac die in prætermissis.

E. B. Antonius Revenas in cœnobio Ravenatensi floruit sanctitate, & obiit anno 1391. De illo Agunt NN. Coriolan; Pamphil, Orosco, Roman Centur. 10. fol. 73. Herrera in Alph. fol. 10. Elss. in Encom. Lit. A. Torelli Centur. 3. c. 43. fol. 283. & in Sæculis tom. 6. fol. 295. n. 10.

F. VV. Antonius Bonis, & Nicolaus Nautonier in Gallia ab hæreticis passi sunt vitæ dispendium inter varia tormenta anno 1569. De illis agunt. NN. Simplicianus a S. Martino in vitis SS. Ordinis fol. 694 Portillo hac die tom. 1. fol. 597 Torelli tom. 8. fol. 521. num. 5. & in Centur. 5. c. 24. fol. 545. Elss. in Encom, fol. 70, & 515. *Arpe* tom. 1. SS. fol. 362. ubi cum Torelli asserit illorum martyrium die 5. Maii anno eodem, a 22. testibus testatum, successisse.

In illorum Laudem Epigramma.

En duo, qui Christi vestigia recta sequentes,
Ut cælum intrarent, non timuêre pati.
Vincula, scissuram capitum, carnisque tulêre:
Tot tamen has pœnas una corôna manet.

F. Ven. Aloyſius de Jeſu Maria ex Diœceſi Meſſinenſi, ibi inter Diſcalceatos in ſtatu Laicali habitum aſſumpſit in fine Februarii an. *1665.* & profeſſione ſe ligavit 2. Martii anno *1666.* & obiit ſancte in cœnobio Meſſinenſi Annunciatæ 29. Martii anno *1672.* & poſt illius óbitum accenſus eſt ignis magnus in domibus nobilium, & ſenatorum, velut ipſe antea prædixerat. Refert Fr. Joannes Bartholomæus Luſtro 17. fol. 464. num. 41.

G. Ven. Catharina a Sepulchro nobili genere nata, prima fuit ex duodecim primis virginibus, quæ in cœnobio S. M. Monicæ Olyſſiponenſi ſunt profeſſæ. Claruit charitâte, humilitâte, & abſtinentia: multæ fuit dédita oratióni. His, & aliis clara virtutibus, hac die in cœlum migravit anno *1612.* De illa agunt NN. Antonius a Purific. in Chronol. monaſtica fol. *169.* Leal. in m. ſ. fol. *161.* & *537.* ex exteris Georgius Cardoſo in Agiologio Luſitano hac die fol. *350*, & *354.*

In hoc cœnobio ſanctitate floruerunt Ven. Maria de Abranches cœnobii fundatrix, Hieronyma a Gratia, Eliſabeth a Plagis, Margaritta ab Angelis, quæ tres ex Eborenſi cœnobio ſunt profectæ, Magdalena a Plagis, prima profeſſa, & Prioriſſa, Philippa a S. Joanne hujus neptis, Maria de Jeſu, Catharina a S. Auguſtino, Joanna a Spiritu Sancto, Theodoſia a Trinitâte, Catharina a Sepulchro, Antonia a Columna, Maria ab Spe, Philippa de Jeſu, Anatalia de Jeſu, Anna a Purificatione, Beatrix a Matre Dei, Margaritta a S. Guilelmo, Barbara Evangeliſta &c. Vide Herr. tom. 2. fol. *561.*

H. Ven. Agnes a Sanctiſſimo Sacramento floruit ſanctitâte in cœnobio S. Joannis Baptiſtæ de Arenas, & obiit die 29. Martii an. *1657.* Refert N. Viller. tom. *1.* lib. *9.* tract. *3.* fol. *406.*

TERTIO KALENDAS APRILIS

XXX.

A. Genêvæ in territorio Lauſanenſi tranſitus B. Amadei Primi Sabaudiæ Ducis, qui pro Chriſti amóre ſuo filio Ludovico relinquens principatum, Eremiticam vitam duxit ſub regula S. P. Auguſtini in cœnobio S. Mauritii, quod in eremo Ripalliæ Diœceſis Genevenſis idem fundárat, ubi Sancte degens, & abſens a Concilio Baſileenſi, abdicato Eugenio IV, Summus Pontifex electus, & Felix Quintus dictus eſt; & in loco ſuæ profeſſionis coronatus eſt; eremitico habitu exutus. Sed poſtea ſolicitante Nicolao Quinto, rogatu Friderici Tertii Imperatoris, Pontificatum dimittens, creatus eſt Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, & Cardinalium Decânus, & perpetuus Germaniæ Legatus, & Vicarius Generalis; cumque eximia dégeret ſanctitâte, multis illuſtris miraculis, hac die ad ſuperos aſcendiſſe refertur. *B.* In Cœnobio Valentino de Succurſu depoſitio Ven. Petri Ramos Luſitani, qui in Valentiam profectus, ibi Auguſtinianæ militiæ nomen dedit, & ſtatim per viam virtûtis incedens, raræ humilitâtis, orationis, ſolitudinis, abſtinentiæ radiis cæpit coruſcare. Tantæ erga pauperes, & ægrotos fuit charitâtis, ut nozocomia frequenter petens, ad illorum levamen, quod neceſſe erat, faciebat. In chori aſſiſtentia fuit mirandus: ante Miſſæ celebrationem integram per horam orationi vacabat, in qua extaſes habuit nonnullas e terra elevatus. Claruit erga D. Joannem Chriſoſtomum devotiône, & caputium extrahebat, illius nomen audiens articulari, dicens: bene venias, mi Pater; & cum in Miſſa tertia oratio ad libitum dicebatur, erat ſemper oratio S. Chriſoſtomi. Tanta degebat paupertâte, ut in cubiculo duntaxat haberet Crucifixi imaginem, lectulum pauperrimum, in quo ſemper veſtibus indutus recubuit. Denis ante diebus, vitæ ſuæ terminum adeſſe cœlitus agnovit; & tandem ſeptuagenario maior, relictis multis ſanctitâtis indiciis, hac die culpæ primævæ debitum ſatisfecit. *C.* In territorio Romano óbitus Ven. Petri a S. Georgio laici Excalceatorum Italiæ,

liæ, qui forte cum Ven. Fr. Fulgentio de Spiritu Sancto Eliemosynas péteret, morte præoccupatus est hac die, & post decem dies locium suum ad cælestia regna vocavit. *D.* Barchinone in cœnobio Ordinis natalis Ven. Augustini Hospitalis, qui mundi fallacias, & sæculi blandimenta fugiens, Religionem amplexus est sub statu Laicali, & statim pœnitentiæ rigorem est secutus, disciplinis se taliter cruentabat, ut proprio cruore, cum in communi vapularet, sodalium tunicas cruentaret. Cilicio ferreo, & jeuniis continuis carnem domabat, taliter, ut à Prælatis, & confessariis rigorem mitigare cogeretur. Tanta illi erat in visu modestia, ut nullus illius oculos aspexisse jactaretur. Solum ex auditu Fratrum in cœnobio cubicula esse agnoscebat; duntaxat enim chorum, suam cellam, & infirmariam agnoscebat. Erga pauperes, & ægrotos fuit mirabilis charitâtis. Vota sua amussim adimplevit. Puritatem usque ad ultimam spiritus exhalationem observavit. Tantæ orationis fuit, ut ingenibus callos nutriret rigidissimos: continue in Christi meditabatur passiône. In patientia laborum, & infirmitatum fuit singularis. Donec plus meritis, quam annis, confectus, relinquens ingentis sanctimoniæ clara testimonia, in Christi amplexu, hac die è carnis ergastulo liberatus est. *E.* In eodem Barchinonensi cœnobio natalis Ven. Fratricisci Prosperi Campins Fratris laici, qui viam sequens virtutis, fulsit oratiône, pœnitentia, humilitâte, patientia, & rara erga infirmos charitâte; quas inter virtutes hac etiam die à Deo, qui virtutum optimum est præmium, vocâtus est. *F.* In Gallia in cœnobio Diorensi Ursulinarum obitus Ven. Annæ a S. Sebastiano, quæ ita in Deum absorpta degebat, ut in contemplatiône cujuslibet Psalmi, vel perquinque, vel sex, & ultra menses detinerêtur, ad intelligentiam enim scripturarum excellens à Deo lumen accepit. Septennio in honorem Deiparæ votum promisit castitâtis. Erga D. Evangelistam Dilectum fuit devotissima, quem sibi elegit patronum, & a quo juxta sui placitum plura nacta est, & ab ipso de obitu præmônita, visione convivii ossium, luminis, & splendidæ stellæ supra oratorium, & ante obitum visitâta à Deipara, ipsam in labiis cœlesti liquôre irrigante, hac die ad Sponsi cælestis nuptias meruit proclamari. *G.* In Oppido Xativæ regni Valentiæ defunctio Ven. Claræ Andrés, quæ nuptias a parentibus sibi paratas constanter ac repellens, inter Mantellatas Ordinis professionem emisit in manibus Ven. Prioris Augustini Antonii Paschalis, & extunc sub disciplina tanti Patris cunctis in gradu heroico claruit virtutibus, præcipue pœnitentia, humilitâte, simplicitâte, & cæteris aliis, quibus satis exornâta, die Véneris Sancto, hora post meridiem tertia, in qua Christus in cruce expirâvit, etiam illa expirâvit.

COMMENTARIA

AD DIEM TRIGESIMUM MARTIJ.

A. B. Amadeus Allobrox hujus nominis Octavus, & primus Dux Sabaudiæ, institutione Sigismundi Imperatoris anno 1397. matrimonium contraxit cum Maria Burgundica, filia Philippi Burgundiæ Ducis, & ex illa genuit Ludovicum, Mariam Mediolani Duciſſam, Margarittam Siciliæ Reginam: post ducatum Ludovico primogenito renuncians, in Ripaliæ Eremo, vitam Eremiticam, cœlibem, & solitariam duxit sub regula S. P. Augustini cum decem aliis nobilibus in monasterio à se constructo, ubi tali sanctitâte vixit, ut à Concilio Basilienſi, abdicato Eugenio Quarto, Summus Pontifex eligeretur per tres, & triginta vocales, qui fuerant, ut refert Ciaconius tom. 2. fol. 1164. Ludovicus Gallus Præsbiter Cardinalis S. Cœciliæ concilii Præses, & legatus, Guilelmus Gallus Episcopus Vercellensis, Georgius ex Marchionibus Salusii Episcopus Augustanus, Joannes Episcopus Eporedienſis, Ludovicus Episcopus Augustæ Prætoriæ Taurinorum, Fr. Aleranus de Carreca Genuensis Abbas S. Benigni Fructuarienſis, Fr. Jacobus de Seguzia Abbas S. Benedicti, Fr. Joannes de Monte Comito, Decretorum Doctor, Fr. Bartholomæus de Provanis præceptor domus S. Antonii de Calvasio: hi fuerant Italiæ electores; Galliæ verò fuêre Joannes Arsius de Artus Gallus Archiep. Tarentarienſis,

rentarienſis, Franciſcus Epiſc. Gebenenſis, Bernardus Epiſc. Aquenſis, Fr. Raymundus Abbas Conchenſis, Nicolaus Theobouthi Northmandrus, Joannes do Valle Brito, Thomas Corcellus Canonicus Ambianenſis, Guilelmus Hugonis de Stugno Archidiaconus Metenſis. Electores Germaniæ. Fridericus Epiſc. Baſilienſis, Fr. Chunradus Abbas Ciſtercienſis, Fr. Thomas de Donduno Ciſtercienſis, Derzelaus Polonus Archidiaconus Cracoviæ, Joannes Wiler Decanus Baſileæ, Henricus Judæus Colonicenſis, Jacob Saltzburgenſis Canonicus Ratiſponæ, Chriſtianus de Gretz Olmucenſis Diœceſis. Electores ex Hiſpania Otho Epiſc. Dertuſenſis, Georgius Epiſc. Vicenſis, Ludovicus Portugallenſis Epiſc. Viſenſis, Fr. Petrus à S. Cucuphate, Bernardus Bruſco Canonicus Ilerdenſis, Fr. Antonius Abbas Erularum Elvienſis Diœceſis, Joannes de Villa Vezzola Segobienſis Archidiaconus Ovetenſis, Raymundus Allioli Canonicus Teraſonenſis.

Electus eſt ergo Pontifex Nonis Novemb, & coronatus die 7. Decemb. an. 1439. Creavit 23. Cardinales Præsbiteros, & unum Diaconum. Cum ergo B. Amadeus ſediſſet annos 9. menſes 6. dies 7. attamen cognito errore anno 1449. die 11. Maii, precibus Imperatoris Friderici Tertii ad id à Nicolao 5. ſolicitati permotus, Papatum ſponte depoſuit, & Nicolao quinto renuntiavit, à quo in tertia Cardinalium creatiône Romæ 14 Kalend. Januarii an. 1449. creatus eſt S. R. E Cardinalis, Epiſcopus Sabinenſis, & Cardinalium Decanus, & perpetuus Germaniæ Legatus, & Vicarius Generalis. Obiit tandem virtûtibus, & miraculis clarus, vel 7. Januar, ut alii dicunt, vel 30. Martii, ut plures aſſerunt anno, ut communiter dicitur cum N. Onuphrio, & Ciaconnio, 1452, vel, ut tenet N. Roman Centur. 11. fol. 87. anno, 1455.

His præjactis licet inquirere, cujus inſtituti fuerit B. Amadeus! video enim illum ſeptem ordines ſibi vendicare; eſt alter Homerus, quem ſeptem urbes ſui alumnum fuiſſe contendebant, ut teſtatur Cicero pro Archia apud N. Calep. V. Homerus. Cum ergo etiam B. Amadeus alter eſſet Homerus, id eſt homo aureus, non ſolum quia Dux, & dives fuerat, ſed etiam, quia dum in Religione vixit, Crucem auream in pectore geſtabat; ideo vendicatur à ſeptem ordinibus, ſcilicet Auguſtinianis, Benedictinis, Canonicis, Ciſtercienſibus, Carmelitanis, Franciſcanis, Mauritianis. Sed ſi nemo poteſt duobus Dominis ſervire, quomodo poteſt quis tantis pertinere! Dicam tamen duntaxat Auguſtinianis pertinêre. Rem me decet probare, & primo probatur ex verbis Concilii Baſilienſis ſeſſ. 39, & 40.

Cum magna devotione ſeptem diebus inſiſtentes quinque ſcrutinia ſucceſſive de mane diverſis diebus, celebrata Miſſa, & invocata Spiritus Sancti Gratia, peregerunt: & tandem facto quinto ſcrutinio compertum eſt Religioſum, & nobilem virum Amadeum Ducem Sabaudiæ in ſolitudine Ripaliæ Gebenenſis Diœceſis jam à pluribus annis virtûte continentiæ honeſte converſantem, & virtutum Domino in ſpiritu humilitatis, ac ſimplici, & humili habitu deſervientem, in Summum Pontificem univerſalis, & Romanæ Eccleſiæ eſſe electum juxta præfati decreti noſtri 37. ſeſſ. diſpoſitionem: &c. quo vocari vellet nomine interrogatus, Felix nomen ſibi duxit eligendum: Chlamyde, & Caputio, quibus tunc utebatur, depoſitis &c. ipſe Cardinalis, aliique Epiſcopi &c. in proceſſione ſolemni cruce præcedente more Papali, ut décuit, ad Eccleſiam S. Mauritii Ordinis S. Auguſtini in dicta ſolitudine conſtitutam proceſſerunt. &c.

Unde conſtat B. Amadeum uti caputio deponendo, quod nulli alteri ex ordinibus competit: deinde à concilio aſſeritur, ductum fuiſſe ad cœnobium Ord. S. Aug. ſed pro Ordine S. Aug. intelligitur ſimplicitur ordo Eremitarum S. Auguſtini, ut late probat N. Leal Purific. 5. Examine 11. fol. 535. ergo.

Secundo probatur ex illo Elogio adducto à N. Illuſtriſſimo. Joſepho Sicardo in vita S. Nicolai de Tolentino cap. 19. facto à Mauritio Sabaudiæ Principe ad Sepulchrum B. Amadei, quod eſt, ut ſequitur.

Amadeus Sabaudiæ,

Nomine ſeptimus, ſucceſſione decimus tertius, Ducatu Primus, Ter maximus,

In

In pueríli innocentia, juvenili conjugio, ſenili cælibatu;
Ter pius.
Cum filiis, cum ſubditis, cum vicinis,
Ter pacificus,
In Ducatu, Pontificatu, Legatione,
Ter juſtus
Suorum, exterorum, conciliorum acclamatione,
Ter Salomon,
In eremi cultu, ab eremi exaltatione, ad eremum in reditu,
Ter Felix,
Vita, obitu, & miraculis,
Ter Sanctus,
Cum in Auguſtiniani Tyrocinii Carinianenſis
Secretiôre delubro ad vivum expictus
In memorabili, ſed privata pietâte coleretur,
Mauritius Princeps Sabaudiæ
Ad maiorem Dei gloriam, pópuli Religionem,
Regiæ ſtirpis decus, ad propriam denique, quam ſemper ei præſtitit, venerationem, imaginem hanc ab illó ex
culptam publice collocavit
anno Domini 1636.

Tertio probatur ex imaginibus B. Amadei, quæ publice circumferuntur, quarum una in mea poteſtâte eſt, illum demonſtrans habitu Eremitico, & inſigniis Cardinalitiis, & Pontificis tiara ad pedes exiſtente cum hoc lemmate.

B. Amadeus Dux Sabaudiæ, Princeps Pedemontis &c. in eremitorio Ripaliæ Ord. S. Auguſtini vitam monaſticam profeſſus, à Concilio Baſileenſi in Pontificem Maximum fuit electus, ſed intelligens ſe ad hanc dignitatem non rite promotum, magnis lachrymis, ſumma cum humilitâte Nicolao V. verò Paſtori Pontificatum reſignavit: moritur anno 1463. coruſcans multis miraculis.

Quarto ex verbis Franciſci Malleti Canonici Lateranenſis in vita B. Amadei apud Henſchenium in Actis SS. die 30. Martii fol. 890. n. 76. ubi ait. Ut autem hic finem faciam de imaginibus, concludo cum iis, quas in Seiſſelenſi villa, temploque S. Auguſtini indigenæ poſſident, non ſolum antiquam unam in choro, ſed & alteram in capella eo magis dignam hic referri, quod circum eam, ſtupenda exprimantur miracula ad invocationem B. Amadei patrata circa varios é carceribus eductos, & aliis calamitatibus preſſos, & ſigillatim circa puerum reſuſcitatum à morte, qui infelici caſu lapſus ex alto, in acutum ſe palum induxerat; & expiravit: &c. ſi ergo eſt illius imago in noſtro cœnobio á tempore antiquo, quis adhuc dubitabit, noſtris non pertinêre?

Quinto ex verbis Ænææ Sylvii, qui, dum de Coronat. Felicis ait. In Ripaliæ eremo, relicto principatu, ceſſiſſe cum viris Equeſtris ordinis, qui ſecum penulam, & baculum, ut moris eſt Eremitis, aſſumpſerunt: & infra. Cuncti penulam, & pallium, & cingulum, & baculum retortum, quibus uti videmus, aſſumpſerunt. Cum ergo eſſent in Eremo cum baculo, & cingulo, quæ ſunt noſtri ordinis inſignia, certe colligitur, alteri non Ordini pertinêre, ſed duntaxat noſtro.

Nobiſcum ſentiunt ex NN. Roman Centur. 11. fol. 79. Bernard. Navarro in vita S. Nicolai de Tolentino cap. 5. Torelli tom. 6. fol. 636. an. 1434. n. 31, & in Centur. 3. c. 80. fol. 325, Cruſén, in Chron. Sicard. in vita S. Nicolai ubi ſup. Ribera in vita S.P. Aug. lib. 5. c. 22. fol. 453. Jacob. Font. in Viridario SS. die 7. Januar. fol. 164, Gandulfus de Cardinalibus; Petrus del Campo in Cathalogo SS. Hiſpali impreſſo anno 1624; Elſ. Lit A; & plures alii: ex exteris Ciaconius tom. 2. fol. 1164, Paulus Emilius Veron. de rebus Francorum lib. 10, Robertus Gaginus lib. 10. Hiſt. Gallicæ in vita Caroli Septimi, Guilelmus Burlus in notitia Pontificum, qui fol. 248. dum de Eugenio IV. ait. de B. Amadeo. In Concilio Baſileenſi electus eſt Amadeus Dux Sabaudiæ, qui Ducatu in filium ſuum primo genitum translato, vitam eremitam ſubregula S. Auguſtini cum decem ejuſ-

dem propoſiti nobilibus in ſolitudine ducebat. Id ipſum aſſerit fol. 343. ubi ait. Eremitæ Auguſtiniani ſuis aſcribunt S. Auguſtini diſcipulum Gelaſium primum, & Amadeum é Duce Sabaudiæ humilem in ſolitudine Eremitam factum. Henſchenius in Actis S. die 30. Martii, fol. 874. ait. Amadeum nomine dictum pacificum, cum rerum humanarum cepiſſet faſtidium, translatis in Ludovicum filium provinciarum regendarum curis, humilem Eremitam, Deoque, & ſibi vacantem in Ripalienſi receſſu, quem anno 1430 fundarat Auguſtinianis, vidit, & admiratus eſt Orbis. Ita aſſerunt plures alii.

Reſtat modo ſatisfacere dubiis noſtrorum Joannis Marques c. 7. §. 3. fol. 108, & Herreræ in Reſponſ. Pacifica ad §. 5. Apolog; & tom. 1. Alph. Lit. A. fol. 13. & primum eſt, quod NN. Coriolanus, & Bergomenſis illius temporis id non aſſerunt, cum aſſerant minutiora: 2. quia inſigniebatur Cruce aurea in pectore, tanquam ſui Ordinis diſtinctivo: 3. quia Amadeus in teſtamento ſuo fundavit monaſterium Canonicorum Regularium, prope quod ſeptem domos contiguas ædificavit, ut facilem ad dictum monaſterium acceſſum haberet pro Miſſis, & horis Canonicis audiendis: ergo magis Canonicis, quam Eremitis videtur pertinêre. En ſcrupuli NN. Marques, & Herreræ. Ad primum dico, quod Licet Coriolanus, & Bergom. id expreſſe non aſſerant, adminus id aſſerunt implicite, dum dicánt vitam ibi egiſſe Eremiticam; eſt enim noſtris ſpeciale per Eremitas intelligi. Ad 2. dicitur, crucem auream in pectore non eſſe diſtinctivum eſſentiale, ſed accidentale, quia etiam Laici Dominicani utentes Scapulario nigro non conſtituunt Ordinem à Sacerdotibus diverſum. Ad 3. dico cum N. Jacobo Font. ubi ſupra, B. Amadeum anno 1429 fundaſſe noſtris Eccleſiam S. Sebaſtiani prope Caſtellum dictum Tonon, & anno ſequenti perfeciſſe cœnobium S. Mauritii in Ripalia, olim inceptum ab Umberto Principe Sabaudiæ notho, & Sacratum fuiſſe die 21. Octob. ejuſdem anni, quod cœnobium noſtris conceſſum eſt à Joanne 23 per Bullam editam die 3. Junii an. 1410. & poſtea ſacratum fuit anno 1412. per Guilelmum Charan Epiſcopum Lauſaniæ, & ad illud, adhuc vivente conjuge, B. Amadeus frequenter ibat, & ibi poſtea vixit: & licet prope Canonicos viveret, non ſequitur illis pertinêre, primo, quia etiam S. Julianus, qui poſt extitit Epiſcopus Conchenſis, vixit diutius prope noſtrum cœnobium Burgenſe, ut aſſerit N. Herrer. tom. 1. de cœnobio Burg. fol. 117, & tamen nobis non pertinêre dicitur: 2. quia, ut conſtat. exteſtamento B. Amadei, & aſſerit N. Torelli ubi ſupra, ſolum utebatur Canonicis tanquam Capellanis, & ſervitoribus, ut ibi dicitur ſic: Ita quod Abbas, & Canonici ipſius monaſterii ſint in ſpiritualibus Miniſtri, & ſervitores militum prædictorum. Et Licet B. Amadeus cœnobium Canonicorum prope fundaverit, non ſequitur illis pertinêre, quia etiam Blanca Luſitaniæ Infans, & Abbatiſſa monialium Burgenſium delas Huelgas Ordinis Ciſtercienſis ampliorem fecit an. 1267. noſtrum Conventum Burgenſem, ut refert N. Herrera tom. 1. Alph. fol. 118, & dicitur in Hiſtoria S. Crucifixi Burgenſis fol. 11. & tamen non dicimus illam noſtri Ordinis fuiſſe. Idem dicimus de Cardinali Guilelmo de Eſtoutevilla Ord. S. Benedicti, qui à fundamentis ædificavit noſtram Eccleſiam Romanam, & multis auxit redditibus, & ditiſſimis ſupellectibus, nec ex hoc pertinet noſtratibus.

Quantum ad Benedictinos, Ciſtercienſes, & Mauricianos aſſerentes eſſe ſui Ordinis, ſub cujus regula Ordo S. Mauritii militat; facile reſpondetur, verum eſſe Ordinem S. Mauritii inſtitutum fuiſſe à Philiberto Emmanuele, & confirmatum fuiſſe à Gregorio 13, & eſſe valde poſteriorem B. Amadeo, qui ſolum ex devotione ſuos ſodales nuncupavit S. Mauritii milites.

Nonnulli aſſerunt Franciſcanis pertinêre, inter quos ſunt P. Wadingus, & Petrus Mexia in ſuis Cæſaribus; quorum fortaſſis fundamenta ſunt, quia B. Amadeus pallio aquiteo uſus eſt: vel quia imago B. Amadei extat in cœnobio S. Franciſci Mondovienſium juxta imaginem S. Antonii Patavini. His tamens facilis eſt reſponſio: quia dato, quod aquiteo colore B. Amadeus uteretur, non ideo ſequitur Minoritis pertinêre, quia etiam ſimili in habitu colóre uſus eſt N. B. Joannes Bonus, ut refert. N. Nicolaus Barianus Italus Theologus, & Canoniſta egregius in cauſa Vitaliana de Præcedentia Eremitarum, & Minorum, Cremonæ anno 1500, ubi ait: Ego vidi, & tétigi cappam B. Joannis Boni, quæ griſei coloris eſt, qualis ſcilicet coloris nunc eſt habitus ipſorum Minorum, & plurimi fidedigni

dedigni mihi retulerunt, se vidisse in Conventu nostro Mantuæ instrumentum publicum professionis, quam emisit ipse B. Franciscus in manibus præfati B. Joannis Boni. & N. Marques affirmat, vidisse particulam ejusdem cappæ, quam ex Italia Mu Ludovicus de Angelis in Hispaniam detulerat; & tamen quis dicet, illum Minoritam fuisse? Ergo similiter in casu. Quantum ad imaginem B. Amadei in dicto Minorum cœnobio repertam, dico cum Francisco Maleti Lateran. Canonico apud Henschen. die 30. Martii fol. 890. n. 76, etiam inter ipsas imagines reperiri imaginem S. Nicolai de Tolentino nostri Ordinis; quin ex hoc æquatur Minoritis pertinere. Sicut etiam reperitur in Ecclesiis urbis Vercellensis Carmelitarum, & Dominicanorum cum S. Petro martyre, & apud Carthusianos Avignianæ, ut ipse Author refert ubi supra; & inde non colligitur talibus Ordinibus pertinere: ergo similiter.

Quantum ad Carmelitas nescio, quo fundamento sibi vendicant B. Amadeum: forte par illius erit, quo cum suo Lezana tom. 2. Annalium Carmelitanorum apud N. Torelli tom. 1. anno 375. fol. 96. n. 115. asserunt M. P. Augustinum & S. Simplicianum prius fuisse Elianos. Remanet ergo concludendum B. Amadeum solum Augustinianis pertinere.

Epigramma ad B. Amadeum.

Debueram Papa esse, fui; me vincere, vici,
Tollere schisma tuli, ponere, deposui.

Aliud.

Princeps, Dux, Monachus, mox Papa, & Cardine sanctus
Unicus ipse fui: cur? Ad ea ipse fui.
Amadeus anagrammate puro valet: Ad ea sum.

Epitaphium B. Amadei.

Claudor in hoc tumulo, qui Princeps Imperialis
Dux Amadeus eram, quem dedit alta domus,
Regis Alexandri Saxonia prole creâta,
Imperii próceres hinc mihi duxit avos.
Sacra dies Paschæ quarta celebrata Kalendas
Aprilis mitis prima recondit eum.
Hic pietâtis honor, pacis divinus amator,
Pauperibusque Pater largior ille fuit.
Mille quatercentum cum Septuaginta duobus
Annum pangebant, dum petit ille polum.

B. Ven. Petrus Ramos Lusitanus, qui postquam in Lixbonensi cœnobio per professionem nomen daret, in Provinciam Valentiæ profectus, ibi ter electus est Prior cœnobii Valentini, prima vice anno 1559. usque ad 1561, & post anno 1567, & an. 1577. Fuit vir mirabilis sanctitâtis, & æternæ memoriæ dignus, ibi óbiit sancte die 30. Martii an. 1579. De illo agunt maximo cum honore NN. Herrera tom. 2. Alph. fol. 534; Elss. in Encom. Lit. P. Portillo tomo 1. fol. 398 N. Jorda tom. 2. lib. 3. c. 9. fol. 34. n. 18, & fol. 36. n. 21, Arpe tom. 1. Diarii fol. 168, Leal in m. s. fol. 162: ex exteris Georgius Cardoso in Agiolos. Lusit. hac die fol. 360. Videâtur N. Josephus à D. Antonio tom. 1. Floris SS. fol. 718, & Torelli Centur. 5. c. 61. fol. 589.

C. Ven. Petrus à S. Georgio Laicus Excalceatorum Italiæ professionem emisit die 2. Julii an. 1601: Obiit pie anno 1602. hac die. De illo agunt NN. Herrera tom. 2. fol. 253; Elss. in Encom. Lit. P. fol. 569, Torel. Centur. 6. c. 12. fol. 654, Portillo in m. s.

D. Ven. Augustinus Hospitalis ortum habuit in oppido Vallebrera Diœcesis Solsonensis ex Antonio Hospitali, & Agnete. Adhuc in domo paterna viam sequebatur virtûtis, sed cum ácriter à dæmone in pudicitia tentaretur, cœnobium petiit Barchinonense, ubi admissus, professionem emisit 8. Julii an. 1687, & inter raræ vivens exercitia sanctitâtis, pie humanum plasma deposuit hac die anno 1690 ætatis

25, & Religionis trium annorum, & mensium 4. Agit. de illo N. Jorda tom. 3. Hist. Cathalauniæ lib. 2. c. 17. fol. 401. n. 1.

E. Ven. Franciscus Prosper Campins, in lucem prodiit in oppido Vilassar Diœcesis Barchinonensis, in cœnobio Barchinonensi habitum induit die 1. Junii an. 1679. Multis exonartus virtûtibus, adhuc in tyrocinio, animam tradidit Creatori hac die, & anno 1690, post decem Religionis menses. Jorda ubi supra fol. 403. n. 6. agit de illo.

F. Ven. Anna à S. Sebastiano, quæ in sæculo dicta est Anna Simone de Rovelle, inter Ursulinas Dionenses vixit, & obiit claris sanctitâtis indiciis hac die anno 1640. Ex Chronico Ursulinarum fol. 103.

G. Ven. Clara Andrea Xativæ orta est ex Josepho Andrea, & Damiana Ferrer, quæ & si a parentibus adnuptias contrahendas sæpius tentaretur, illa tamen constans in proposito, pudicitiam statuit servâre. Ut melius propositum adimpleret, habitu Mantellatârum Ordinis suscepit, annoque 1661. die 26, Julii prtfessionem emisit in manibus Ven. Augustini Paschalis, tunc cœnobii Xativensis Prioris: cumque virtûtum omnium splendoribus coruscâret, non sine sanctitâtis indiciis, pie hac die decessit anno 1668 die Veneris Sancto, tribus horis pomeridianis, hora videlicet, qua Christus in Cruce expiravit. Agunt de illa NN. Jorda tom. 2. lib. 4. c. 44. fol. 225, Josephus à D. Antonio in suo Iman spirituâli fol. 91. n. 78.

Epigramma in ejus laudem.

Clara, locum Sanctas Heróidas inter habebis;
Extiteras méritis nam bene Clara tuis.
Si mihi non tenûes ésient ad carmína vires,
Non essent méritis illa minôra tuis.
Quidquid ego pótero, quidquid mea Musa valebit,
Carminibus vives non sine laude meis.

PRIDIE KALENDAS APRILIS.

XXXI.

A. Emèritæ in véteri Lusitania depositio S. Renovati monachi in Cauliano cœnobio, ubi cum sapientia, prudentia, & evidenti sanctitâte coruscaret, ad ejusdem sedis Cathedram Archiepiscopalem evectus est post óbitum Innocentii Emeritensis Præsulis: cumque suum munus Sanctissime adimpleret, felici fato defunctus est hac die, cujus anima sanctis comitâta Angelis in cælum ascéndére visa est. Corpus ipsius in cœnobio suo monasterii S. Eulaliæ sepultum est, ubi olim plures variis oppressi Languoribus sospitâtem suscépêre. *B.* Saxoniæ óbitus B. Hermani de Allis, viri integerrimæ puritâtis, quam a téneris Deiparæ vovit servatûrus. Ad amussim pœnitentiam, & oratiônem exercuit, licet à Sitana plures pateretur insidias, illum semper contusum, & confusum reliquit. In quadam extasi mirabili méruit à Deipara sapientiam accipere in calice aquæ propinâtam. Summa eloquentia, ut pote divinitus accepta, prædicabat. Plures languores, vel lectiône Evangelii, vel Crucis signo sanavit, dans scilicet cæcis visum, claudis gressum, & vinculâtis libertâtem. Tandem longa ægritûdine depuratus, non autem usque ad spiritus exhalationem horas omittendo Canonicas, hac die innumeris méritis, & prodigiis coruscans, ad súperos dotibus gloriosis ascendit coronandus. *C.* Hispaniæ in oppido Xaraizexo depositio Ven. Francisci a Cruce Excalceati, viri moribus integerrimi, & cultui Divino procliviori. Sacrista factus omni ornabat cura Deiparæ imagi-

nes,

nes, cujus erat devotissimus, & cujus præconia perenniter prædicabat. Etiam erga Evangelistam Dilectum claruit devotióne, cujus, ut póterat, imitator fuit, & illius laudes crebrius personábat. Jejuniis, & oratiónibus ad fidem Turcam reduxit contumacem, quem plurimi argutiis Philosophicis utentes, convertere non valvêre. Turcæ apparuit Deipara, jubens, ut in omnibus Ven. Francisco óbtemperaret, quod fecit, & baptisatus est. Tandem Ven. Franciscus sui óbitus horam, dieinque prædicens, morbo Lethali correptus, in quo tamen à B. Virgine est visitátus, & recreatus, ad cœli palatia, ut pie creditur, hac die meruit sublimari. *D.* Valentiæ in Hispania memoria Ven. Michaélis Fernandes Fratris Laici, magnarum virtútum viri; claruit enim silentio, & cœnobii clausura, nam per Quadraginta annos foras non est egressus, præter communitátes. Ad omnes in choro horas assistebat, ubi multæ oratióni vacabat. Claruit abstinentia, suam enim portionem paupéribus erogabat. Pœnitentiam servans, humi cubabat, asperis utebatur indumentis, multas in oratióne ex tales expertus est. Sexagenário major sancte decessit. *E.* In cœnobio Conceptionis Beniganim defunctio Ven. Dorotheæ de Jesu, quæ adhuc in sæculo ex librorum vitas sanctorum continentium lectióne ita in amóre Dei inflammata est, ut, cum altera habitum Capuccinorum portans, e domo parentum aufugeret, modum pro Christo moriendi quæsitura; à parentibus verò quæsita, & inventa est, sed statim clamavit, ut in cœnobio S. Ursulæ Valentiæ admissa foret; quod breviter nacta est, ubi taliter in Religionis fulsit observantia, ut breviter assumpta esset ad fundatiónem Beniganim, quam verbo, sed plus exemplo, firmavit. In omnibus mirifice virtútibus coruscavit, præcipue sui, & mundi contemptu, humilitate, pœnitentia, & charitáte erga infirmas, ob quam una illarum ob nauseam victum evomente, illum illa in os suum introducens sine nausea devoravit, ut sic facilius ægrotanti ad cibum sumendum induceret voluptátem. In oratióne fuit assidua, ubi à Deo plures accepit favores, nam in cellario tritici, & in cella vinaria vini pluries augmentum experta est, sicut etiam pecuniæ in depósito. Tandem variis morbis purgata, relicto raræ sanctitátis testimonio, hac die, exuit, ut immortalitátem inciperet, mortalitátem. *F.* In Gallia inter Ursulinas Issodunenses transitus Ven. Mariæ de Jesu, cujus oratio adeo fuit efficax, ut, cum terribile incendium fere totam urbem consúmeret, quin illud vis ulla posset extinguere, illa sola suis precibus ad Deum fusis valuit extinguere, sese in victimam offerens ad omnia mala perferenda. Tota erat ad devotiónes, & spiritualia exercitia intenta, interquæ hac die pie suo spiritum tradidit Creatori. *G.* Lucenæ in cœnobio S. Martini obitus Ven. Mariæ à Sanctissima Trinitate ibi monialis, quæ paternæ nobilitátis, & abundantiæ contemptrix, in dicto monasterio habitum assumpsit, & incipiens per viam virtútis incédere, hosti tartareo non parvam intulit simultatem, cæpit enim plures erga pudicitiam pati tentatiónes, & quadam nocte illam ádeo cecíderat, ut præ tumultu surgerent e cubitu moniales, & illam quasi moribundam, & dicentem, amicæ, accedite, me étenim vidi quasi in inferno summersam, reperirent. Floruit observantiæ zelo, humilitáte, charitáte, paupertáte, obedientia, pœnitentia; sese enim cilicio unius cubiti cingebat. Pluribus à Deo fuit favoribus recreáta: donec gravi febre correpta, ad requiem suis méritis méritam hac die migravit. *H.* Hac die Translatio Sanctorum Wandregisili, Vulfrani, Ansberti facta á S. Babino Episcopo apud cœnobium Fontanellæ in Ecclesia S. Petri. *I.* Eodem die Translatio S. Aldelmi Abbatis, & discipuli S. Adriani, facta hac die in meliorem, & decentiorem locum. *L.* Rothomagi Translatio S. Audoeni ejusdem civitátis Episcopi. *M.* Hac die memoria beneficii nostro Ordini facti ab Innocentio Quarto; concessit enim nostratibus juxta Breviarum Romanum recitáre; antea enim in Ordine recitabátur juxta normam à M. P. Augustino præstitam in tractatu de modo orandi, & psallendi, qui in pluribus erat similis Ambrosiano, & in aliis Benedictino.

COM-

COMMENTARIA.

AD DIEM TRIGESIMUM PRIMUM MARTII.

A. S. Renovâtus Abbas fuit in cœnobio Caulíano Emeritensi, unde, post mortem Innocentii Emeritensis Præsulis, ávulsus in ejus locum suffectus est, & cum Sanctissimé præesset, & prodesset ovili sibi tradito, sancte decessit hac die anno 633, sepultusque est cœnobio S. Eulaliæ. De illo ex exteris plures agunt; ex NN. Purific. in Chronolog. monastica fol. 126, & de Viris illustribus lib. 1. c. 8. fol. 12, & in Chron. tom. 1. fol. 243 Herrera tom. 1. fol. 154. de monast. Caulíano, & tom. 2. fol. 327. Ludovicus ab Angelis, Cornel. Lancillot. Elss. in Encom. fol. 601, Torelli Cent. 1. c. 65. fol. 95, & in Sæculis tom. 2. fol. 630, & alii plures, qui omnes asserunt illum nostro Ordini pertinére contra Cassinenses. Et quamvis id négare videatur hac die Henschensus in Actis SS. dicens: Fuerunt sub aliis regulis plurima monasteria, ut alibi sæpius dictum est, neque ulli jam dictorum Ordinum, scilicet Augustinensi, & Benedictini, ab antiquis scriptóribus attribuitur: tamen nihil ex dictis convincit erga nostrates, quia certum est, NN. SS. Donatum, & Nuntum in Hispaniam antea institútum Augustinianum invexisse; & S. Paulinum Emeritæ cœnobium Augustinianum fundasse, ut ait Liberatus in Chron. an. 403: unde non levi fundamento á nostris asseritur, tale cœnobium Caulianum á nostris fuisse possessum, & licet jam antea in Hispania alii Monachi fuissent, non séquitur nostros non existere; sed cum sufficientia appareant fundamenta ad nostram assertionem, cur illam non inconcusse sustinebimus?

B. B. Hermanus de Allis Saxoniæ floruit mirabili exornatus sanctitâte, & obiit miraculis clarus hac die, anno 1329. De illo agunt ex NN. B. Jordanns Saxo, qui illum cognovit, lib. 2. Vit. FF. c. 13, & 23; Anastasis, Dielman in ejus vita, Strambel, Bergomensis lib. 13, Crusen p. 3. c. 13, Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 330, Mayay. in Patriarch; Elssius in Encom. fol. 288; Orosco in Chron; Torelli in Centur. 2. c. 63. fol. 198, & in Sœculis tom. 5. fol. 454; Nativitas Monte 3. fol. 565 num. 14, Arpe in Diario SS. hac die fol. 169. Portillo tom. 1. SS. fol. 278.

C. Ven. Franciscus á Cruce Hispanus inter Discalceatos floruit sanctitáte, & obiit in Oppido Villævicioſæ hac die, anno 1598, in quo óbiit Philippus Tertius Hispaniárum Rex, sicut ipse multo ante sociis revelâverat. Refert. N. Fr. Andreas à S. Nicolao in Histor. Generali Ordin. Decada 2. fol. 383.

D. Ven. Michael. Fernandes Laicus in cœnobio Valentino rarum suæ sanctitátis reliquit testimonium, ut narrat. N. Portillo die 30. Martii.

E. Ven. Dorothea de Jesu Valentiæ orta est ex nobilibus parentibus: inter moniales S. Ursulæ Valentiæ nostri Ordinis admissa est: & inde exiit ad fundatiônem cœnobii Conceptionis Beniganin, ubi sancte decessit hac die anno 1648. ætat. 70. Agunt de illa NN. Villerin. tom. 3. lib. 39. tract. 2. §. 1. fol. 195, Jorda tom. 2. lib. 5. c. 12. fol. 151.

F. Ven. Maria de Jesu, seu Castre, claruit virtûtibus inter Ursulinas Isiodunenses Galliæ, ubi obiit hac die anno 1653. Refert Histor. Ursulin. fol. 81.

G. Ven. Maria à SS. Trinitáte orta est in Oppido Monturque in Hispania ex Francisco de Andrade, & Joanna Rico de Algava, habitum assumpsit in cœnobio monialium Lucenæ anno 1654. die 18. Augusti, ubi sancte decessit hac die an. 1667. Agit de illa N. Villerin tom. 2. lib. 32. Additione 6. fol. 443.

H. De Translatione horum SS. agit. Henschen. in Actis SS. hac die in Prætermissis. S. Wandregisilus colitur 22. Julii, 5. Vulfranus 20. Martii, S. Ansbertus 19. Februar.

I. De Translatione S. Aldelmi, de quo 25. Maii, agunt Henschen. in Actis SS. in 25. Maii, & N. Torelli tom. 3. n. 2. anno 709. fol. 108.

L. De Translatione S. Audoeni, dequo 24. Aug., agit Andreas Saussai in Martyrologio Gallico, & hac die fit memoria, inqua celebrata est.

M. Ab Innocentio Quarto hac die, anno

anno 1245. conceſſum eſt noſtræ Religioni Officium Romanum recitare, ut refert N. Roman in Centuria 9. ſed cum hoc in toto Ordine non obſervaretur, ideo in Capitulo Generali Florentiæ celebrato die 28. Februarii an. 1326, in quo Generalis creatus eſt B. Guilelmus de Cremona, decretum evulgatum eſt, ut in toto Ordine, ſicut dudum Romæ, Romanum recitaretur Officium. Refert N. Roman in Centur. 10. & N. B. Jordan. de Saxonia lib 2, ubi ait. Sedes Apoſtolica Officium Romanum Eccleſiaſticum Fratribus Eremitis agendum tradidit, ac per hoc á priori Officii per B. Auguſtinum primitus deſcripti obſervantia eos exemit: alias enim ſi Sedes Apoſtolica non interveniſſet, Fratres NN. adhuc ad illud Officium ex régula tenerentur.

Hæc adduxi ad confundendos blateratores, qui de noſtris antiquis Eremitis loquentes aſſerunt, nullum Officium Divinum recitaſſe. Sed audiant Alexandrum 4. in Bulla 6. in noſtro Bullario, ubi ait: Officium Divinum à vobis correctum ſtatuto Ordinis veſtri, juxta Eccleſiæ Romanæ morem celebrâre debetis. Videatur etiam Conſtitutio 2. Innocentii quarti fol. 65.

FINIS

Menſis Martius.

APRILIS.

KALENDAS APRILIS

I.

A. Dalmatiæ paſſio S. Venantii, qui natiône Gallus, monachiſmum amplexus eſt in cœnobio Agalienſi, & inde ob egregias virtûtes eductus Archipræſul Toletanus creatus eſt: poſt annos, aliquot in Dalmatia pro fidei veritâte martyrium perpeſſus eſt. *B.* In Ambianis depoſitio S. Waldolici Abbatis, qui diutius vixit in monaſterio Luxovienſi ſub diſciplina S. Columbani, ubi ob humilitátem hortulani exercens miniſterium, ſua virtûte ólera ultra modum creſcere faciebat ſine vermium detrimento. De licentia tamen S. Columbani cum Waldoleno in Ambianum perrexit, ubi aſpiciens quendam in patibulo mortuum, funè præciſo, & ſuper mortuum recumbens, illum ad vitam revocavit. S. Blitonundum paraliſi, & à dæmone ſanavit. Plures energumenos ab hoſte tartareo liberavit. Claruit prophetico ſpiritu, & cordium occultiora penetravit. Plures Crucis ſigno, & oris Saliva ſanitáti reſtituit. Ictus armorum, & fuſtium quorundam ſibi obſtrepentium, & calumniantium reddidit inanes. Turpia ante ipſum evomentes digno reddidit ſuppliçio punitos. Erat apud omnes benignus, lectulo ex virgis contexto utebatur, otium abhorrebat; nam vel oratiôni, vel lectióni, aut manuali óperi inſiſtebat. Apud egenos erat liberalis, quos ſæpius ſuis donabat indumentis. Aves ad ejus manus lætantes volabant, & inde eſcas ſibi appoſitas ab ipſo devorabant. Fratres delinquentes manſuetudine arguebat, dicens: Fili hoc cave, & tibimet ipſi attende, qualem, & quantam nunc pati póteras pœnam! Sed modo ad emendandum iſta tibi ſola ſufficiat verecundia, ut ulterius hoc vitium non admittas: & plus manſuetudine, quam ſeveritáte proficiebat. Donec præcognito ſui óbitus die, & loco ſignato, Virginitáte clarus, hac die corpoream ſarcinam deponens, ad gaudia volavit cæleſtia, & poſt obitum innumeris miraculis coruſcavit. *C.* Archis in Diœceſi Lamæcenſi óbitus S. Florentiæ Virginis, ibidem monialis, quæ Sanctimoniæ teſtimoniis clara, ad ſúperos deceſſit hac die coronanda. *D.* Apud Vallem Artini tranſitus B. Joannis Caſſinenſis, qui mutúi nugas deſpiciens, habitum in Caſſia induit eremiticum, & inde ad Vallem Artini profectus, vitam in terris egit Angelicam: & licet virtûtes, quibus abundabat, celaret, illas in óbitu, & poſt óbitum prodigiis manifeſtavit; nam diſſidio excitáto inter Caſſiæ, & Vallis Artini Cives, ubi illius corpus eſſet tumulandum, arbitrium ſuſcepére, ponendi corpus in curru per binos tauros portato, ut, quo corpus deferrent, illic ſepultum foret: tauri corpus portantes, Vallis Artini viam ſuſcepére, & Caſſiam petentes, ad noſtri cœnobii valvas ſtetére, ubi in arca decenti collocatum eſt, & quotannis ibi illi feſtum celebrâtur in Quarta feria hebdomadæ ſanctæ, & hac die, & in S. Joannis Baptiſtæ ſolemnitáte ſacrum Beati caput devotiôni populi exponitur. *E.* In civitâte Goenſi defunctio Ven. Eliſabethæ ab Angelis, monialis cœnobii S. Mónicæ, quæ, licet aliquando in Dei ſervitio non rectis incederet veſtigiis, tamen Pueri Jeſu ſibi apparentis, & inferni viſione, converſa, in Sanctis vitam poſtea ducens exercitiis, pie hac die animam efflavit.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM PRIMUM APRILIS.

A. S. Venantius floruit in cœnobio Agalienſi, ubi Abbas factus eſt ob virtûtis excellentiam; unde defuncto Exuperio Archipræſule Toletano anno 599, in ejus ſuffectus eſt locum, ubi cum ſancte floruiſſet, Dalmatiæ ſuo ſanguine Laureatus, in cœlum aſcendit hac die anno 607. Refert N. Jorda tom. 3. Hiſtor. Cathalaun. lib. 1. c. 6. fol. 262. num. 25.

B. S. Walericus Abbas ortus eſt in Provincia Auberniæ; primo floruit in cœnobio Ordinis fundato in Urbe Antiſiodorenſi á N. S. Germano, inde vixit in cœnobio Luxovienſi ſub. N. S. Columbano, & inde egrediens, Ambianum petiit, ubi ſanctitâte, & miraculis glorioſus, in Domino quievit, vel anno 619, ut ait Henſchen. in Actis SS. hac die, vel an. 638, ut ait N. Portillo. Quod autem hic Sanctus noſtrum fuerit amplexus inſtitutum, ſicut etiam S. Columbanus, clare patet, quia in cœnobio Luxovienſi Regula ſervabâtur Auguſtiniana, ut refert Ragembertus Abbas ejuſdem S. coævus in ejus vita allata ab Henſchenio, ubi cap. 2. n. 4. ait. B. Columbanus in Hiberniæ inſula ortus, his quidem in locis ferme ducentorum viginti, ut fertur, monachorum pater præerat cœnobio, in quibus nullus ſibi aliquid dicebat proprium, præter diurnos labores, nocturnaſque vigilias; omnibus enim omnia erant communia, unumque velle, & unum nolle, quibus cor unum, & anima erat in Deo. &c: quæ verba ſunt propria noſtræ regulæ, ut videri poſſunt in primordio regulæ. Aliqui aſſerunt in hac die obiiſſe, & 12. Decemb. ejus Translationem contigiſſe; alii e contra. Utrobique de illo, Deo dante, agendum eſt. De N. S. Walerico ex NN. agunt, Tabulæ Auguſtinianæ, Portillo tom. 2. fol. 3. Joſephus á D. Antonio in Florario SS. tom. 2. fol. 367, & alii.

C. S. Florentia virgo floruit in Diœceſi Lamæcenſi circa annum 588. De illa agit hac die N. Purific. in Chronol. monaſtic. fol. 44, & 1. p. Chronic. lib. 2. § 6. fol. 208.

D. B. Joannes de Caſſia, ibi natus eſt ex nobiliſſima proſapia, reiicto dominio Caſtri Clavani, Terzon, & Planetiæ, in noſtro Caſſiæ cœnobio nomen dedit, inde ad cœnobium Vallis Attini mutâtus, egregia ſanctitâte deceſſit anno 1366, prima die Aprilis, quæ fuit dies Mercurii in hebdomada Sancta, inqua quotannis ejus feſtivitas celebrâtur, & populo illius ſacratum caput exponitur. De illo agunt NN. Herrera tom. 1. Alph. fol. 380, Pamphil, Roman, Torelli Centur. 3. c. 22. fol. 264; & in ſæculis tom. 6. fol. 351, Elſſius in Encom. Lit. 1. fol. 405. Portillo hac die, Joſephus à D. Antonio in Florario SS fol. 1. tom. 2: ex exteris Jacobillus tom. 1. de SS. Umbriæ, ubi ait. B. Joannes Olim Caſtri Clavonis, Terſoni, & Planetiæ Dominus in vallibus Attini eremiticam vitam duxit, cujus anno 1550 die 24 Junii defuncti corpus, dum in confinibus Tergi verſaretur, nutu Dei a vitulis indomitis fuit huc adductum, id eſt, Caſſiam in Umbria, ad conventum Eremitarum S. Auguſtini, ubi ſub ejus imagine verba prædicta legi teſtatur. Item Acta SS. die 24. Junii in prætermiſſis de illo agunt. Ejus caput Caſſiæ in Eccleſia noſtra in Reliquiario cum aliis cuſtoditur reliquiis, & ſimul cum illis 24. Junii oſtenditur populo ad adorationem: & etiam poſt reformationem Breviarii ejus feſtum feria 4. maioris Hebdomadæ quotannis celebrâtur.

Non poſſumus non mirari; cur de hoc Beato Acta SS. non égerint mentionem, ſicut etiam de aliis: forte, ne Auguſtiniana familia illis valde debitrix cenſeatur.

E. Ven. Eliſabeth. ab Angelis Goæ orta eſt ex Antonio Velozo, & Catharina Borges, & ſacro abluta eſt Lavacro in Parochia D. N. de Roſario: in monaſterio S. Monicæ habitum ſuſcepit die 26. Nov. an. 1610, ubi inter pietâtis exercitia die 1. Aprilis animam efflavit anno 1619 ætat. 24. De illa agit N. Auguſtin. á S Maria Diſcalceatus in Hiſtor. Goenſi lib. 4. c. 32. fol. 767. a num. 531.

QUARTO NONAS APRILIS.

II.

A. Lugduni óbitus S. Niceti ejuſdem civitâtis Epiſcopi, qui cum prius in monaſterio Jurenſi monachiſmum amplexus eſſet, & ibi claris ſplendeſceret virtûtibus, poſt óbitum S. Sacerdotis in ejus locum ſuffectus eſt. & cum meritis, & miraculis coruſcâret, hac die in cœlum, ubi dignam ſibi ſedem ſuis meritis præparáverat, translatus eſt. *B.* Neápoli depoſitio numquam ſatis Laudati viri B. Auguſtini Anconitani, vulgo, Triumphi, abſtinentia, & vitæ puritâte, quam ſemper coluit, celeberrimi, de illo enim fertur, quod octo, & octoginta vivens annos, gratiam non perdidit baptiſmalem: fuit in Religionis obſervantia clariſſimus: ſocius fuit B. Ægidii Romani in Pariſiorum ſtudiis, in quibus ambo fuerant in ſcientiis oracula; nam ibi ſucceſſit Cathedræ, quam S. Bonaventura legerat, ſicut B. Ægidius Cathedræ S. Thomæ, & hujus loco miſſus fuit ad Concilium Lugdunenſe. Vocatus fuit á Carolo Neapolis Rege, ut inter ſuos conſultores locum haberet, ſub cujus tempore régimen fuit in Neapoli mirabilius: interim inter rara ſanctitâtis teſtimonia, & triginta lex, quæ compóſuit, volumina, méritis, & annis onératus, felici fato hac die deceſſit. *C.* Genuæ tranſitus Ven. Fabiani Clavarii Genuenſis, viri obſervantia Religionis clariſſimi, pietâte, & eruditione celebriimi, qui in bona ſenectûte hac die ex ſæculi ergaſtulo decedens, ad præmium ſuis meritis alcendit præparatum. *D.* Olyſippone in cœnobio Gratiarum defunctio Ven. P. Emmanuelis ab Spiritu Sancto, viri magnæ ſapientiæ, & ſpiritus, in cujus anima divinus ſemper amór habitávit, & inqua dona divina gradu ſúperiori viſa ſunt, præcipué Conſilii, ſapientiæ, & timóris Dei. Fuit raræ patientiæ, nemini in ullo dans offenſionem, & ſic á Deo petiit, ut mortem oppéteret, quin ſuis Fratribus inferret moleſtiam, quod á Deo impetrâvit, per breves enim dies ægrotâvit ad mortem, prædîcens, ſe obitúrum ex ictu unius acûs. Et cum mortem eſſet ſubiturus, petiit, ut ſibi legerentur commentária á ſe facta ſupra Pſalmum Miſérere mei Deus, & interim plures eliciens actus contritiônis, hac die piiſſimé naturæ ſatisfecit. *E.* In cœnobio Bolinao apud Philippinas memória Ven. Hieronymi à Chriſto, qui mundo terga vertens, inter noſtrâtes admiſſus eſt in cœnobio Xativæ, ubi ſcientia, & virtûtibus clarus, pro roſtris egregié verba dabat. Deſiderio tamen commotus fidei apud infideles diſſeminandæ, ad Diſcalceatos mutâtus eſt, cum aliis, cum quibus in Indias profectus, ibi clarus virtûtibus magnam ſuis ſermonibus contraxit opiniônem; fulgebat enim humilitâte, oratiône, chori aſſiduitâte, ſilentio, paupertâte, pœnitentia, jejunio. Cibus ejus delectábilis, docére, confiteri, & prædicáre erat. Donec profectus ad fundationem cœnobii Bolinao, ibi gravi morbo corréptus, pie é medio ſublatus eſt. *F.* In cœnobio Goenſi S. Monicæ depoſitio Ven. Hieronymæ de Jeſu ibidem monialis, & in Religione claruit humilitâte, devotiône, & raro apud omnes exemplo, cum quo poſt ſex Religionis annos magno Sororum deſiderio mortem oppétiit hac die piiſſimam. *G.* Morellæ in cœnobio SS. Trinitâtis memoria Ven. Catharinæ Cros moniâlis, cujus vita erga omnes fuit ſpeculum perfectiônis. Claruit oratiône continua, parique ſolitûdine, taliter, ut quoties ad ſuos loquéretur, tempus perdidiſſe putans, valde affligéretur, & á Deo veniam péteret gemebunda. Erga Chriſti paſſiônem erat devotiſſima, & de illa loquens, vel loqui ſentiens, ſtatim in profuſas lacrymas erumpebat, & idipſum ſentiebat ad præſentiam Sacramenti expoſiti, ubi quaſi abſorpta videbatur. In pœnitentia fuit ſingularis, utebatur enim jejuniis panis, & aquæ continuis, diſciplinis quotidianis uſque ad ſanguinis effuſionem, ciliciis aſperrimis, brevique ſomno, & oratiône ferventi: & cum quindecim per annos hæc

pia

pia sustinéret exercitia, mortem aspexit, ut vitam in cœlis inciperet immortâlem. *H.* In Hispania in cœnobio SS. Sacramenti, & Conceptiônis de Gijon. depositio egregiæ Christi Sponsæ Mauritiæ à Sacramento, quæ in statu matrimonii plures perpessa labóres, defunctis tam conjuge, quam filio, monialis facta, in cœnobio Lanhes magnos é cœlo favores recepit; unde ad fundatiônem cœnobii de Gijon transiens, innumeris charismatibus illustrata, hac die pie, ut creditur, ad cœli nuptias properávit. *I.* In Gallia inter Ursulinas de Thalon depositio Ven. Claræ á Nativitâte monialis egregiæ Religionis, simplicitâtis, & affabilitâtis, & observantiæ, incredibilisque paupertâtis: continua erat in Christi patientis meditâtione; sic cum agonizaretur, tres Christi Cruxifici imagines præoculis, & manibus voluit habere: hac die verò summa cum pietâte decessit, in die S. Francisci de Paula, cujus devotiône languebat: & post undevigenti annos ab óbitu, cætero corpôre cinefacto, manus tamen integræ repertæ sunt in præmium curæ, qua Ecclesiæ altaria suis texturis exornabat.

COMMENTARIA

AD DIEM SECUNDUM APRILIS

A. S. Nicetus monachus Jurensis, & postea Archipræsul Lugdunensis post óbitum S. Sacerdotis, Claruit tempore Justini Imperatoris, & Joannis Papæ Tertii, & obiit sancte hac die anno 573. De illo agunt Saussai die 1. Aprilis, & Henschenius in Actis SS. cum aliis hac die. Illum fuisse nostri Ordinis asserunt Tabulæ Ordinis, & patet, quia monasterium Jurense nostri fuit institùti, ut diximus die 28. Februar, dum de S. Romano egimus.

B. B. Augustinus Triumphus Anconæ ex nobili, & vetusta Triumphorum prosapia ortus est anno 1243; postea mundo valedicens, inter nostrâtes adscriptus est, suadente ejus avunculo, & N. B. Guilelmo Triumpho, duodeviginti annos agens, anno 1261. tempore B. Lanfranci Generalis. Anno verò 1270 una cum B. Ægidio Romano, jussu B. Clementis de Auximo Generalis Lutetiam petiit studiorum causa, ubi SS. Thomam, & Bonaventuram habuit præceptores, & postea ultimo, sicut B. Aegidius primo, in cathedra successit. Jussu Gregorii 10. Lugdunensi Concilio interfuit in locum S. Thomæ denati, anno 1274. Patavii, & Venetiis summo cum plausu concionatus est anno 1277: & anno 1280 contra Porphyrium scripsit. A Carolo secundo Neápolis Rege ad sui Consiliarum vocátus est an. 1283; scripsit librum aureum de Pontificis auctoritâte an. 1318. Tandem scientia, & sanctitâte clarus obiit Neapoli die 2. Aprilis an. 1328. ætatis 85. De illo summa cum veneratiône agunt NN. Cardinal. Seripand. in Chron, Coriolanus, Pamphilus Episc. Signin, Augustinus Fivizanus Sacrista Papæ in ejus vita, Curtius in elogiis, Herrer. tom. 1. Alph. fol. 8, Orosco, Elss. in Encom. Lit. A, Roman, Torelli tom. 4. an. 1243. n. 50, & 1260 n. 29, & 1274. n. 15, & tom. 5. fol. 145, & in Centur. 2. c. 61. fol. 196. Natívitas Monte 3. fol. 514; n. 117; Portillo tom. 2. fol. 10. hac die, Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 173, & in Pantheo Elogio 46. fol. 143, Josephus á D. Antonio tom. 2. Flor. SS. fol. 3; & alii plures. Ex exteris Sabellicus Ænead. 9. lib. 8, Volaterranus lib. 21, Claudius Robertus in Gallia Christiana, Renatus Choppinus lib. 1. Monastic. fol. 114; Possevin. tom. 1. Apparat. fol. 137. In memoriam tanti viri in ejus Sepulchro impositum est lemma sequens.

Anno Dñi 1328 die 2. Aprilis Indictiône 1. óbiit B. Augustinus Triumphus de Ancona, Mag. in Sacr. Pagina Ordin. Erem. S. Aug. qui vixit an. 88: e didit suo Angelico ingenio 36 volumina librorum. Sanctus in vita, & clarus in scientia, unde omnes debent sequi talem virum, qui fuit Religionis speculum, & pro eo rogare Dominum.

In mea potestâte est imago hujus Beati cum radiis, & titulo Beati, & infra egregium ostentans elogium: unde miror, cur ab Henschenio de illo fit solum mentio in prætermissis. Certe equidem erga nostratia animum aversum præsefert. Mecum rem ægre tulit N. Josephus á D Antonio, ubi sup. Quidquid tamen de hoc sit.

Epigramma ad B. Auguſtinum.

Vel Patris Aurelii ſummum vegetavit acumen
Ingenii vires, Clare Triumphe, tui,
Vel tibi, cum fato deceſſit, & aſtrà pétivit,
Ingenii hæredem maluit eſſe ſui.

Aliud.

Dum bellant alii, non his victoria certa eſt;
Vincere tu noras hercle, Triumphus eras,

C. Ven. Fabianus Clavarius Auguſtæ Ligurum ortus ex illuſtri proſapia, in cœnobio Conſolationis habitum aſſumpſit anno 1510, Peruſiam pétiit an. 1514. ſtudiorum cauſa, & inſignibus laureatur anno 1521, Patavii docet an. 1522, Genuenſem Congregatiônem gubernâre cæpit. an, 1525, & Romæ an. 1543 cum S. Thoma de Villanova Ordinis conſtitûtiones emendavit; & anno 1553 Procurator Generalis declaratur,& anno 1562 Abbas S.Mathæi eligitur á nobilibus familiæ Auriæ, cujus præconia carmine heroico ſcripſit N.Adamus Montaldo Genuenſis anno 1470.

Cui ſatis á téneris Parnaſſea plectra placebant,
Inque ſuo elegit pectore Muſa locum:
Sic Heliconiadum jubar indelebile vatum
Extitit, inter eos plus ſua plectra mieant.
Dignus, ut oraret coram Paſtóre ſupremo,
Ac illis, quales purpura ſacra tegit.

Tandem innumeris méritis ornátus, de Religione ſua optimé méritus, ad præmia ſibi promiſſa hac die volavit Octuagenarius anno 1569; & ejus corpus in Eccleſia S. Mathæi tumulatum eſt. De illo agunt Cruſen. ad an. 1569, Herrer. tom. 1. Alph. fol. 240 Elſſ. in Encom. Lit. F. fol. 189. Torelli in Sæculis tom. 8. an. 1555, n. 36, & 1562 n. 5, & 1563. n. 19, & anno 1569. n. 30. fol. 521; Natívitas monte 3. fol. 541 n. 1, Pamphilus in Chron; Arpe in Pantheo elogio 92 fol. 317, ubi late de illo agit. Ex exteris Poſſevinus tom. 1. Oldoinus, Raphael de ſcriptoribus Liguriæ fol. 87. Sopranus, & alii plures. De illo canit N. Arpe.

Digna legi ſcribis, facis & digniſſima ſcribis:
Scripta probant doctũ, ſed magé facta probãt.

D. Ven. Emmanuel ab Spiritu Sancto Luſitanus, vir fuit Dei amóre plenus; Claruit patientia, qua plenus ſemper curavit, ut nemini daret offenſionem; fuit ſuimet mirabilis contemptor. Ad Comitia Generalia pro diſcreto miſſus eſt, quo tempore Bononiæ Doctoris lauream eſt aſſecutus, & quæſitus, an gradum vellet, vel ad honorem, vel ad ſufficientiam? Reſpondit, ad ſufficientiam; & taliter ſeſe in actibus oſtendit, ut illi ab Academicis Cathedra offerretur. In Provinciam ſuam reverſus, inter exercitia ſancta dies tranſigebat, á Deo rogans, ut e medio tolléretur, taliter, ut ſuis Fratribus moleſtiam non inferret in óbitu, & Deus ſuis annuit precaminibus, nam paucis ante óbitum diebus ſuis prædixit Fratribus ſomniaſſe ex ictu acus obiturus, quod accidit, nam forte librum, in quo acus erat, aperiens, illa ictus indigito, exhinc ſui obitus originem contraxit: óbiit tandem die Jovis maioris 2. Aprilis anno 1654, & die ſequenti ſepultus eſt, relinquens ſuarum virtutum præclarum teſtimonium. Ita refert N. Leal in m. ſ. lib. lit. C. fol. 92.

E. Ven. Hieronymus Deça, & poſtea dictus á Chriſto, apud Excalceatos, natus eſt in oppido Vez in Caſtella Diœceſis Carthagenæ ex Hieronymo Deça, & Barbara Sebriano, habitum aſſumpſit inter noſtrates in cœnobio Xativæ, ubi ſe Deo per tria vota dicavit die 2. Aprilis an. 1593. Studiis deditus, exiit egregius Concionâtor. Attamen accenſus deſiderio fidem infidelibus nuntiandi, cum aliis ex noſtris ad Excalceatos, tum temporis ſub noſtra obedientia poſitos, transmigravit, & ſtatim in Indias profectus eſt die 12. Julii an. 1605, ubi maximo cum proventu laborans, ſancte deceſſit in inſula Bolinao anno 1614. De illo agunt

agunt NN. Andreas á S. Nicolao in Hiſtor. Generali Excalc. tom. 1. Decad. 2. c. 9. fol. 460, & Jorda tom. 1. lib. 2. c. 18. fol. 326 n. 7, & 6, & lib. 2. c. 38 fol. 525. n. 4; & tom. 2. lib. 3. c. 39. n. 1. fol. 202; Herrera tom. 1 Alph. lit. H. fol. 338, Petrus Jacob. Excalceatus.

F. Ven. Hieronyma de Jeſu Goæ nata eſt ex Georgio Macrato, & Hélena Simoens. Poſt ſæculi nuptias monialis facta eſt in cœnobio S. Monicæ, & ibi profeſſionem emiſit 27. Januar. anno 1608, & poſt ſex Religionis annos inter rara ſanctitâtis exercitia ſumma cum pietáte deceſſit die 2. Aprilis an. 1613. Agit. de illa N. Fr. Auguſt. á S. Maria in Hiſtor. Goenſi lib. 4. c. 15. fol. 724.

G. Ven. Catharina Cros in oppido Morellæ lucẽ aſpexit; parentes novit Balthaſarem Crós, & Candiam Sanz. In cœnobio ſuæ patriæ inter moniales SS. Trinitátis habitum induit, & profeſſa eſt die 2. Aprilis an. 1617, & ſancte defuncta eſt menſe Julii an. 1633. Refert N. Jorda tom. 2. lib. 4. c. 14. fol. 449. num. 14.

H. Ven. Mauritia á Sacramento nata eſt in oppido Minguela Diœceſis Segorbienſis ex Sebaſtiano Péres, & Eliſabetha Velaſco: nuptias contraxit, ubi plura perpeſſa eſt, quæ omnia tamen cœli patrocinio ſuperavit. Monialis in ſtatu converſæ facta in cœnobio de Lanhez tranſiit ad fundatiônem Gizon, ubi inter eximiæ ſanctimoniæ teſtimonia cum prodigiis comprobata, ſancte deceſſit hac die. Annus non refertur, credo tamen fuiſſe circa 1670. De illa agunt latiſſimo calamo NN. Viller. tom. 2. á fol. 193. uſque ad 275, Joſephus á D. Antonio tom. 2. á fol. 104. uſque ad 171.

I. Ven. Clara á Nativitáte, ſeu Geravelli Urſulina de Thalon, per undeviginti annos ibi vixit rara ſanctimonia, ubi obiit hac die circa an. 1660. De illa agitur in Chronic. Urſulinarum fol. 240.

TERTIO NONAS APRILIS.

III.

A Pariſiis depoſitio celeberrimi Doctoris B. Alberti Patavini, qui fuit aureum eloquentiæ flumen, & gratiſſimus Evangelii præco, quo uſque ádeo nullus prior: erga Deiparam claruit devotiône, & prior fuit, qui illam in concionibus oratiône Angelica Salutavit. Vixit rara continéntia, & mirabili ſanctimonia: ob quæ in Patavino Palatio marmoreum ſimulacrum aureis litteris decoratum habêre promeruit: donec jactura Religionis indicibili, mortem ſubiit immaturam, immortali tamen digniſſimus memoria, hac die, quo ad cæleſtem lauream tranſiit ſuſcipiendam. B. Senis in Iliceto memoria Ven. Hieronymi Bonſignorii Junioris, qui veſtigia ſui Patruelis ſecutus, ſtrenue in Religione contra tres humani plaſmatis pugnavit inimicos, egregiis armatus virtûtibus: & cum Ilicetano cœnobio, & ejus Congregationi valde profuiſſet, ſancte deceſſit. *C.* In Hiſpania tranſitus Ven. Laurentii de Moraes Luſitani, qui cum hujus eſſet Provinciæ filius, motus deſiderio viſitandi reliquias S. Engratiæ Virginis, & martyris Luſitanæ, cujus ſacrum caput in noſtra Eccleſia de Carvajaes honorifice aſſervatur, ibi vixit per annos ſexaginta in quodam eremitorio prope Legionem, quod fuit olim cœnobium de Carvalhal, vitam agens Angelicam; donec multis onerátus annis, & virtûtibus, hac die naturæ debito feliciter ſatisfecit. *D.* Hiſpaniæ in cœnobio de Caſtellon de Plana defunctio Ven. Jacobi Villaguindo, magni nominis víri, in quo velut in centro habitarunt profunda humilitas, invincibſlis patientia, inflammata charitas, obedientia prompta, paupertas extrema, puritas Angelica, & rara pœnitentia, qua ſuum macerabat corpus jejuniis, ciliciis, diſciplinis, vigiliis, & continua meditátione erga dominicam paſſionem, cujus devotiône claruit, & in hujus devotiônis præmium hac die, quæ fuit Véneris ſanctæ,

in

in Domino ſanctiſſimé quievit. *E.* Romæ in cœnobio Jeſu Mariæ Excalceatorum mors pretioſa Ven. Antonii á S. Martino Fratris Laici, de quo fertur, ſemper in Deum abſorptum ambulaſſe oratiône continûa: inſuper claruit in promptitûdine ad ſibi munera commiſſa: infirmos multa fovebat charitâte. Per quadraginta annos Refectorarii exercens miniſterium, ſumma cum manſuetûdine, & patientia id adimplevit: & ſi aliquando furôre motus erat, in ſe tamen reverſus, ſtatim locum adibat remotum, ubi humi proſtratus ore, á Deo gemebundus impatientiæ veniam precabatur. Per tempus ſibi ſuperſtans, vel horto laborabat, vel infirmis ſerviebat, vel in Eccleſia orabat. Cum Religioſis piis erat illi gratiſſimá converſatio. Quotidie poſt matutinum duas per horas oratiôni vacabat: donec octogenarius pie, & feliciter animam efflavit hac die, & poſt óbitum ex cera ejus confecta eſt imago, ad cujus ſimilitudinem piures confectæ ſunt. *F.* Olyſſipone tranſitus Ven. Franciſci de Jeſu, qui in vita multæ ſanctitátis de ſe reddidit teſtimonia, & ita virtûtis ſemitam uſque ad óbitum ſecutus, e vita diſceſſit. *G.* Olyſſipone in cœnobio S. Monicæ defunctio glorioſa Ven. Eliſabethæ de Noronha, quæ nobilitáti géneris omnia ſuper addidit genera virtûtis. Et cum in magna obſervantia aliquot per annos in cœnobio Eborenſi Pueri Jeſu vixiſſet, inde cum duabus Sororibus ad fundatiônem cœnobii Lixbonenſis S. Monicæ deducta eſt, ubi Prioriſſam agens, obſervantiam talem propagavit, ut pluries ad id munus á prælátis electa eſſet, relinquens ſibi in regimine ſuccedentibus clara ſui Zeli, humilitâtis, charitátis, & oratiônis exempla. Tempore ui óbitus in cœnobio Eborenſi S. Monicæ lux magna viſa eſt, quæ occaſionem dedit, ut Ven. Eliſabethæ óbitus, ut poſtea claruit, crederetur. *H.* Goæ in cœnobio moniálium S. Monicæ tranſitus Ven. Catharinæ á Monte Carmelo ibi monialis, in qua indoles ádeo illuxit candida, ut nihil in terris peccatum, vel malum eſſe ſuſpicarétur. Conjugium, & ſi invita, contraxit, ubi vixit, veluti inter moniales viveret. Viro defuncto ad cœnobium S. Monicæ convolavit, ut adimpléret monita B. Virginis, quæ illi bis apparens dixit: ut mihi gratam te oſtendas, in cœnobio S. Monicæ monaſticam vitam amplectitor. Quod reapſe implevit, & ádeo in virtûtibus profecit, ut in brevi conſummata, multa implerét tempora Claruit humilitâte, patientia, & conformitâte in morbis, in quibus ſibi non leve erat ſolamen dulcia colloquia iconibus Pueri Jeſu, & Deiparæ proferre. Ante óbitum á M. P. Auguſtino eam conſolante, & dicente breviter abſolvendos labores, & ad gloriam deferendam, viſitáta fuit. Etiam illi quædam ejuſdem cœnobii apparuit monialis, réferens in gloria quieſcere, & res futuræ vitæ rebus hujus vitæ eſſe valde diſſimiles. Morti proximam Deipara apparens dulciter conſoláta eſt: & á Deipara interrogans, quæ eſſet! Hæc á Deipara audivit: Filia, ſum Dei mater, & Domina illa, quam in Laicarum altari véneraris. Adhæc Catharina; ſi ergo Domina es Laicarum, cur me inviſere dignaris? Ad eam Deipara: Catharina, omnibus, & tibi ſum, patientiam habe, præſto enim tui finientur labores, ad Filii mei gloriam deducêris. Tandem inter fervidos amoris actus, cupiens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, hac die dulcem oppetiit mortem, ſodalibus linquens æterna, & inconſolabilia ſui deſideria. *I.* Inter moniales Burdegalenſes depoſitio Ven. Urſulæ á Conceptione, quæ in monaſterio de Guimgamp claruit jejuniis, diſciplinis, & pœnitentia, quæ tanquam ſui delicias proclamabat. Ad ignem duntaxat in alienis neceſſitâtibus, & ſi aſpera eſſet hyemns, non appropinquabat. In charitâte erga ægrotos fuit mirabilis: correpta tamen Lethali morbo, hac die ad ſuæ charitátis præmia volavit. *L.* In agro Meldenſi in Eboracenſi cœnobio elevatio corporis S. Pharæ Virginis, primæ hujus cœnobii Abbatiſſæ, ubi etiam nunc pluribus coruſcat miraculis.

COMMENTARIA

AD DIEM TERTIUM APRILIS.

A. B. Albertus Patavinus Patavii inter noſtros nomen dedit an. 1293 die 25. Aprilis; poſtea ad Pariſios miſſus, ibi ſub diſciplina N. B. Aegidii valde

in

in ſcientiis profecit ; exiit enim aureum eloquentiæ flumen , & Evangelii præco nulli ſecundus : nec fuit continentia , & ſanctitáte minor : ob quæ in Patavii Palatio ſtatua marmorea , & Lemmate aureo decoratur ob plura ab eo volumina conſcripta. Immatura tamen morte correptus, inter maxima ſuorum deſideria , & reipublicæ litterariæ detrimenta , hac die naturæ ſatisfecit anno 1328 , ut nonulli aſſerunt , vel 2. Aprilis an. 1323 , ut alii dicunt. De illo agunt Pamphil. inter Beatos Ordin. Anaſtaſ. Cruſen. p. 3. c. 12, Car. din. Seripand. in Chron. Nativit. monte 3. fol. 489. n. 16. Herrera tom. 1. Alph. fol. 51, ubi refert Lemma Patavii; Curtius, Elſſ. in Encom. Lit. A , Torelli tom. 5. an. 1323. fol. 394 ; Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 175 : ex exteris Trithemius, Sixtus Senenſis , Bellarm , Poſſevinus, & Sabellicus, qui illum indigne Minoritis attribuit. Apud me extat illius imago cum célebri elogio , & titulo Beati.

B. Ven. Hieronymus Bonſignorius junior , & nepos áiterius ejuſdem nominis, de quo 11. Junii, in Iliceti cœnobio floruit ſanctitáte , & deceſſit an. 1523 ; dies tamen hujus ignoratur , cum tamen ſciatur , ejus a vunculum óbiiſſe 11. Junii , ut dicendum eſt, dum de illo agatur , & N. Arpe in Diario SS. tom. 1. de illo agat 3. Aprilis fol. 187 , idcirco in hac die de illo egimus. De illo tractant. NN. Landucci in Sylva Ilicetana fol. 141 ; Torelli tom. 8. an. 1523. fol. 86. n. 8 , & alii.

C. Ven. Laurentius de Moraes Luſitanus in cœnobio Gratiarum profeſſus eſt an 1504 , & an. 1513 ad Provinciam Caſtellæ tranſiit , ubi in eremitorio , Olim Ordinis cœnobio , per 60. annos vitam vixit angelicam , & óbiit magno virtûtis ſplendore anno 1575. De illo agunt D. Fr. Alexius de Menezes in Chron. m. ſ. fol. mihi 27 , Leal in lib. m. ſ. lit. c. fol. 232 , & Fr. Ferdinandus Maldonado Benedictinus in Inſtitûtione maioratus Moralium. Videantur N. Marquez in Defenſorio c. 1756. fol. 317 , & Angelus num. 45 , & Georgius Cardoſo in Commentar. ad 3. Aprilis fol. 411. littera A.

D. Ven. Jacob. de Villaguindo ortus eſt in Oppido Cellent. Diœceſis Viquenſis in Catalaunia ex Arnaldo Villaguindo , & Bartholomæa á Coſta, noſter factus eſt in cœnobio de Caſtellon de la Plana , & ibi émiſit profeſſionem 29. Junii an. 1616 , óbiit virtûtibus conſummatus in die Véneris ſanctæ , anno 1643. Refert N. Jorda tom. 2. lib. 3. Hiſtor. Valentiæ c. 15. fol. 63. n. 3.

E. Ven. Antonius á S. Martino Brixiæ primam aſpexit lucem an. 1611 , parentes agnôvit Paulum de Avogrado , & Juliam Negronam , & ſacro ablutus eſt Lavacro in Parochia S. Laurentii , & ideo ex tunc Laurentius dictus eſt ; inter Excalceatos in ſtatu converſi admiſſus eſt Brixiæ an. 1632. die 12. Nov ; & ibi Deo per tria ſe vota ligavit die 13. Nov. an. 1633. Romæ autem commorans in cœnobio Jeſu , & Mariæ Octogenarius ſumma cum pietâte deceſſit hac die an. 1691. Agit de illo N. Joannes Bartholomæus Luſtro 19. fol. 599.

F. Ven. Franciſcus de Jeſu ortus eſt in civitâte Portuenſi , & parentes habuit Didacum Fernandes, & Mariam Nunes: profeſſus eſt die 3. Aprilis anno 1549 , & óbiit anno 1580. De eo fit mentio in lib. Profeſſionum hujus Proivnciæ.

G. Ven. Eliſabetha de Noronha monialis in cœnobio Pueri Jeſu Eborenſi , inde deducta eſt ad fundatiônem cœnobii Lixbonenſis S. Monicæ, & cum cœnobium ſanctis régeret, & confirmaret ſtatûtis , pie deceſſit hac die an. 1603. De illa agunt NN. Purificat. in Chronol. monaſt. hac die fol. 46. Leal in m. ſ. lib. lit. c. fol. 87, & fol. 540 , Joſephus á D. Anton. in Florario SS. fol. 565 ; Georg. Cardoſo in Agiol. Luſit. hac die tom. 2. fol. 405 , & 413.

H. Ven. Catharina á Monte Carmelo orta eſt in Urbe dicta Cochim ex Antonio Rodrigues, & Maria Vieira, piiſſimis, & ditiſſimis. Nuptui tradita eſt D. Petro Maſcarenhas nobiliſſimo Luſitano , quo defuncto, monialis facta eſt in cœnobio S. Monicæ Goenſi , multas deſpiciens divitias , & innumeras ſúperans difficultâtes : aſſumpſit habitum anno 1632 die 8. Februarii , quo ejus conjux oppetiit. Vixit in Religione magno virtûtum ſplendôre , quibus meruit á Deipara bis , & á S. P. Auguſtino viſitari. Obiit ſancte die 3. Aprilis anno 1633. De illa agit N. Auguſtinus á S. Maria in Hiſtor. Goenſi lib. 4. c. 26. fol. 764.

I. Ven. Urſula á Conceptione , Olim dicta Elietta , Quartrieu profeſſa eſt in Congregatione Burdegalenſi in cœnobio de Guimgamp ; ubi rara ſanctimonia florens , óbiit in die Véneris ſanctæ anno 1665 , relinquens ſuæ virtûtis clarum teſtimonium. De illa agitur in 2. parte Chron. Urſulin. fol. 92.

L. Trans-

L. Translatio, ſeu elevatio corporis S. Pharæ Abbatiſſæ in cœnobio Eboracenſi celebrata fuit hac die, ut referunt Sauſſai in Martyrol. Gallico, & Acta SS. Henſchenii in prætermiſſis, in Tabulis Auguſt, & in m. ſ. N. Portilli, & in vita S. Columbani. De S. Phara Agendum eſt 7. Decembr; quo die ejus feſtivitas celebratur.

PRIDIE NONAS. APRILIS.

IV.

A. Mediolani depoſitio S. Ambroſii Epiſcopi, & confeſſoris, & Eccleſiæ Doctoris acutiſſimi, qui non ſolum S. M. Monicam de Auguſtini erroribus contriſtatam conſolatus eſt, ſed etiam P. Auguſtinum ſuis Sermonibus de tenebris gentium ad fidei claritâtem reduxit, illumque baptizavit, & habitu nigro induit, & corrigia præcinxit, ut ipſe in ſuo innegabili Sermône teſtatur; & in laudem Dei cum ipſo Auguſtino alternatim concinuit, & intonuit hymnum dulciſſimum Te Deum Laudamus: cui Doctori Auguſtiniana Religio gratias debet pro tali re immortales; nobis enim Auguſtinum Patrem, Magiſtrum, & Fundatorem lucrifecit. *B.* Hiſpali in Hiſpania óbitus S. Iſidori Epiſcopi, & confeſſoris, & Doctoris, qui e nobiliſſima ortus proſapia, Auguſtini amplexus inſtitûtum, ad Hiſpalenſem Sedem poſt óbitum ſui fratris S. Leandri, Recharedo Hiſpaniarum Rege agente, evectus eſt, ubi fidei catholicæ zelo accenſus, & ſanctitâte, & doctrina præclarus, hac die in cœlum migravit. *C.* Senis in Iliceto tranſitus B. Nicolai Bandinellii e nobiliſſima orti progenie; viri ádeo ſilentioſi, ut nihil, niſi neceſſitas cógeret, loqueretur. Pluries angelicis ſuit concentibus recreatus, & ſocios ſui eſſe Angelos promeruit. Vixit cum S. Franciſco, Minorum Patriarcha, interim inter noſtros Iliceti coeremita: donec innumeris meritis exornatus, hac die e mundi ergaſtulo ad cœli palátia translatus eſt. *D.* Ibidem defunctio B. Joannis Inconſtrii, qui ex nobiliſſima ſatus progenie, Ilicetum petiit, ubi habitu indutus, noſtratibus non parvum adjecit ſplendorem. Sed cum in paterna domo eſcis delicatis exiſtéret aſſuetus, erga cœnobii eſcas nauſeam juvenilem contraxit, qua motus Religionis Caulém, tanquam ovis perdita, deſerere ſtatuit, quod reapſe exercuit, egrediens noctu per hortum: extra quem eunti obvium ſe fecit vir in habitu venerandus, qui ad errantem juvenem acceſſit, & dixit: quo tendis, ovis perdita? Cur déſeris Religionis ovile, & á cæteris avelleris? Si te terret rigor cœnobii, cur per hæc deſerta non times ambulare? Non vides, te in lupi tartarei dentes poſſe incidere? Ignoras, ad cœlum ineptos eſſe, quotquot á pœnitentiæ aratro retrocedunt? Eia agé, cœnobium é quo exieras, ingrédere: ſi cœnobii eſcas judicas inſultas, en tibi offero apium hortenſe, quo illæ tibi fient ſapidiſſimæ: adhæc vir, Chriſtus erat, pectus detexit, & láteris cicatricem oſtendit, ex illaque exiit lux magna, qua viſa felix juvenis in terram, quaſi obcœcatus, delapſus eſt: ad illum tam jam illuſtratum, & ab humo elatum Chriſtus hæc protulit: hoc vulnus meis Apoſtolis ſuaves effecit labores, quotquot ſunt perpeſſi: hoc martyribus vires intulit tormenta patiendi: hoc confeſſoribus jejunia, & pœnitentias mitigavit: hoc etiam tibi gratos reddet omnes tui cœnobii rigores. Ob hæc B. juvenis ad cœnobium regreſſus; poſt inde fuit obſervantior, humilior, & in cunctis virtûtibus ſpecioſior. Cum ergo plura in Ordine exercêret officia, heroicis excultus virtûtibus, numquam ſuæ Religioni pœnitendus, animam hac die ſummo Judici tradidit coronandam, multis prodigiis glorioſus, & poſt óbitum Iliceti de illo recitabatur, & ara in ejus cultum dicata eſt. *E.* Hiſpaniæ in cœnobio de Talavera juxta Toletum memoria illius célebris prodigii; cum enim quidam ex oppido deſperatus exiret, cum animo ſeſe infami laqueo ſuffocandi, juxta cœnobii januam iter faciens, ecce e cœnobio Fratrem

trem noſtrum egredientem aſpexit, qui ab homine, quo iret, interrogavit: & illum mitiſſimis verbis de re facienda reprehendit, & intra cœnobii valvas introducens, illius audiit confeſſionem, & ſatis conſolatum reliquit. Tunc homo á Fratre, quis eſſet, interrogavit, ut illi de tanto bono grates perſolveret. Ecce Frater, Chriſtus erat, elevatus eſt, & apparuit Crucifixus in oſtio cœnobii exiſtens, & hæc ad hominem dicens: Ego ſum, qui tui miſertus ſum: vade in pace, & amplius noli peccare. Quo eventu obſtupefactus homo, & inſe reverſus, poſtinde potiori trámite vitam continuávit. *F.* In Hiſpania memoria B. Joannis de Eſtaço Luſitani, diſcipuli S. Thomæ de Villanova, é cujus diſciplina exiit vir egregiæ ſanctitâtis. In Indias profectus cum undecim Fratribus, taliter ſe habuit, ut in quinquennio Motzunæ imperium ad fidem converteret. In virtûtibus miraculum ſe fecit; in patientia enim fuit ſingularis, in pœnitentia indicibilis, in abſtinentia mirabilis, humo pro lectulo utebatur, paupertátem, & humilitâtem adunguem obſervabat. Orans cum cæleſtibus ſpiritibus frequenter ſermocinabatur, qui illi plura revelabant. Fuit devotiſſimus erga vulnera Chriſti, qui illi apparuit é lateris vulnere ſanguinem effundens, & dicens; quiſquis mei miſeretur, amplius miſereatur: & inde tantam erga Chriſtum patientem concepit compaſſionem, ut continuis lacrymis madefactus, ſulcum ex illis factum in vultu oſtenderet, & aqua frigida uti cogeretur ad lacrymarum profluvium mitigandum. Sæpius in hoſtia circumſpexit Chriſtum, ſibi é lateris vulnere nectar propinantem, & dicentem: vide, quid prote paſſus ſim; & tu pro meo nomine ſimiliter pátere. Plures in oratióne extaſes paſſus eſt. In Hiſpaniam rediens, á Carolo quinto Epiſcopus de la Puebla de los Angeles electus eſt, ſed ante confirmationem, heroicis exornatus virtûtibus, in cælum migravit. *G.* Eodem die memoria Ven. Joannis á Magdalena, qui B. Joannis Eſtacii claruit Sodalitio in Peruntina miſſione, ubi excelluit erga egenos charitâte, & caſtitâte illibata, ádeo, ut propria manu fœminis egenis eleemoſynam non præberet. Claruit etiam animarum zelo inſatiabili: donec plenus méritis, ad ſúperos evolavit. *H.* Luſitaniæ in cœnobio Scalabitano depoſitio Ven. Gaſparis á Plagis, qui in Auguſtiniana Religione egregie in omnium virtûtum génere coruſcavit; maximé in oratióne, & jejunio: donec in cilicio jacens, & virtûtum méritis conſummatus, hac die felici fato deceſſit. *I.* In Hiſpania óbitus Ven. Auguſtini á S. Joſepho Excalceati, qui inter pietátis ópera vitam tólerans, hac die, ut pie creditur, quæ Jovis ſancti fuit, cum Chriſto cœnaturus é vita exceſſit. *L.* Lixbonæ in cœnobio Monialium S. Monicæ tranſitus Ven. Magdalenæ á Plagis, ejuſdem cœnobii primæ alumnæ, raræ, & multæ oratiônis; ubi plures extaſes ſuſtinuit; cumque nonnullis ſua virtús prodigiis coruſcaret, prædicto ſui óbitus die, & ab Angelis ſæpiſſimé viſitâta, ad cæleſtis Sponſi thalamum, pretioſis virtûtum gemmis illuſtrâta, hac die migravit. *M.* Hiſpaniæ in cœnobio S. Joannis Baptiſtæ de Arenas mors pretioſa Ven. Eliſabethæ de Jeſu Maria, monialis, multæ oratiônis, & patientiæ. Aliquando aſpexit canem in ore paniculum ſordidum portantem, & dentibus dilanientem, quo tempore hanc clare loquentem audivit vocem. Quod canis in paniculo exequitur, hoc ipſum inte fiet: quod certe contigit; nam á Sororibus, ut Sordidus paniculus, deſpecta, & diſcerpta eſt; quos contemptus indicibili ſuſtinuit patientia. Cum foret Oſtiaria, Chriſtum ſub Cruce bajulum aſpexit; & ab illo quærens, quo iret, audiit ſibi dicentem; vado, tecum, & inte requieſcere. Ægrotans, & Miſſæ audiendæ deſiderio inflammata, aſpexit S. Petrum de Alcantara in cubiculum ingredientem, & Miſſam celebrantem. Altero die multa febre ardeſcens, optavit áqualem é fonte S. Iſidori Agricolæ, cujus devotiône languebat. Ecce aſpexit S. Iſidorum in cubiculum ingredientem, & aquam ſibi porrigentem, qua hauſta, perfectam concepit ſoſpitâtem. Ad preces ejuſdem in horribili ſiccitâte Deus nimiam áquæ dépluit abundantiam. Tandem, annis, & méritis cumulata, hac die animam ſuo tradidit Creatori. *N.* Hiſpaniæ in cœnobio Segorbienſi S. Martini defunctio pretioſa Ven. Hieronymæ á Præſentâtione monialis, quam ab ingreſſu Religionis Deus graviſſima purgavit ægritûdine, & ob illam é cœnobio exire coacta, paucis poſt diebus in domo paterna plené convaluit. Rurſus admiſſa, & profeſſa, ſeſe in obſervantia fecit admirabilem. Claruit obedientia, & erga Prælatas ſubmiſſiône, & charitâte erga ægrotantes. Et licet pluries graviſſimé ægrotaret, & incredibili morbos ſufferret patientia, tamen in pœnitentia fuit indicibilis, ſeſe enim ciliciis,

& laminis ferreis macerâbat. His ſatis expurgata, febre maligna correpta, relinquens de ſua ſalute ſpem non parvam, hac die expiravit. *O.* In cœnobio S. Monicæ in oppido de la Puebla de los Angeles defunctio Ven. Mariæ á S. Michaele ſanctimonialis, ubi raro virtûtis vixit teſtimonio, erat enim exemplar obedientiæ, paupertâtis, pœnitentiæ, ſolitudinis, oratiônis, in qua non paucos é cœlo ſuſcepit favores. Claruit modeſtia oculórum, & animi puritâte. Tandem prædicto ſui obitus die, & cœnobii per Summum Pontificem confirmatiône, magno Sororum deſiderio, hac die piiſſimé naturæ debito ſatisfecit. *P.* Valentiæ in cœnobio Monialium S. Gregorii memoria Ven. Agnetis de Jeſu, in omnium virtûtum ſpecie clariſſimæ; fuit humilitâtis profundæ, charitâtis fervidæ, patientiæ invincibilis, ſilentii rari, obedientiæ promptæ, paupertâtis extremæ, modeſtiæ mirabilis: plus tamen pœnitentia, & oratiône mirabilem ſe fecit; perenniter enim culpas ante Crucifixi imaginem deflebat retroactas. In oratiône, & communiône pluribus cæli ditata eſt favoribus; ſic, cum aliquando Cyclaveſca cibaretur, ecce exclamans, dixit: Victoria, Victoria, Victoria eſt in Hiſpania: quod vere áccidit, nam eo die Urbs Barchinonenſis á Gallis occupata, iterum, Gallis debellatis, in Hiſpanorum rediit poſſeſſionem. In regimine cœnobii ſumma cum prudentia, & obſervantia ſeſe habuit. Obiit tandem univerſali opiniône ſanctitâtis, & poſt annos ab óbitu non paucos, corpus ejus inventum eſt incorruptum, & undique illæſum. *Q.* Romæ Translatio S. Paulini, Nolani Epiſcopi, hac die facta, tempore Paſchalis ſecundi, & Othonis Imperatoris etiam ſecundi.

COMMENTARIA

AD DIEM QUARTUM APRILIS.

A. S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis ſuis méritis, & ſermonibus S. P. Auguſtinum ad fidem convertit, & illum ſacro expiavit lavacro cum multis aliis die 24. Aprilis anno 387; & illum cuculla nigra induit, & cingulo coriaceo præcinxit, ut ipſe in ſuo ſermone, qui incipit: Quod his diebus contigit &c. teſtatum reliquit; licet pluribus fatue, & inſipienter blaterantibus talis diſpliceat aſſertio. Hi certe optabunt nos ſuis teſtimoniis pleniſſimam fidem dare, ſed iſti noſtra omnia parvipendunt. Audiant ergo, nos crédere credentibus, & négare negantibus. His inconcuſſe reſpondet N. Leal. Purific. 4. Exam. 6. fol. 300. In baptiſmo Ambroſius intonuit: Te Deum Laudamus; reſpondit Auguſtinus: Te Dominum confitemur. Utrum autem alternative talis hymnus fuerit a duobus SS. compoſitus, ſcitu non eſt facile: videatur de hoc N. Leal Purific. 3. Exam. 8. fol. 230. Addo tamen, ab illis hymnum fuiſſe compoſitum uſque ad verſum: & rege eos, & extolle illos &c. ſex verſus enim ſequentes additi ab Eccleſia narrantur, ut dicitur in noſtro cæremoniali Romano Romæ excuſſo anno 1714. p. 1. c. 23. fol. 85. S. autem Ambroſius erga Dei Eccleſiam optimé méritus in cælum migravit Sabbato die 4. Aprilis anno 397. tempore Arcadii, & Honorii Imperatorum. Cum ergo noſtra Religio tanto Doctori ſatis debita videatur, idcirco de illo fecimus mentionem, quia ſi Minorum Ordo mentionem facit de S. Carolo Borromæo, eo quia illorum fuerat protector, ut vidère eſt in Martyrol. P. Artur, cur nos etiam de S. Ambroſio mentiônem non agemus, ſi fuit Auguſtini ſpiritualis Pater, & noſtrorum omnium avus dici poteſt?

B. S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis, Provinciæ Carthaginenſis, parentes habuit Severianum, & Turturam ſeu, ut alii dicunt, Theodoram, & Fratres SS. Leandrum, Fulgentium, & Florentinam. In litteris exiit oraculum: monachalem vitam amplexus eſt in cœnobio Hiſpalenſi, unde poſt óbitum fratris ſui S. Leandri eductus, Archipræſul Hiſpalenſis creatus eſt; quo munere virtûtum excellentia, & doctrinæ præſtantia Hiſpaniam illuſtravit: illuſtres edidit diſcipulos, Scil. SS. Ildefonſum Archipræſulem Toletanum, & Braulium Epiſcopum Cyracuſanum. Monachorum régulam duriorem temperavit. Poſt multa egregie facta, & eloquenter ſcripta, poſt 40. ferme annos præſulatus, ſanctiſſimé deceſſit

cessit hac die an. 635. regnante in Hispania Sisenando, & imperante Heraclio. Corpus illius in templo SS. Justæ, & Rufinæ sepultum est. Ejus composuit S. Ildefonsus

EPITAPHIUM.

Mens pénetrat cælos, hac corpus dormit in urna,
Dulce decus gentis, dux Isidóre, tuæ.
Quæ tibi discipulus sacrat, præ sume magister,
Qui fuit exilii parsque, comesque tui.
Carmine sume libens, & quem tù vivus amasti,
Post tua securus fata magister ama.
Ora pro nobis miseris, Clarissime Doctor;
O'decus Hesperiæ, Relligionis honor.
Da, rogo, te facilem, te, define, quæso, rogari,
Te que vocant populi, discipulus que vocat.
Quem variæ cingunt veræ, quem densa pericla,
Infestant, cæli fac statiône frui.

Ut certum tenendum est, S. Isidorum, nec Benedictinum, nec Carmelitanum, observasse institûtum, ut inconcusse ostendunt Acta SS. Henschenii hac die. Cum etiam certum sit, illum monachum fuisse, clare infertur nostrum secutum fuisse institûtum, hoc étenim in Hispania late servabatur, ut dictum est die 27. Februar: quare inter nostros annumeratur á NN. Torelli tom. 2. fol. 637, Jorda tom. 2. c. 20. lib. 3. fol. 90, & aliis nonnullis.

Epigramma ad eumdem.

Discitur á téneris, qualis puer inde futurus:
Arte utens doctus, marte que, fortis erit.
Sic quondam Alcides cunis cum frangeret angues,
Signavit vires, quas habitûrus erat.
Fertur adinventos angues Isidórus in herbis,
Per propriam á téneris enecuisse manum.
Signa futura dedit, qua vi pestúmdaret hostes
Ecclesiæ: hos summo cóntudit ingénio.

C. B. Nicolaus Bandinellus, ab aliis dictus Nicolacius, Senis ortus est ex nobilissima prosapia, ex qua etiam Alexander Tertius Pontif. M. ortus est. Fuit vir indicibilis silentii, & dignus perenni colloquio Angelorum. Obiit sanctissimé hac die: annus certe ignoratur; alii dicunt an. 1218, alii 1250. obiisse. Apluribus annis titulo, & cultu Beati veneratur. De illo agunt Pamphil. fol. 66. Crusen. p. 3. c. 21. fol. 163, Altesius in Elog. m. s. Landuci in Sylva Ilicetan. fol. 86; Herrer. tom. 2. Alph. fol. 159, Portill. tom. 2. fol. 40. Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 177; Josephus á D. Antonio in Florario SS. tom. 2. fol. 9. Ex exteris Fastus Senenses, & Acta SS. Henschen. in prætermissis. Sed nos latet fundamentur, cur inter prætermissos ab Henschenio numeretur, cum á Ferrario, & Ugherio Dominicano, & aliis ut Beatus celebretur, & á multis sæculis circumferantur illius imagines hoc titulo.

D. B. Joannes Incontrius etiam Senensis, ibi natus ex nobili génere an. 1275, in cœnobio Senensi S. Salvatoris fit noster an. 1296. sanctitâte, & miraculis clarus óbiit hac die an. 1339. ubi cultu publico honorâtur. De illo agunt NN. Ven. Hieron. Bonsignor. fol. 67, Athanasius Fullonicensis fol. 33, Altesius in Elog. m. s. Cardin. Ægid. Viterb. in Paneg. Ilicet, Cardinal. Seripand. in Elencho BB. Episc. Signin. in Chron. fol. 72. Episc. Asculanus fol. 250, Marconus in Indice BB. Simplician. Bonon. lib. Centurat. Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 370. Sammartinus fol. 437, Torelli in Centur 2. fol. 209. c. 85; & in Sæcul. tom. 4. fol. & tom. 5. an. 465, & 517. Gelsomin;

somin; Episc. Landucci in Sylva Ilicet. fol. 91; Elss. in Encom. Lit. I Portill. tomo 2. fol. 43. Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 181, & in Panth. Elog. 49. fol. 152, Josephá D. Anton. in Flore SS. tom. 2. fol. 10. Ex exteris Ugurger. Dominic; & Henschen. in Actis SS. in prætermissis, ut solet erga nostrates, & plures alii.

Epigramma ad B. Joannem.

Si non erro fores, Heros non inclytus esses;
Te magna erronem sors comitâta fuit.
E claustro egrediens, habitum que relinquere tentans,
Pastorem réperis, sorte favente, tuum.
Te movet, ut rédeas ad claustra, hæc ocyor intras:
Fastidîta prius, nunc ea sola placent.
Hæc sunt facta Dei; paucis valet omnia dictis:
In nutu illius, si velit, omne manet.
In claustro eximiis temet virtûtibus ornas;
Ut cælum his péteres: non aliter pétitur.

E. Prodigium S. Crucifixi cœnobii Talaveræ accidit anno 1588, ut refert N. Portillo in m. s. hac die.

Epigrama ad Christum Dominum.

Ecce Redemptor adest fraterno indutus amictu:
Et Deus; ast habitu nunc reperitur homo.
Induit Aurelii sacra indumenta Parentis:
Hæc quis despiciet, si Deus illa colit?

F. B. Joannes de Estaço Lusitanus in insula Angræ ortus est ex Alvaro Perez, & Aldonça Martines. Anno 1520 die 29. Julii Salmanticæ in manibus S. Thomæ habitum induit: anno 1539. Mexicum cum undecim sociis petiit, ubi maximo cum fructu laboravit. Post multas in Ordine dignitâtes anno 1552 infula Episcopali á Carolo V. decorátur; sed ante confirmationem óbiit in hac vita, ne obiret in altera an. 1553. Dies non á nostris, sed in Agiolog. Lusit, Scil. 4. Aprilis, assignatur. Certe heros dignus, ut perenniter celebretur. Scripsit memoriâle beneficiôrum, quæ á Dei manu accéperat. Primum fuit adduci ad viam salutis ex suorum peccatorum cognitióne, & damnationis timore: secundu fuit audire vocem mihi cælitus loquentem: confitere peccata tua, ut tibi parcantur. Tertium fuit bonitas divina, & illius misericordia, quæ me tanto tempore speravit. Quartum fuit contemplatio Christi patientis in Cruce, in qua illum clare aspexi. Quintum ex Crucifixi ore audire, ut omnes affectus in Cruce collocarem, ut passiônis fructus suscipere promerérer. Sextum fuit in missa pluries é Christi látere propinari. Hæc refert N. Leal in m. s. Lib. Lit. C. fol. 263. De B. Joanne agunt ex NN. Brulius in Hist. Perunt. lib. 5. c. 3; Baxius in vita S. Thomæ de Villanova, Grixav. in Hist. Peruan. lib. 1. c. 21, Eduard. Paciec. in vita S. Thom. c. 12. fol. 121, Nativit. Monte 3. fol. 588. n. 100, Herrer. in Histor. Salmant. c. 35. fol. 251, & c. 45. fol. 303; & in Alph. tom. 1. fol. 398, Salon. Roman, Torelli in Centur. 4. c. 95. fol. 497, & in Sæcul. tom. 8. fol. 355 n. 2, & 3; Elss. in Encom. Lit. S. Leal in m. s. ubisup; & fol. 149, Arpe in Pantheo Elog. 84. fol. 281: ex exteris præcipue Georgius Cardoso tom. 2. Agiog. Lusit. fol. 416, & 424. hac die.

Epigramma ad B. Joannem.

In Cruce Joannes Christum si viderat olim;
Hac, & in altari noster adesse videt.
E látere aspexit primus manáre cruorem:
Noster abinde bibit: dicite, qualis erit?

G. Ven. Joannes á Magdalena Socius fuit B. Joannis de Estaço in Peruntinam Provinciam, ubi rara floruit sanctimonia, & óbiit circa an. 1551. De illo agunt Calancha in Chron. Perunt; Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 400; Torelli Cent. 4. c. 93. fol. 495, Elst. in Encom.

H. Ven. Gaspar á Plagis Lusitanus natus est in oppido S. Joannis da Pesqueira, óbiit sancte in cœnobio Scalabitano, in ara maiori sepultus est, & óbiit an. 1586 die 4. Aprilis. De illo agunt ex NN. Purific. in Chronol. monastic. hac die fol. 46, Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 290; Alexius de Menezes in Chron. m. s. Leal in m. s. ubi supra fol. 88, Josephus á D Antonio tom. 2. fol. 365, & Agiolog. Lusit. fol. 419. Hic est diversus ab illo, de quo 14 Januar; óbiit enim 1593, & erat Laicus, sepultus que est Pennafirmii; hic verò in præsenti Sacerdos erat, & Scalabi sepultus adest.

I. Ven. Augustinus á S. Josepho inter Excalceatos Hispaniæ claris vixit sanctitâtis indiciis, & óbiit feria 5. in cœna Dñi, quæ incidit hac die an. 1613. De illo agunt NN. Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 30, Torelli Centur. 6. c. 40 fol. 687.

L. Ven. Magdalena á Plagis, fuit prima Novitia in cœnobio S. Monicæ Lixbonensi, ubi claruit sanctitâte miraculis confirmata, & óbiit hac die, anno 1619 in prima Paschatis Octava. De illa agunt Purific. ubisup, Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 191, Leal in m. s. fol. 89, & 595, 550, & 555; Josephus á D. Anton. in Flore SS. tom. 2. fol. 172, & Georg. Cardos. in Agiolog. Lusit. die 22. April. fol. 677. credens illam obiisse an. 1612, in quo die incidit Paschatis Octava.

M. Ven. Elisabetha de Jesu Maria in Urbe Guadalaxara orta est ex Hieronymo Peynado, & Magdalena de Clavibus, in cœnobio de Arenas professa est an. 1626 die 7. Decembris, ubi sancte vixit, & óbiit hac die, anno 1688. De illa agit N. Viller. tom. 1. lib. 9. tract. 3. fol. 410.

N. Ven. Hieronyma á Præsentatiône in Urbe Segorbiensi lucem aspexit, orta ex Andrea Gomes, & Josepha Castillo; in cœnobio Segorbiensi Christo Ligata, sancte decessit hac die anno 1667, Ætatis 25, ut refert N. Viller. tom. 3. lib. 41. tract. 2. fol. 251.

O. Ven. Maria á S. Michaele orta ex Dominico de Villalva, & Augustina de Salazar habitantibus juxta oppidum Angelorum, in Mexico, ubi habitu inter moniales assumpto, magno cum sanctitâtis indicio vixit, & óbiit hac die, an. 1687. Refert. Villerin. tom. 3. lib. 34. tract. 4. fol 36.

P. Ven. Agnes de Jesu Valentiæ orta in cœnobio S. Gregorii inter moniales professa est die 4. Aprilis an. 1512, ubi claris sanctimoniæ testimoniis decessit an. 1659. Agit de illa N. Jorda tom. 2. lib. 4. c. 15. fol. 460. n. 15.

Q. Translatio S. Paulini Episcopi Nolani ad Romam facta est hac die, an. 1113, Indictione 7. tempore Paschalis 2, & Othonis Imperatoris etiam 2. De illa agunt plures, ex NN. Torelli tom. 3. anno 1000. fol. 413, n. 2. De S. Paulino late agendum est die 22. Junii, in quo óbiit.

NONIS APRILIS

V.

A. Apud Fossas prope Leodium in Brabantia depositio B. Julianæ Cornelienſis, monialis nostri Ordinis in cœnobio ad pedes Montis, quæ multis é cælo revelatiônibus præmónita, Sanctissimi Sacramenti festivitâtem nóviter instituti solicitâvit; cum que post innumeras ærumnas, Longinquum exilium, & persecutiones gravissimas transiret, méritis, prodigiis, prophetia, & consolationibus cælestibus illustrata, hac die ad sui cælestis Sponsi amplexus feliciter properavit. *B.* Eodem die memoria. Ven. Joannis monachi in Leodiensi cœnobio, viri innocentis, quem licet in litterarum scientia eadem S. Juliana nosceret imperitum, tamen ab ipsa electus est, ut Officium festi Corporis Christi componeret, sic que ipse diu reluctans, attamen victus precibus B. Julianæ, cujus nóverat sanctitâtem, prædictum incepit officium ordinare, quod ita mirabile évasit, ut illud viri doctissimi legentes, mirarentur, dicentes: revera talis Frater hoc opus, sed potius Spiritus Sanctus, com-

composuit; certe enim de cælo venit, nam dum illud ille componeret, B. Juliana pro dicto opere Deum deprecabatur. Prædictus verò Fr. Joannes postea in Priôrem electus, pie credendum est decessisse. *C.* Hispaniæ in cœnobio Toletano óbitus Ven. Joannis de Viveros, viri nobilissimi, qui sæculi pompis renuntians, in Salmanticæ cœnobio monachismum amplexus est. Litteris satis instructus in Peruntinam Provinciam profectus, ubi in vinea Domini plurimum laboravit, plures ad fidem convertens; inter quos fuére Sairus Tupare, & ejus uxor Cusi Huarca, reges Indiani, & Soror Regis Guascari. Fuit multæ pœnitentiæ, sese enim jejuniis, disciplinis, & ciliciis asperrimis macerabat. Totam fere per noctem oratiôni vacabat. Fuit in prædicatiône, & Sacramentorum administratiône indefessus, nec suæ Religioni parum profecit, cœnobium enim Cusquense, & Provinciam Quitensem fundavit. Fecit, dixit, opératus est res gloriosas. Tandem in Hispaniam reversus, á Rege Catholico electus est Episcopus Carthagenæ, & postea Episcopus Civitâtis Argenteæ, sed ante Bullarum expeditionem sanctissimé decessit in cœnobio Toletano. *D.* Apud Indos in Urbe Truxilli mors pretiosa Ven. Joannis de Almaraz, ex illustri nati prosapia; sed fuit sanctimonia illustrior; fuit enim insignis pœnitentia, oratiône, charitâte, humilitâte, obedientia, modestia, & castitâte, quam usque ad ultimum servavit spiritum. Post plures in Ordine dignitâtes, electus est Episcopus Fluminis Argenti, sed ante consecrationem gravi, & lethali morbo correptus est, ubi in extasim raptus, sic ad Deum loquebatur: Ad Purgatorium, Dominè? Ad Purgatorium? Sis semper benedictus. Eamus; locus pacis est: & Crucifixum rara animi teneritûdine exosculatus, cum magna sanctitâtis opiniône hac die expiravit. *E.* In Insula Mallorchi óbitus Ven. Virginis Catharinæ Thomasiæ, quæ, cum a parentibus pauperibus nata esset, ab his cogebatur spicas in agro colligere ad vivendum, his occupatæ apparuit Jesus Christus Crucifixus, illi dicens amicabiliter: Filia Thomasia, tu mea eris. Aliis apparitiônibus ditâta, quamvis á dæmone graviter tentâta, statuit inter moniales degére, ut Domino ardentius deserviret; sic monialis facta est in cœnobio Ordinis, titulo S. Mariæ Magdalenæ, ubi omnibus cæpit virtûtibus, & præcipúe humilitâte clarescere. Continûæ oratiôni vacabat, & orando noctes ducebat in somnes, plures extases habendo: ob quæ invidia motus sus avernalis illam acriter crebris ictibus vulnerabat, sed ab his S. Catharina virgo Alexandrina mirabiliter illam curabat. Revelatiônem habuit de hora, in qua S. Pius Quintus expiravit. Erga Purgatorii animas claruit pietâte. & plures suis precibus liberâtæ illi apparebant grates exhibituræ. Christus eidem apparens protulit: Thomasia: vide, quantum pro te tuli: ex qua visione tantum concepit doloris, ut quasi semianimis videretur. Tandem multis aliis cælestium visionibus recreâta, & méritis, & claris miraculis exornáta, hac die in cœlum translâta est. *F.* Eodem die memoria Ven. Thomæ á S. Cruce Hiberni, de quo fertur fuisse martyrio coronâtum.

COMMENTARIA.

AD DIEM QUINTUM APRILIS.

A. B. Juliana nata est Leodii anno 1193; post quinquennium in domum Montis Cornelii adducta est, ubi inter moniales pie educâta, postea monasticum induit habitum sub regula S. P. Augustini. Circa annum 1208, ætatis jam *16.* annorum, primum in luna aspexit signum, & biennio postea translacto, divinitus agnovit festum SS. Christi Corporis in tota Ecclesia firmiter esse stabiliendum. Cum tamen viginti perannos recusasset divinum de novo illo festo decretum propalâre, accidit, Abbatissam eligi cœnobii sui post obitum B. Sapientiæ, de qua prima Maii agendum est, circa annũ *1230*, & tunc cæpit tale arcanum aperire, & consulere circa illud sapientes, interquos unus fuit Guiardus Episcop. Cameracensis. Anno *1240* ob dirutam habitationem decessit in Urbem ad B. Evam recluſam, & inde ad ædes Canonici S. Martini Joannis de Lausinia; sed post triennium restitûta est per sententiam, & authoritâtem Episcopi Roberti. Mox B. Juliana, relicto Monte Corneliano ob intestina,

teſtina, & Leodienſium, & montis Cornelii diſſidia, diſceſſit ad monaſteria Ciſtercienſium ſanctimonialium, & inde ad montem Roberti, & Vallem benedictinam, prope Leodium, & Vallem B. Mariæ prope Hujum: verum ex his locis diſcedere coacta, abiit Namurcum, ubi degit, & primum apud Beghinas, paupertâte, dein in domum Archidiaconi Leodienſis, unde in Abbatiam Salſinienſium ſanctimonialium, etiam Ciſtercienſium, migravit. Demum circa annum 1256 coacta é Salſinia excédere, migravit Foſſas, ubi, poſt vitam in omnium virtûtum génere exactam, multis clara prodigiis, obdormivit in Domino anno 1258 ætatis 66. Nonis Aprilis feria 6. poſt Octavam Paſchæ, quod dicto anno celebratum eſt die 24. Martii. Ita refert Henſchenius in Actis SS. hac die fol. 437, ubi cum pluribus de illa agit. Ex NN. de illa, tanquam noſtri Ordinis alumna, agit Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 222. Ejus vitam ſcripſit Guilelmus Fannius Canonicus Leodienſis anno 1608.

His tamen veris non obſtantibus, litigant pro ipſa B. Juliana Præmonſtratenſes, & Ciſtercienſes, quorum quiſquis eam ſuo vendicat inſtitûto, nulla de noſtris facta mentiône, ut patet in P. Fr. Chriſoſtomo Henriques hac die in ſuo Menologio, & in Liliis ſui Ordinis diſtinct. 3. fol. 53, & Carolo de Viſch Ciſtercienſibus, & Petro Vaguénere Præmonſtratenſi apud Henſchenium, ubi ſup. qui addit, quod idem Carolus Ciſtercienſis, cognita rei veritâte, confeſſus eſt nec ſuis, nec Præmonſtratenſibus pertinére. Verum cum Henſchenio dicam, quod B. Juliana rarum affectum erga Ciſtercienſes hábuit, delectabatur enim ſcriptis S. Bernardi, & pulſa é domo Corneliana in Roberti montem in Vallem N. Dominæ, & inde in Salſiniam ſe recepit, & poſtremo Villarii ſepeliri voluit. Inſúper quia poſt mortem BB. Agnetis, & Oziliæ Sociarum ejus, coram Epiſcopo, cum Socia Eliſabetha ſe ſubdidit protectiôni Salſinienſis Abbatiſſæ, quoad viveret, ne abſque ſúperiore vivere diceretur. Quæ indicant multum juris in B. Julianam habere Ciſtercienſes, non tamen tale eſſe, ut per vel umbram verôſimile faciant, quod domus Cornelienſis fuerit inſtitûti Ciſtercienſis: imo poſt obitum B. Eliſabethæ Sociæ aſpiciens ſe ſolam remanſiſſe, præcepit é domo Montis Cornelii Ermentrudem vénire adſe. Quómodo ergo ſe ſolam apprehendere potuiſſet, ſi Salſinienſibus fuiſſet nova alterius regulæ profeſſiône accenſa? Addit inſuper Henſchen. cum Fiſeno: quod ex his efficitur ejuſdem tum inſtitûti fuiſſe, cujus fuerat, cum domum Cornelianam incóleret, ſivè in Auguſtiniana familia, ut vixerat, ita extremum poſuiſſe ſpiritum, & quidem extra monaſteria Ciſtercienſia in Recluſorio Foſſenſi. Imo cum ante óbitum B. Juliana a Ven. Abbatiſſa de Salſiniis rogaretur, ut in domo ſua ſuam eligéret ſepulturam, hoc facere recuſavit, ut etiam refert Chriſoſt. in Liliis ubi ſupra; quommodo ergo vel rogari debuiſſet, vel potuiſſet recuſare, ſi eſſet B. Juliana in domo Salſinienſi profeſſa? Ob hoc Fiſenus apud Henſchen. ubi ſupra; miratur, unde in mentem venit Molano, & aliis recentioribus ſcriptoribus, ut aſſererent B. Julianam Virginem Virginibus Ciſtercienſibus præfuiſſe? Et dat hujus ratiônem, quia ex illo tempore in hodiernum uſque diem viguit regula Auguſtiniana, & ſecundum hanc etiam vota ibidem émittuntur; neque ullum álibi ſúpereſſe Leodii familiæ Ciſtercienſis veſtigium.

Quantum ad Præmonſtratenſes, hi faciliter repelluntur, eoquia vera cum falſis confundunt. Verum enim eſt in Montis Cornelii cacumine ſui Ordinis habere cœnobium; attamen ad Montis hujus radices eſt aliud, quod noſtris pertinet, ubi aliquando tentarunt ſuum inſtitûtum introducere, ſed bréviter excuſſum eſt: cum ergo habeant cœnobium in ſúperiore Montis parte, & videant ad radices aliud; inferunt: ergo noſtrum: ſed mala eſt illatio, ut per ſe patet, quia conjunctio, ſeu approximatio, non eſt identitas, alias ex conjunctiône animæ ad corpus, mortuo corpore, moreretur anima.

Ut plenius autem oſtendatur, B. Julianam noſtris duntaxat pertinére, apponam teſtimonia veridica: primum eſt Jacobi de Vitriaco Cardinalis in Hiſtoria Occidentis cap. 25, ubi ait de monialibus ad radicem Montis Leodienſis habitantibus. Vivunt autem ſecundum S. Auguſtini regulam abſque proprio, & in communi ſub unius maioris obedientia, & habitu regulari ſuſcepto, perpetuam Domino promittunt continentiam. &c. Secundum eſt Henſchenii ubi ſupra, qui ait. n. 7. Fuimus, & nos in domo Corneliana', invenimus quæ tam ipſas ſorores ad pedem montis, apud quas etiam Eccleſia eſt, quam Fratres, qui

ſe

ſe Præbendatos vocabant, in domo harum procul diſtante, & civitâte propiore habitantes, utrobique in habitu nigro, qualis Sacerdotum fere ſæcularium eſt, & virginum in paternis vé ædibus continentium profitentium, idque ſub S. Auguſtini regula, abſque ulla mutâtæ unquam eo loci profeſſionis memória. Julianam autem ipſam picturæ omnes antiquæ, & novæ nigro in habitu repræſentabant. &c.

Addi poteſt, quod B. Julianæ imago extat in Eccleſia Corneliana ex una parte, & S. P. Auguſtini ex altera; & álibi eſt imago ejuſdem Virginis præ manibus Sacramentum altaris ſuſtinens, & ante ipſum genuflexa S. P. Aug. imago. Inſúper, ut refert Chriſoſtom. Henriq. in ſuis Liliis, dum de B. Juliana c. 4. Cum B. Juliana jam Linguam Gallicam, & Latinam légere didiciſſet, & intelligeret, Libros B. Auguſtini multo affectu legebat, illum que diligebat nimio cordis fervóre. Ex quibus omnibus ſatis conſtat non alteri, ſed noſtro duntaxat B. Julianam inſtitûto pertinere. Quantum ad ejus cultum, videatur Henſchenius ubi ſupra, ſicut & Magnum ſpeculum exemplorum V. Feſtum.

Epigramma ad B. Julianam.

Ex anagrammate Vinalia, quæ vox clauditur,
In nomine iſto: Juliana.

Feſta olim fieri fama eſt Vinalia dicta,
Uvarum quando cópia colligitur.
Hanc déderas orbi é cælo, Juliana, receptam,
Cum feſtum Chriſti Corporis eſſe facis.
Ergo Vetuſta facis fieri Vinalia rurſus,
Inſinuat nomen quæ, Juliana, tuum.

B. Ven. Joannes alumnus monaſterii Leodienſis noſtri Ord, qui cum eſſet vir innocens, licet non ſatis in Litteris inſtructus, tamen præ cunctis aptior apparuit B. Julianæ, ut Officium Corporis Chriſti cum ipſa compóneret, quod fecit deſuper illuſtratus, nam ille ſcribens, & B. Juliana orans illud, omnibus ſtupentibus, edidêre. Prima hujus antiphona incipiebat: Angelorum cibus: &c. & in Eccleſia Tungrenſi, & aliis in locis recitabatur, quoad uſque Urbanus IV. Officium á D. Thoma de Aquino compoſitum, ubique recitári mandavit. Cum ergo ejuſdem cœnobii Prior eligeretur, pie creditur deceſſiſſe. Chriſoſt. Henriques ubi ſupra.

Epigramma ad Ven. Joannem.

Dum Moyſes, palmas tollens, cælum ore precatur, *Exod. c. 17. n. 11.*
Arma movens populus quit ſúperâre ſuus.
Dum Juliana rogat, fit dextera prompta Joannis,
Nil factum, iſtorum ſi quis abeſſet, erat.

C. Ven. Joannes de Viveros ortus eſt Valliſoleti, ſeu Palentiæ, ut dicitur, ex nobili familia, ad quam comitâtus de Fuenſaldana devênit: in domo Salmanticenſi habitum ſuſcepit. Anno *1557* in Peruntem venit, ubi poſt multos exercitus labores pro gloria Dei, & multis illuſtratus virtûtibus, in Hiſpaniam venit, ubi á Philippo Prudente ad infulas deſignatur, ſed morte prius interceptus, in cælum aſcendit coronandus anno 1580. De illo agunt Calancha lib. 1. Hiſtor. Peruntinæ c. 29, & lib. 2. c. 21, 29, & 30, Herrera tom. 1. Alph. fol. 404. Elſſ. in Encom. Torelli in Centur. c. 50. fol. *578*, & tom. 8. Sæculorum pluribus in Locis, Portillo tomo 2. fol. 47. hac die; Joſeph. á D. Anton. in Flore SS. tom. 2. fol. *365*.

D. Ven. Joannes de Almaras Salmanticæ ad lucem prodiit ex nobiliſſimis Alphonſo de Almaraz, & Eleonora Portocarrero. Exiit in Litteris, & virtûtibus præclarus. Fuit in Academia Limenſi Sacrorum Librorum interpres; poſt varias in Ordine dignitâtes electus eſt Epiſcopus Fluminis argenti, ſed ante conſecratiónem Truxili

Vir-

Virgo, & Septuagenarius sancte decessit hac die anno 1592. De illo agunt Herr. ubisup. fol. 409. Portillo hac die tom. 2. fol. 51. Elss. Brulius in Histor. Peruana, Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 179. Josephus á D. Antonio ubi sup. fol. 366.

E. Ven. Catharina Thomasia in insula Mallorchi orta est Kalendis Maii an. 1531. Oves cum pasceret, á summo Pastore vocata est adnuptias; obediit, & caules Religionis ingrediens die 13. Nov. an. 1552, ibi se multis, & heroicis ornavit virtûtibus, & claruit prodigiis, donec ad nuptias Agni vocata est hac die anno 1576. Agitur de ejus beatificatione. De illa agunt anonymus quidam ex NN. in lib. m. s. Monialium Ordinis, qui in Archiv. hujus cœnobii custoditur, Jorda tom. 3. Histor. Mallorchi lib. 1. c. 10. fol. 487. n. 1, ubi de illa ait: In hoc cœnobio S. Mariæ Magdelenæ jacet Ven. Mater Soror Catharina Thomasia, cujus vita impressa currit, filia ejusdem cœnobii, & speratur quantòcius ejus beatificatio, Josephus á D. Antonio tom. 2. Floris SS. fol. 179. Ex exteris Joannes Albrinus Canonicus, & Inquisitor Mallorchinus, & D. Petrus Caldes Carthusianus.

F. Ven. Thomas á Cruce Rhicardi Furlon, & Joannæ Sinotæ Guexfordiæ in Hibernia, & Diœcesi Fernensi incolarum filius, hac die an. 1614 in Salmanticensi domo professionem emisit; postea, ut narratur, martyrio coronatus est, sed non dicitur unde, & quando. Videantur Herrer. tom. 2. Alph. fol. 447, & Elss. in Encom. Lit. T. fol. 659.

OCTAVO IDUS APRILIS.

VI.

ATrecis in monasterio S. Lupi óbitus S. Winebaudi Abbatis, ubi sub Augustiniana regula florens, rara parcimonia vixit, taliter, ut quadraginta dierum jejunium impransus observaret: duro jugo pro cervicali utebatur: simplicitâtem columbæ habuit, tandem innumeris clarus miraculis, hac die sanctissime decessit. *B.* Hac die memoria B. Sancti de Cora, qui á Religionis ingressu dedit suæ rara sanctitâtis indicia, hæc cum rara scientia conjungens. In charitâte erga Deum, & homines alter fuit Seraphim, in concionibus alter Paulus, & Christi perfecta figura: ab innumeris utriusque sexus sequebatur, quos pluribus diebus solo Dei verbo sustentabat, & quousque vox ejus in agris prædicantis audiebatur, imminentibus ubique tempestatibus summis, & imbribus abundantissimis, eousque serenitas summa supra omnem multitûdinem perseverabat. Plures animas ad Christum lucrifécit. Cum que innumeris méritis, & miraculis claruisset, in pace quievit. *C.* Eodem die memoria B. Sancti de Surrento, qui in Provincia terræ Laboris magna sanctimonia coruscavit. *D.* Senis in celebri Iliceti cœnobio depositio Ven. Sabini de Sabinis, viri prædíti columbæ simplicitâte, & tantæ fuit oratiôni, ut callos in genibus durissimos enutriret. Post aliquot in Ordine dignitâtes; in gravem morbum incidit, & ante óbitum extasi profunda raptus, & in se reversus dixit circunstantibus: Gaudeamus, gaudeamus, Fratres charissimi, en Pater advénit, & ecce apparuit Ven. Fr. Joannes á S. Guilelmo, a quo Sabinus amplexatus, dixit: Erimus in Paradiso æterna beatitûdine fruituri. Tandem postulato extremæ unctionis Sacramento, maxima hilaritâte hac die spiritum suo tradidit Creatori. *E.* In Helvetia in cœnobio Sangallensi Obitus B. Notkeri monachi, & discipuli S. Galli, ubi mira sanctimonia florens, & multis resplendens miraculis, hac die ad superos coronandus migravit. *F.* Taurini in cœnobio S. Caroli pretiosa mors Ven. Joannis Chrisostomi Excalceati, viri egregiæ simplicitâtis, & puritâtis, hanc etenim interius, & exterius, quoad vixit, servavit. Claruit obedientia, & continûa chori assistentia, & erga omnes affabilitâte, & rerum

cœnobii Zelo, & charitâte. Tandem ab omnibus æstimatus, pius, & devotus, inter suorum maxima desideria, hac die, qua óbiit, abiit. *G.* Valentiæ in cœnobio S. Juliani depositio Ven. Eugeniæ Ivanez ibidem monialis, quæ trium annorum facta, monialibus ad educutionem a parentibus commendata est, & taliter in educatione profecit, ut post professionem continuæ oratióni, & raræ pœnitentiæ operam navaret: continûis se jejuniis macerabat, addens in ore amariora adducere. Noctes fere omnes insomnis transibat in choro, & somno se tradebat supra tabulas innixa, ossum defuncti, ne mortis immemor fieret, in ore degustans. Ciliciis corpus gestabat oneratum. Humilitâtis amans, otii contemptrix, silentii observatrix, perfectius vota adimplevit. Cum habitu indigêret, illum mirabili éventu ob Deiparæ pietátem accepit. Prælaturas monasterii penitus rejecit, dicens, se illis susceptis damnandam. Tandem prædicens sui óbitus diem, & sic summa cum hilaritâte, splendoribus faciem circumdata in die Sancto Paschæ óbiit in terris, ut posset in cælis resurgere cum Christo. *H.* Trecis ostensio, & revelatio pretiosi capitis S. Lupi Episcopi, & Confessoris, quod hac die ex véteri scrinio translatum est in vasculum magnificum, auro, gemmis que decoratum.

COMMENTARIA

AD DIEM SEXTUM APRILIS.

A. S. Vinebaudus monachâlem vitam amplexus est Trecis in monasterio S. Lupi Episcopi, dequo 29. Julii, ubi vigebat institûtum Lirinense, imò, ut ait Henschenius hac die, inibi florebat institûtum monasterii Jurensis ob egregias virtutes nostrorum SS. duorum Fratrum Lupicini, & Romani: óbiit ergo sancte hac die anno 520; unde nullatenus Benedictinis póterit pertinêre, nec etiam Canonicis, qui in cœnobium prædictum ingressi sunt anno 1135 electo Abbate Gerardo, & eandem Augustini regulam observare cæperunt. Refert Henschen. in Actis SS. hac die cum Saussai, & aliis.

B. B. Sanctus de Cora floruit sanctitâte circa annum 1391. De illo agunt ex NN. Pamphil. in Chron. fol. 66. an. 1391, Crusen. p. 3. Monastici c. 21. fol. 163; Coriolanus in Chron. Herrer. tom. 2. fol. 378, Elss. in Encom. Lit. S, Portillo tomo 2. fol. 53. hac die, Nativitas Monte 2. Corona 10. fol. 462. n. 3.

Ad B. Sanctum Epitaphium.

Noscat, qui nescit, Sancti lux magna quiescit:
Aspice, nocturna vir tantus splendet in urna:
Valde in doctrinis céleber fuit hic peregrinis:
Mentes raptabat, rostris dum verba sonabat:
Obstupuit mundus, cum panderet ora profundus:
Sistere pendentes pluvias, in plebe cadentes,
Sæpe egit: multos vitiis levat ipse sepultos:
Ignorans crimen, cæli subit ob bona limen:
Unde Deus Sanctum fausto beat omine tantum:
Tantæ virtûtis vir fulgeat æde salutis.

C. B. Sanctus de Surrento floruit in Provincia Terræ Laboris raris sanctitâtis indiciis, ut de illo testantur NN. Roman in Chron. m. s. & Herrer. tom. 2. Alphab. fol. 379. Elss.

D. Ven. Sabinus de Sabinis Senensis in Iliceti cœnobio habitum assumpsit 15 Aprilis an. 1557, & anno sequenti professus est. Erat jam perfectæ ætatis, & Sacræ Theologiæ Lector. Floruit nimia simplicitâte, & oratióne. Obiit sancte die 6. April. fer. 3. hora 10. an. 1617. Agunt de illo NN. Joannes Baptista de Aste Generalis in suo Registro an. 1608, Herrera in Alph. tom. 2. fol. 386, Torelli Cent. 6. c. 24. fol. 675. Landucci in Sylva Ilicetana fol. 133, Elss. in Encom. Lit. S, Portillo tom. 2, fol. 54.

54. Josephus á D. Anton. in Flore SS. tom. 2. fol. 188.

E. B. Notkerus Balbus floruit in cœnobio Sangallensi Helvetiæ fundato á N. S. Gallo, dequo 16. Octob; ubi sanctitâte, & miraculis clarus óbiit hac die an. 912. Quod autem hic Beatus sub Augustiniano vixerit institûto, satis liquet, quia institûtum ibi observatum erat idem á S. Columbano dispositum, & introductum á S. Gallo in tali cœnobio. Hoc certe erat satis diversum ab institûto Benedictino, erat enim Augustinianorum, ut asserit Henschen. hac die in principio: addens, quod anno 911. destructo cœnobio voverunt Fratres transire ad Benedictinos, sic que concludit: Nunc verò nihil est, quare S. Othmarum, & Sanctos in Sangallensi monasterio secutos ac nominatim hunc, dequo acturi sumus, Notkerum Balbulum, Benedictinis aliquis cunctetur adscribere. De hoc Latius 21. Novemb, cum de S. Columbano.

F. Ven. Joannes Chrisostomus natus est in civitâte Mondovi, inter Excalceatos professus est 27. Januar. an. 1660. Post viginti annos pie in Religione transactos, in cœnobio Taurinensi S. Caroli decessit hac die anno 1680. Agunt de illo P. Torrenensis in Relatione, & Joannes Bartholomæus Excalceatus. Lustro 18. fol. 307. n. 55.

G. Ven. Eugenia Ivanez Valentiæ orta est ex Josepho Ivanez, & Raphaela Cervera, monialis facta est in cœnobio S. Juliani, ubi multis illustrata virtûtibus, obiit hac die, & anno 1681. ætat. 80, Religionis 77. & post mortem revelavit Ven. Agneti cœnobii de Beniganim, dequa egimus die 21. Januar. quandam Monialem in cœnobio S. Juliani ob cubiculum incensum defunctam esse in via salutis, intercessione Deiparentis. Agit de illa N. Jorda tom. 2. lib. 4. c. 3. fol. 266. n. 2.

H. De Translatione S. Lupi Episcopi Trecensis agit Saussai hac die in Martyr. Gallico.

SEPTIMO IDUS APRILIS.

VII.

A Africæ memoria S. Severi Africani, qui S. P. Augustini motus sanctitâte, & doctrina, illius in Horti cœnobio discipulus factus est, cumque doctrina, & sanctitâte coruscaret, Episcopus Milevitanus Sacratus est, quod munus sanctissime exercens, felici fato denatus est. *B.* In monasterio Grandisvallensi Diœcesis Basileensis natalis S. Usonis monachi S. Galli, doctrina, pietâte, & miraculis glorioso. *C.* Hispaniæ in cœnobio S. Petri de Monte, per S. Fructuosum Bracharensem Archipræsulem fundato, depositio S. Urbani Abbatis sanctitâte celebris. *D.* Romandiolæ in cœnobio Miratorii memoria B. Arrighi Confessoris, raræ sanctitâtis miraculis comprobatæ viri; cujus corpus loci Prior transferre volens, & monumentum aperiens, lumen oculorum amisit, sed Arrighi intercessionem deprecâtus, repente lumen nactus est deperditum. Non paucis devolutis annis illius corpus locatum est in urna lapidea supra aram ejusdem cœnobii maiorem. *E.* Leodii in cœnobio Montis Corneliani transitus Ven. Ermentrûdis ibidem nostri Ordinis monialis, quæ sub B. Julianæ, cujus potita est consortio, disciplina, valde in virtûtibus profecit, donec multis purgata laboribus, hac die ad regnum pacis, & quietis evolavit. *F.* In Provincia Limensi memoria Ven. Didaci de Aranna, qui prius militiam sæcularem, postea Augustini castra secutus, méritis, & insignibus claruit virtûtibus; cum quibus vita sanctissime transacta, obdormivit in Domino. *G.* In cœnobio Conceptionis Metimnæ delcampo óbitus Ven. Apolloniæ de Jesu, quæ adhuc puella volens renovare vitam SS. antiquarum Marinæ, Eusrosinæ, & Eugeniæ, virilis sexus indumenta cingens, in Talaveræ cœnobio ad Oblati officium admitti

poſtulavit, ut Deo quietius vacaret; ſed á Germano ſuo quæſita, & inventa, poſtea in dicto cœnobio monialis facta, inter rara virtûtum exercitia, piiſſime hac die deceſſit. *H.* Matriti depoſitio Ven. Catharinæ de Jeſu noſtri Ordinis Mantellatæ, quæ poſt ſæculi nuptias, & varias peregrinationes, inter Mantellatas admiſſa eſt, & virtûtum omnium ſe ſplendoribus illuſtravit. In oratiône multas conſumebat horas, ubi plures é cælo nacta eſt favores. Acriter á dæmone fuit inſidiante tentáta. Claruit ſpiritu prophetiæ: fuit devotiſſima Paſſionis Chriſti, & interius dolores ejus manibus, pedibus, & látere ſentiebat; ſed poſt óbitum viſa ſunt ſigna cicatricum ſanguine manantium inpedibus, látere; & manibus, & in capite ſpinarum ſigna, quæ juſto examine comprobata ſunt. Obiit relicto magno ſanctimoniæ odore hac die in Feria Sexta Paſſionis, ut ipſa á Deo antea poſtularat. *I.* Xativæ defunctio Ven. Catharinæ Ximeno, quæ vitam Mantellatarum ſecuta, claruit puritáte, quam multa pœnitentia, ciliciis, & diſciplinis, quo advixit, illibatam conſervavit. Continûæ oratiôni vacabat, ſolitûdinem amabat, converſationes abhorrebat, ſacramenta frequentabat, donec expleto ſuæ vitæ curriculo, magna ſui opiniône relicta, ad præmium volavit ſibi in cælo præparatum. *L.* Ibidem memoria Ven. Eliſabethæ Joannis Garciæ, etiam Mantellatæ, quæ in omnium virtûtum claruit génere; frequentabat ſacramenta, continua in oratiône erat; claruit pœnitentia, humilitáte, patientia, ſilentio, charitáte, & puritáte, ob cujus conſervationem ſtans in agro, & á laſcivo milite invaſa, clamoribus, & viribus a cælo acceptis a periculo triumphavit, ſed inde morbum contrahens mortálem, breviter pie ad virginum choros creditur deceſſiſſe. *M.* Hac die ordinatio S. Patritii Epiſcopi, & Hibernorum Apoſtoli. *N.* Hiſpali in Hiſpania Translatio S. Leandri Epiſcopi, & Confeſſoris, quæ facta eſt hac die, quando ejus Sacrum corpus ex Eccleſia SS. Juſtæ, & Rufinæ ad Sedem Cathedralem translatum eſt. *O.* Hac etiam die Translatio S. Victoriani Abbatis monaſterii Aſſani noſtri Ordinis, quæ celebrata eſt hac die, agente Sancio Rege Aragoniæ, ab Eccleſia S. Ruffinæ, ubi per ducentos, & ſexaginta annos jacuerat ad Caſtrum Alquever, & inde ad monaſterium Montis Aragoniæ prope Oſcam, ubi nunc caput cum toto corpore, excepto brachio, honorifice habetur. In quo cœnobio quando quiſpiam illius cœtus óbiturus eſt, Sanctus eos, arcam, in qua latet, triplici ictu tangens, præmonere dicitur. *P.* Hac die Abdicatio ſummi Pontificatus, quam N. B. Amadeus, dictus Felix Quintus, in manibus Nicolai quinti veri Pontificis fecit, intercedente S. Nicolao Tolentinate, electo ab Eugenio Quarto Eccleſiæ patrono, & exinde uſque ad præſens ſchiſmata ceſſavére. *Q.* In Monte Cornelio apud Leodium translatio prima B. Julianæ Virginis, quæ cum obiiſſet nonis Aprilis, biduo élapſo translata eſt ad cœnobium Villarienſe Monialium Ciſtercienſium, ubi ejus corpus inter corpora ſacra collocatum eſt.

COMMENTARIA.

AD DIEM SEPTIMUM APRILIS.

A. S. Severus diſcipulus S. P. Auguſtini in Horti monaſterio, & poſtea Epiſcopus Milevitanus, ibi ſancte óbiit circa annum 424. Hujus ſancti diſcipulus extitit S. Severinus Noricorum Apoſtolus, de quo actum eſt die 8. Januar. De S. Severo agit S. P. Aug. Epiſt. 105, unde illum appellat valde doctum, eximium verbi Dei præconem, virtûtibus ornatum, & Sanctum. Item de illo agit N. Portillo hac die tom. 2. fol. 55.

B. S. Uſo monachus N. S. Galli in monaſterio Grandiſvallenſi, ibi ſancte obiit 7. Aprilis an. 872. De illo agunt Henricus Mureri in Helvetia Sacra fol. 198, Ekebardus c. 2. lib. de Caſibus monaſticis S. Galli, Henſchen. in Actis SS. hac die in prætermiſſis. Illum fuiſſe n. Ord. patebit 18. Octob, cum agendum ſit de S. Gallo.

C. S. Urbanus Abbas S. Petri de Montibus, quod eſt cœnobium Hiſpaniæ fundatum á N. S. Fructuoſo Archipræſule Bracharenſi,

charensi, de quo 16. Aprilis. De illo agit Henschen. in Actis SS. hac die in Prætermissis, & P. Yepes, & plures sui Ordinis, solito de more sibi vendicant, sed illorum non apparet fundamentur: unde fas sit adducere éventum Neanthi, de quo Politianus in Nutricia cecinit, ut refertur in Dictionar. Histor; & Poetico Lit. N.

Improbus ille chelym stulte affectâre Neanthus
Ausus, Apollinea pendentem sustulit æde:
Quem tamen indocto ferientem pollice chordas
Vindice discerpsit rictu nocturna canum vis.

D. B. Arrighus claruit in cœnobio Miratorii, Provinciæ Romandiolæ, magna sanctitâte circa annũ 1350. De illo agunt Pamphil; Herrer. Lit. M. fol. 119, & fol. 332. tom. 2. Torelli Centur. 3. c. 20. fol. 262, Elss. in Encom. Portillo hac die tom. 2. fol. 56: & alii plures.

E. Ven. Ermentrudis Virgo, & monialis Leodiensis in cœnobio Corneliano, ubi vixit cum B. Juliana Leodiensi, de qua 5. Aprilis. Utranque inter suas numerat Chrisostomus Henriques Cistercienſis in suo Menologio die 5, & 7 hujus mensis; attamen improbalitâtem illius ostendimus die 5. hujus; hac die verò Henschen. in prætermissis loquens de Ermentrude ait: Dedimus vitam B. Julianæ 5. Aprilis, & diximus eam probabilius vixisse secumdum regulam S. Augustini. Interim quotquot nominantur istius loci sanctimoniales cum titulo Beatæ, variis locis istius Menologii sint inscriptæ: nos in Monte Cornelii omnia discussimus, ut témere titulum Beatæ tribuamus Julianæ, & Sororibus ejus, & pro Juliana quidem certa satis sunt omnia, pro aliis nec umbra quidem probabilitâtis extat: Ex quibus, inquam satis aperte colligitur, tum B Julianam, tum Ermentrudem ejusdem in eodem cœnobio sodalem non Cistercienſibus, sed nostris pertinêre.

F. Ven. Didacus de Aranna Hispanus nobilis, & dives, filius Didaci de Aranna, & D. Mariæ Lopes de Armendurva: in Peruntina provincia in militia invictum robur patefecit. Postea mundi fallaciis fatigatus, & V. Fr. Joannis de Pineda exemplo commotus, Limæ induit habitum 31 Mart. an. 1559, & professionem emisit 7. Aprilis anno 1560: vixit eximiis méritis, & virtûtibus, cum quibus exornatus viam universæ carnis ingressus est anno 1580. De illo non sine laude agunt NN. Herrera tom. 1. Alph. Lit. D. fol. 192, & Lit. S. dum de Ven. Joanne de Pineda fol. 420, Torelli Centur. 5. c. 74. fol. 601; & tom. 8. Sæculor. fol. 472. n. 8; Elssius Lit. D; & alii.

G. Ven. Apollonia de Jesu orta est in Metimna delcampo, habitu Mantellatæ assumpto, voluit inter Recollectas dégere, sed repulsam passa est, post tamen habitu masculeo induta, inter Discalceatos ut Donatus aliquandiu vixit, quæsita tamen, & inventa, in domum suam reversa, raris claruit sanctitâtis indiciis, & pie óbiit 7. Aprilis in die Jovis Sancti anno 1605. De illa agunt. NN. Viller. tom. 1. lib. 4. §. 3. fol. 174; Andreas á S. Nicolao in Chron. Discalceat Decad. 2. c. 5. fol. 407, Josephus á D. Antonio in suo Iman spirituli fol. 89. num. 75, & fol. 185. num. 22.

H. Ven. Catharina de Jesu, post sæculi nuptias, mantellata Ordinis facta est, quæ raris méritis, & Christi stigmatibus, nonnullis que signis illustrata, sancte decessit hac die in feria Sexta Passionis an 1674, ætat. 52, sepulta que est in cœnobio Matritensi Excalceatorum. Plura de illa referunt NN. Ludovicus de Jesu fol. 248, Josephus á D. Antonio in suo Iman fol. 90 num. 76, & fol. 198. n. 58, Arpe tom. 1. fol. 217.

I. Ven. Catharina Ximeno Xativæ incola, ibi inter moniales Ordinis professa, raro cum sanctitâtis exemplo decessit hac die anno 1695, & cœnobio nostro Xativæ tumulâta est. Agunt de illa NN. Jorda tom. 2. lib. 3. c. 44. fol. 228, n. 12, Jophus á D. Anton. in suo Iman. fol. 97.

L. Ven. Elisabetha Joannes ibidem etiam mantellata, cum pari pietâte decessit anno 1692, ut referunt Jorda, & Joseph. á D. Anton. ubi supra.

M. Ordinatio S. Patritii Episc; hac die agit de illa, & in 17. Martii Henschen. in Actis SS.

N. Translatio S. Leandri Archipræsulis Hispalensis ad Ecclesiam Cathedralem facta est hac die. De illa agit Henschen. in prætermissis, & in die 27. Februar.

O. Translatio S. Victoriani Abbatis monas-

monasterii Assani, qui óbiit 12. Jan. anno 561, sepultus que est in Ecclesia S. Justæ, quæ est in loco Ainsæ, ubi per 260 annos permansit, & inde agente Sancio Aragoniæ Rege an. 1085, delatus est ad cænobium Montàragon, ubi in cænobio ab eodem Rege constructo collocatus est in altari S. Victoriano dicato. De hac Translatiône agunt N. Jorda tom. 3. in vita ejusdem fol. 49, & Henschen. ibid 12. Januar. in fine vitæ ejusdem Sancti. Vide 11. hujus.

P. Cessio Pontificatus facta est hac die, & anno 1449 á N. B. Amadeo Duce Sabaudiæ in manus Nicolai quinti veri Pontificis. De illa agunt N. Jacob. Font in suo Viridario SS. Ord. fol. 164, & Causinus in suo Diario hac die; & plures alii, cum Guilelmo Burio tom. de Pontific. ubi Sect 22. de Pseudo--Pontificibus fol. 388 ait, quod cedente B. Amadeo per orbem dicebatur.

Lux fulsit mundo, cessit Felix Nicolao.

Q. B Juliana óbiit 5. Aprilis anno 1258 feria 5. ætatis 66. quo anno Pascha fuit 24. Martii, Cyclo Lunæ 5, Solis 7. Lit. Dom. F, & sepulta est die 7. ejusdem mensis, & anni in cœnobio Villarii Cistercienſium inter nonnullos BB. ejusdem Ordinis, quorum mentio fit in Actis SS. ubi agitur de hac Translatione, & apud Saussay in Martyrologio Gallico tom. 1. fol. 192, & apud Auctorem Florarii m. s.

SEXTO IDUS APRILIS.

VIII.

A. Romæ in Urbe véteri depositio B. Clementis de Auximo, viri incomparabilis sanctitâtis, ob quam ad summum Religionis clavum gubernandum, bis, & amplius coacte electus est, quod munus summa cum prudentia, & sanctitâte exercuit multos per annos; sub cujus regimine ad summum sanctitâtis apicem Religio ascendit; constitutiônes ordinavit, studia disposuit, anniversaria pro animabus instituit, illi enim manes parentum, Fratrum, Benefactorum Ordinis suffragia postulaturi apparuére. Tandem senio confectus, eximia sanctimonia, & miraculis illustrâtus, hac die in cœlum migravit; cujus corpus per plures hebdomadas jussu Nicolai Quarti ibi existentis mansit insepultum, & ad illud deosculandum innumerabilis utriusque sexus advénit multitûdo, ob plura ibi ab eo prodigia patrata erga plures ægrotos, cæcos, & claudos, quibus Deus ob preces B. Clementis perfectam impertiit sanitâtem: & cum sacratum ejus corpus tumulo tradendum erat, illud Pontifex Nicolaus quartus suis manibus, juvantibus Cardinalibus, sepelivit. *B.* Romæ in cœnobio S. Nicolai transitus Ven. Zachariæ á Visitâtione Excalceati, & ibi magna vitæ sanctimouia, multis que bonis operibus, & virtûtibus, præcipûe silentio, & oculorum mortificatione clarus, hac diæ naturæ debito, felici fato, satisfecit. *C.* Genuæ in S. Remo Excalceatorum óbitus Ven. Michaelis Angeli á S. Justina Genuensis, viri obsérvantia Religionis singularis; erat enim in choro assiduus, silentii amator, & semper lætus. Cum P. Antero Maria etiam Excalceato pactum fecit, ut qui prior moreretur, de suo statu alterum quantócyus certum fáceret: prior mortuus est Ven. Michael, qui apparens alteri confratri junctis manibus, & oculis in cælum erectis dixit: tibi laus, tibi honor, tibi gloria, o sancta Trinitas; his que dictis evanuit: alteri etiam apparuit dicens: non sum mortuus, sed in æternum vivam. *D.* Valentiæ in cœnobio S. P. Augustini pretiosa mors Ven. Onuphrii Llorens viri egregiæ sapientiæ, ob quam laurea doctorali donâtus in Academia Valentina, Cathedram Vespertinam per triginta annos raro cum applausu occupavit. Quendam typo superbiæ, inflatum, asserentem que esse Spiritum sanctum, quem nemo confundere valebat, ille solus confudit, hoc argumento:

Spiri-

Spiritus Sanctus omnia cognoſcit, & ſapit, omnia enim, etiam Dei profunda, ſcrutâtur; ſi ergo tu es Spiritus Sanctus, omnia debes ſápere: dic ergo mihi, quæ res eſt Borumballes? Quo dicto impoſtor inſanus manſit confuſus, & erubeſcens. Valentiam deſeruit, & populus inſipiens impoſtoris abominâtus eſt fallacias. Claruit Ven. Onuphrius prædicatiône. Plures in Religione adeptus eſt dignitâtes, ubi rara ejus prudentia reſplenduit. Nec minor ejus fuit ſanctimonia, erat enim multus in oratióne ante imaginem Deiparæ. Donec annis, & méritis cumulâtus, piiſſime animam efflavit, quo tempore ejus anima viſa a quodam Laico pio eſt genuflexa in ara Deiparæ de Gratia, cum tunica alba, orans, ut ſibi moris erat, & ad ejus exequias celebrandas innumerus advénit concurſus. *E.* Ulyſſipone in cœnobio maiori Gratiárum depoſitio Ven. Emmanuelis á Gratia Sacerdotis, viri egregiæ pietâtis; erat enim aſſiduus in choro, tam diurno, quam nocturno, rigidæ pœnitentiæ obſervator; ſuper nudas tabulas ſomni horas præteribat; nonniſi obſoletis, & pene conſumptis veſtibus tegebatur: & incibo ita parcimoniam adamavit, ut ſibi conceſſam quotidie cibi portionem fere in tegram pauperibus impertiret. Donec apud omnes acquiſita raræ pietâtis opiniône, ut pie creditur, deceſſit. *F.* In Gallia in cœnobio Urſulinarum de Lenderneau defunctio Ven. Franciſcæ á S. Franciſco de Paula ejuſdem monaſterii fundatricis, quod Sanctis legibus, & raro ſuæ vitæ exemplo ſtabilivit; nihil enim in ſuo regimine, niſi prius, Jeſu, Mariæ, & Joſepho ſeſe commendans, operata eſt: claruit obſervantia; donec ſuæ ſanctitâtis erga omnes rara relinquens teſtimonia, hac die ex miſeriarum ergaſtulo egreſſa eſt, & pompa cum debita dicitur tumulâta. *G.* Hiſpaniæ in cœnobio Trinitâtis Oppidi Morellæ memoria Ven. Luciæ Petri ſanctimonialis multæ Religionis, & magnarum virtûtum; floruit enim oratiône, pœnitentia, modeſtia, devotiône, & chori aſſiſtentia, ubi nullum verbum extra divinum Officium loquebatur; quibus exornata virtûtibus ſupremum diem explevit ſumma cum ſanctitâtis opiniône; & eâdem, qua ſepulta eſt, die apparuit indicans pro levibus culpis in Purgatorio detineri, & inde bréviter, tribus ſacris celebratis, eſſet egreſſura.

COMMENTARIA

AD DIEM OCTAVUM APRILIS.

A. B. Clemens de Auximo, de Urbeveteri, ſeu de S. Elpidio, Provinciæ Anconitanæ alumnus, fuit homo miræ clementiæ, & inexplicabilis ſanctitâtis, Deo, & hominibus gratiſſimus, qui in vita, & morte multis claruit miraculis. Bis in Ordinis generalatum aſſumptus, bis munus conſtanter rejecit. Donec annis, & multis glorioſe geſtis conſummatus die 8. Aprilis an. 1290, in Urbeveteri in cælum migravit; & propter miraculorum pluralitátem, & magnitudinem per plures hebdomadas de mandato Nicolai quarti inhumatus permanſit, aſſerentis dignum non eſſe, corpus tantæ ſanctitâtis terræ dari. Ubique titulo, & diademate Beatorum decoratur, & apud me extat illius imago cum célebri elogio depicta. Corpus B. Clementis anno 1572 repertum eſt inter ſacriſtiæ loculos, ubi in capſa reconditum minus decenter ſervabatur; ſed é Roma digrediens N. D. Fr. Auguſtinus á Caſtro, alias de Jeſu, & aliquandiu in cœnobio Urbis veteris commoratus, theſaurum corporis B. Clementis inventum, non iterum abſcondit, ſed decentius cuſtoditum in honoratiorem tranſtulit locum, ut referunt N. Torelli, & Acta SS. infra. De illo agunt ex NN. B. Jordanus Saxo in Vitis Fratrum, Coriolan; Gelſomin, Herrer. tom. 1. fol. 132; Torelli Centur. 2. cap. 28. fol. *162*, & tom. 5. Sæculor. fol. *12*; an. 1291, Elſſ. in Encom. Lit. C. fol. 148, Cruſen. p. 3. c. *6*, Strambel, Pamphil; Seripand. Officium antiquum Ordin. Venetiis impreſſum an. 1500, Portillo tom. 2. fol. *57*. Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. *185*. Joſephus á D. Anton. in Flor. SS. tom. 2. fol. *15*. Ex exteris Bzovius tom. 13. Annal. Eccleſ. ad ann. 1290, Baldi in Cathalogo SS. Auximatum, Henſchen. in Actis SS. hac die tom. 2. Aprilis fol. 805.

Epigram-

Epigramma ad B. Clementem.

Quàm rara eſt virtus, ditat quam fabula nulla:
Laudibus innumeris eſt ea digna coli.
Sic eſt Clementis, qui noſtra ad clauſtra reductus,
Clarior eximia Relligione fuit.
Præſul ob hæc lectus, nomen, quod habebat, adimplet:
Plús illo clemens Ordine nemo fuit.
Virtûtum exemplis, miris que inſignior actis,
Sanctus obit, fuerat ſanctus, ut acta probant.
Occubuit Clemens, ſed nunc eſt omine Felix:
Felix dicendus, qui, velut ille, perit.

B. Ven. Zacharias á Viſitatiône natus eſt in Oppido Caprodroſſo in Ancona Diœceſis de Montalto circa an. 1566, ex Salvatore; dictus eſt in baptiſmo Hieronymus, inter Excalceatos habitum induit Laicalem an. 1603 die 2. Julii, & Deo per tria vota ligatus eſt die 4. Julii an. 1604 in cœnobio S. Pauli Regulæ: vixit in Religione 22 annos, magna obſervantia, modeſtia, & ſilentio. In Fermi cœnobium translatus, eumdem vitæ ſecutus eſt ténorem; inde Romam petiit, unde ſatis in virtûtibus exercitus, ſancte deceſſit anno 1625 die 8. Aprilis, non autem 26. Aprilis, ut dicitur in lemmate ad ejus imaginem impoſito, quod extat in cœnobio Excalceatorum Eborenſi. De Ven. Zacharia agunt ex NN. Herrera tom. 2. fol. 569; Elſſius in Encom. Lit. Z; Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 228, Joan. ab Aſſumptione, Joannes à S. Jacobo, P. Epiphanius, Joannes Bartholomæus Luſtro 7. n. 178. fol. 229.

C. Ven. Michael Angelus á S. Juſtina Genuæ ortus eſt ex Franciſco Ferrari, & Victoria Brignola an. 1618, cum quindecim annos expleſſet, ibidem in cœnobio S. Nicolai Excalceatorum admiſſus anno 1633 die 20 Aprilis, profeſſionem emiſit die 23. Aprilis an. 1634, óbiit pie Genuæ in S. Remo an. 1647. hac die, ætatis 29, & Religionis 14. De illo tractat N. Joannes Bartholomæus Luſtro 12. n. 14 fol. 371.

D. Ven. Onuphrius Llorens Valentiæ mortalitâtem induit, parentes que habuit Ludovicum Llorens, & Magdalenam Monfat: ibidem inter noſtros aſſumptus eſt, dieque 8 Martii an. 1598 profeſſus eſt. Fuit doctiſſimus, & in Academia Valentina Veſperarius; inter rara virtûtis teſtimonia hac die pie deceſſit anno 1658. De illo plura refert N. Jorda tom. 1. Hiſt. Valent. lib. 2. c. 16. fol. 504:

E. Ven. P. Emmanuel á Gratia ortum habuit in Oppido Matozinhos ex Andrea á Gloria, & Eliſabetha Camóa, & ſacro eſt piatus lavacro in parochia S. Michaelis de Palmeira: Lixbonæ profeſſus eſt 8 Octob. an. 1665. tempore magiſtri Novitiorum Fr. Joſephi ab Angelis. Claruit egregiis virtûtibus, & pluſquam 50. annos ſupra nudas tabulas ſe ſomno tradidit: óbiit pie hac die anno 1726. Hæc de illo aſſerimus, quia quæ vidimus, teſtamur; & ſuſcipi noſtrum prómeret teſtimonium.

Epigramma ad eumdem.

In nuda, Emmanuel, tabula dormire ſolebas;
Nec tibi valde humili mollia ſtrata placent.
Agnoras, ut opinor, humi non eſſe quietem:
Sic cælum aſpiras; eſt ubi plena quies.

F. Ven. Franciſca á S. Franciſco de Paula, ſeu Kerovatas, profeſſa eſt inter Urſulinas in cœnobio S. Pauli de Leone, & poſtea fundatrix, & Priorſſa cœnobii de Landerneau, ubi raro degens pietatis exemplo, hac die deceſſit an. 1659. Agitur de illa in Hiſtor. Urſulin. Galliæ fol. 78.

G. Ven. Lucia Petra in Hiſpania prope oppidum Morelle orta eſt ex Antonio Petro, & Joanna Aleva: in cœnobio Sanctiſſimæ Trinitatis ejuſdem oppidi admiſſa, ibidem profeſſa eſt 19. Januar. an. 1610,

ubi

ubi, quoad vixit, clara floruit sanctitâte, qua óbiit in mense Aprili anno 1630; & post obitum audita est ante dormitorii Crucem globulos Rosarii movére; de quo monitus Ven. P. Guimera Franci canus, magnus Dei servus, á Domino rogavit, quid hoc significaret, & responsum ab illo accepit, esse animam Ven. Ludovicæ Petræ pro culpis levibus in Purgatorio patientem, & inde post tria sacrificia celebrata egressuram. His verò celebratis non amplius ante Crucem sonus ille Rosarii auditus est. Refert N. Jorda tom. 2. Histor. Valentiæ lib. 4. c. 14. fol 447. num. 10.

QUINTO IDUS APRILIS.

IX.

A. Romæ Translatio corporis S. M. Monicæ bis Matris S. P. Augustini Episcopi, quod ex Ostia Tiberina, unde fere per mille, & viginti annos jacuit in Ecclesia S. Aureæ, agente Martino quinto Pontifice Maximo, Maphæo Vegio Laudensi, B. Augustino de Roma Generali, & Sacrista, Confessario, & Bibliothecario Pontificis, Petro Assalbitio Episcopo Electensi, & Ven. Antonio de Fano Alphonsi 5. Aragoniæ Regis Confessario, & legato ministrantibus, in urbem translatum est, & primo in Ecclesia S. Triphonis collocatum, multis erga ægrotos claruit prodigiis; & postea in Templo S. P. Augustini maxima cum pompa tumulatum est. *B.* Lemóvicis in Gallia transitus S. Gaucherii Confessoris, nobili e prosapia nati, qui ex Rhotomagensi solo secedens, in saltus Cavanaci perrexit, ubi per trieteridem in cælestium contemplatiône vixit, & cum á multis quæreretur, inde ductu columbæ in agrum Salvaticum discessit, & constructo sub regula S. P. Augustini cœnobio, monachos summa cum prudentia, & sanctitâte gubernavit; donec Octogenarius iter équo faciens, ante animalis pedes, cui insidebat, cécidit, & capite collisso in saxo, adhuc hodie ostenso, morbum contraxit lethalem, & tandem sanctissimè hac die decessit: & corpus ejus, juvante Gerardo Episcopo Lemovicensi, digno Sarcophago tumulatum est, ubi multis claruit prodigils: quæ etiam per illum Deus operatur, in loco, quo cécidit, præcipue erga febricitantes: & tandem jussu Cælestini Tertii, agente Sebraudo Lemovicensi Præsule, é terra elevatum, decenti que capsula in Ecclesiæ sacrario collocatum est. *C.* Ibidem memoria S. Fancherii mónachi discipuli S. Gaucherii in eodem cœnobio Lemovicensi, qui, cum ibidem sancta degisset conversatiône, ad cælestium choros translatus est, cujus reliquiæ simul cum reliquiis S. Gaucherii magna cum devotiône venerantur. *D.* Camerini memoria B. Mathæoli de Camerino, magni Dei famuli, qui erga egenos, & ægrotos eximia floruit charitâte, miraculis pluribus confirmata. *E.* Hispali in Hispania memoria Ven. Andreæ á S. Austustino, viri erga omnes raræ affabilitâtis, cum qua plurimas adeptus est virtûtes, cum quibus satis exornâtus, sancte decessit. *F.* Romæ in cœnobio S. Pauli de Regula Excalceatorum óbitus Ven Fulgentii de Spiritu Sancto, viri exactæ obedientiæ, & ardentis charitâtis erga hospites, & ægrotos, ob quorum charitâtem contagiosam contrahens ægritudinem, illius ergo breviter, charitâtis victima factus, pie decessit, & corpus ejus separatim ab aliis in arca lignea tumulatum est. *G.* Hispali in Hispania depositio Ven. Petri Ramires, viri doctissimi, & piissimi, cujus erat tanta apud Reges opinio, ut, illo hortante, irritum factum esset Infantis Castellæ cum Angliæ Principe hæretico connubium: & cum pie hoc óbiisset die, post varias Ordinis dignitâtes, illi maxima cum pompa parentâtum est. *H.* Scálabi in Lusitania defunctio Ven. Bartholomæi á S. Maria, qui, cum diutius in hac inter Calçeatos dégeret Provincia, Excalceatorum ad hærens Fundatori Ven. Emmanueli à Conceptiône, inter illos Novitiorum factus magister, summa cum prudentia munus exercuit. Primus etiam fuit Prior Scalabitanus,

in Eremitorio S. Sebaſtiani: fuit raræ obſervantiæ: prius, quod imperabat, exequebatur. Cum autem á Satana varie tentaretur, ſenio, & méritis confectus, receptis pie Sacramentis, in pace quievit hac die, ſepultus que eſt in eremitorio S. Sebaſtiani, & cum poſtea transferretur ad Eccleſiam novam, corpus ejus inventum eſt incorruptum. *I.* Romæ in Recluſorio Mantellatarum memoria Ven. Margarittæ Thomay mantellatæ, quæ mota prodigiis in Translatione S. M. Monicæ peractis, domum ſuam fecit mantellatarum recluſoriũ, cujus precibus adducto S.M.Monicæ velo,& applicato Ven Vannotiæ etiam ægrotanti mantellatæ ſalus ſuſcepta eſt. Ven. ergo Margarita virtûtibus ornata pie creditur deceſſiſſe. *L.* Burdigalæ in Gallia depoſitio Ven. Joannæ Martins Urſulinæ, quæ raris exculta virtûtibus, hac die ad præmium evolavit ſempiternum. *M.* Romæ memoria Ven. Joannæ Tertiariæ Virginis, cujus ſuaſione moti ſunt Fratres noſtri, ut circa Translationem corporis S. M. Monicæ curam impenderent, & ſic tantæ rei dux fœmina facta eſt, & cum tanta erga S. Monicam devotiône clarêret, credendum eſt á Deo hujus devotiónis præmium in cælis poſt óbitum ſuſcepiſſe. *N.* In cœnobio Cæſurauguſtano S. Monicæ memoria Ven. Magdalenæ Serret monialis, in qua ſedem poſuêre, charitas, humilitas, paupertas, affabilitas, oratio, pœnitentia, ſilentium; quibus illuſtrata virtûtibus, pie deceſſit. *O.* In oppido de Viſta Alegre Diœceſis Compoſtellanæ tranſitus Ven. Hyacinthæ de Jeſu monialis miræ ſinceritátis, & omnium virtûtum ſplendoribus exornatæ, taliter, ut de illa nonnulli teſtarentur gratiam Baptiſmalem non amiſiſſe. Erga Sacramentum altaris incredibili aviditáte angebatur, & ad altarium ornatum flores efficiens, continûe occupabatur. Humilitáte floruit ſingulari. Et ſi prius mente privaretur, tamen ante óbitum illius compos effecta, pie receptis Sacramentis, hilari vultu mortem aſpexit hac die, & mirantibus circunſtantibus vultu pulcherrimo, & corpore valde tractabili permanſit.

COMMENTARIA

AD DIEM NONUM APRILIS.

A. Translatio S. M. Monicæ celebrata eſt anno 1430 juſſu Martini Papæ quinti anno 13 ſui Pontificatus, ſuaſiône Ven. Joannæ Tertiariæ, & N.Petri Aſſalbitii Epiſcopi Electenſis, & Sacriſtæ Pontificis, & ſic ex Urbe Véteri, unde permanſit fere per viginti ſupra mille annos in Eccleſia S. Aureæ, beatum cadaver delatum eſt Romam hac die, quæ fuit Domicica Palmarum, & primo locatum eſt in Eccleſia S. Tryphonis, & poſtea collocatum eſt in Eccleſia S. P. Aug: unde manet in ara, & tumulo ſumptibus Maphæi Vegii ædificato, & Papa Eugenius quartus ſodalitátem mulierum titulo S. Monicæ approbavit, quæ corrigiam devotiône portant, nonnullas preces recitantes, & feſtum S. Monicæ die 4. Maii celebrantes. Eſt juxta aram maiorem, & idem Maphæus tumulo Epitaphium compoſuit, quod ſequitur.

Hic Auguſtini ſanctam venerare Parentem,
Vota que fer tumulo, quo jacet illa, ſacro:
Quæ quondam nato, toti nunc Mónica mundo,
Succurrit precibus, præſtat opem que ſuis.

De hac Translatione extat oratio facta á Papa Martino 5; quæ incipit: Gaudeo mihi quoque, & Bulla data 26. Aprilis ejuſdem anni, quæ incipit: Pia charitas, atque devotio &c. De illa agunt omnes NN. cum Herrer. tom. 2. fol. 44: Simplician. á S. Martino á fol. 473 uſque ad 451, Torelli Centur. 1. c. 2. fol. 38, Arpe in Pantheo Elogio 2. fol. 7. Ex exteris plures, inter quos Franciſcus Poſterla Romanus in Roma ſacra 308.

Huic verò Translationi opponitur Author Actorum SS. die 4. Maii, cui magis placuêre Walteri Canonici de Aroaſia figmenta, quam tot teſtimonia omni exceptiône maiora: illi tamen, ut res poſtulabat,

labat, inconcusse respondent NN. duplex Josephus, unus Sabbatinus in Vindiciis Augusti. & alter in Florario SS. tom. 2. hac die cap. 6 fol. 45. Cum verò hujus fundamenta Authoris per sese pénitus evanescant, cum sint inaudita, & indigna hominis eruditi, ostendit enim falcem ignoranter mittere in segetem alienam, idcirco cantemus Matri Monicæ; gloriole enim translata est,

EPIGRAMMA.

Nostra negans impostor, adi celerâtus ad Urbem,
Agnoices, Mónicæ quà sacra membra jacent.
Marmoreo hæc tumulo aspicies in sede Nepotum:
Non alià melius talia sede forent.
Hinc ea prodigiis, ibi sunt ea nanque, coruscant:
Sol micat, unde prope est, non micat, unde procul.
Gaudete, o Fratres, & tu, sacer Ordo beator;
Sedibus in vestris extat uterque Parens.
In Tícino Augustinus adest, Monica extat in Urbe;
Natos ut servent Urbe, vel orbe suos.

B. S. Gaucherius mónachus, & Author monachorum S. Augustini in territorio Lemovicensi prope Vigennã fluvium; ubi postea tempore Roricii 13. Episcopi Lemovicensis introducti sunt Canonici, & postea tempore B. Turpii 41. Episcopi circa an. 929 introducti sunt iterum Eremitæ Augustiniani, ut volunt plures, vel Canonici, aut Benedictini, ut asserunt alii. Videatur Herrer. tom. 2. Lit. L. de monast. Lemovicensi fol. 26, Elss. Lit. G. de S. Gaucherio; ubi alios citat.

C. S. Fancherius discipulus fuit S. Gaucherii, & floruit eodem tempore, ut de illo testantur AA. supracitâti, & Henschen. in Actis SS. hac die, & Ferrarius in Notis ad hunc diem.

D. B. Mathæolus da Camerino floruit sanctitâte circa annum 1440; & de illo agunt NN. Herrer. Lit. M. tom. 2. fol. 54; Elss. in Encom. Lit. M. Roman. Cent. 11. fol. 84; Torelli Centur. 3. c. 71. fol. 314, & alii.

E. Ven. Andreas á S. Augustino Hispalensis, filius Andreæ Fernandes, & Joannæ Rodrigues, hac die professus est Hispali anno 1573, ubi sanctè obiit die 5. Januar. anno 1628. De illo agunt Herrer. tom. 1. Alph. fol. 35, & in Historia Salmantic. fol. 138, Elss. in Encom. Lit. A; Torelli Centur. 6. c. 70. fol. 727.

F. Ven. Fulgentius ab Spiritu Sancto Laicus Romæ in cœnobio S. Pauli de Regula professus est 14. Sept. an. 1601, & obiit pie hac die an. 1602. De illo agunt Herrer. tom. 1. fol. 235; Elss. Torelli Centur. 6. c. 12. fol. 654, Joan. á S. Jacobo in Cathalogo defunctorum Lit. F; & Joannes Bartholomæus Lustro 3. num. 1. fol. 41; & alii.

EPIGRAMMA.

O macte? Aspiceret qui te, fulgentius astrum
Diceret; ægroti plenus amôre peris.

G. Ven. Petrus Ramires in oppido de Segura Legionensi natus est ex Francisco Ramires, & Theresia Nunes ab Orosco, Hispali professus est die 16 Octob. an. 1680, & pie óbiit 9. Aprilis an. 1627, cui exequiæ celebratæ sunt Sabbato 10. ejusdem, & concionem habuit P. Lector Fr. Petrus de Lario, & missam cantavit Fr. Nicolaus de Haro Provincialis. Refert Herrera in Histor. Salmant. fol. 138, & alii.

Epigramma ad eumdem.

Petrus eram, quem petra tegit: me credite vivum:
Per mortem ad vitam, qui bene vivit, abit.

Diſcite mortales, mortis ſit quanta poteſtas:
Si ſua vis petram, plús ea fundet humum.

H. Ven. Bartholomæus á S. Maria Luſitanus natus in oppido de Leomil in parochia S. Jacobi ex Nicolao de Moraes Pinto, & Guiomare de Andrade Leytoa, noſter factus eſt Ulyſſipone, ubi profeſſus eſt die 23. Septemb. an. 1632, tempore P. Fr. Franciſci á Gama Provincialis, & Fr. Martini á S. Monica Magiſtri Novitiorum: qui in Religione magna vixit obſervantia, de quo fertur, quod cum Inſularum Viſitator deſignaretur, & illuc pergeret, cubiculum in cœnobio omnino reperit concluſum, & cauſam hujus indâgans, agnovit hoc factum eſſe, quia ibi ſonitus audiebantur terribiles, & cum aliqui ibi dégere non timérent, vitam perdidiſſent. Ipſe his auditis, cubiculam juſſit aperíre, & ſuum lectulum præparare, ſed in ipſa nocte ſolitos præſenſit ſtrépitus, & taliter ictus fuit, ut pene mortuus appareret: ſed ille intrepidus é cubiculo non diſceſſit; imo ſequenti nocte audivit dicentem ſibi ſine ſtrépitu, cubiculum deinceps poſſe habitari, & ulterius ſtrépitus non ſunt auditi. In provinciam rediens ad Excalceatos cum ſuo fundatore tranſiit, ubi Novitiorum magiſterium exemplariter explevit. Cum eſſet Prior Scalabitanus, é matútinis rediens in cubiculum in hoc hoſtem tartareũ monialis figura indutũ reperit, ſed eo viſo dæmon perterrefactus aufúgit. Religionis, & obſervantiæ zelo flagravit. Tandem ſenio, & méritis plenus, ſuſceptis pie Sacramentis, in pace quievit hac die anno 1680: ſepultus que eſt in Eremitorio S. Sebaſtiani, nondum enim noſtri Excalceati Pietatis Eccleſiam poſſidebant, hanc enim acceperunt die 16. Februarii anno 1691, ad quam corpus ejus translatum eſt, & ſepultum in primo túmulo, & corpus ejus inventum eſt incorruptum. Plura ex his abſtuli ex lib. 3. Profeſſionum fol. 10, & cætera ex m. ſ. P. Fr. Ludovici de Jeſu Excalceati titulo 1. cap. 8.

I. Ven. Margaritta Thomay Mantellata Romæ magna floruit opiniône circa an. 1448. De illa agunt NN. Herrer. tom. 2. Alph. fol. 55; Torelli in Centur. 3. fol. 322. c. 77, Elſſ. in Encom. Lit. M. Joſeph. á D. Anton. in ſuo Iman fol. 68, & alii.

L. Ven. Joanna Martins, ſeu de S. Urſula inter Urſulinas Pariſienſes habitum laicalem ſuſcepit, & taliter in Religione ſe habuit, ut poſt biennium ad chorum deputaretur, & electa eſſet fundatrix cœnobii Abbevillenſis, & poſtea Burdigalenſis, in quo ultimo octo per annos degens claris coruſcans virtûtibus, hac die pie óbiit anno 1649, ut vidére eſt in Hiſtor. Urſulin. fol. 48.

M. Ven. Joanna Tertiaria Romæ floruit, & fuit Heroina illa, quæ Translationem S. M. Monicæ incitâvit: & cum caſte, & ſancte vixiſſet, pie deceſſit. De illa agunt Maphæus Vegius in Hiſtoria Translationis S. M. Monicæ apud N. Bergomenſem in fine Apologiæ ad annum 1479; Herrer. tom. 1. Alph. fol. 382; Elſſ. in Encom. Lit. I, Torelli Centur. 3. c. 62 fol. 301, Joſephus á D. Anton. hac die in Translat. S. M. Monicæ fol. 24; & in ſuo Iman. fol. 66.

Epigramma ad eamdem.

Laudibus egregiam célebra, ſacer Ordo, Joannam;
Nanque tibi optâtis profuit illa ſuis.
Exuvias Monicæ transferri optavit ad Urbem;
Nec vota optantis diſplicuêre Deo.
Annuit Eccleſiæ ſummus Pater, annuit Ordo;
Sic brêviter ſacrum corpus in Urbe jacet.
Fœmina dux facti fúerat; prior omnia movit:
Sic décuit, pietas ut ſua plena foret.
Plena fuit, Laudes que piæ die Ordo Joannæ;
Matris, ut optarat fœmina, corpus habes.

N. Ven. Magdalena Serret orta in oppido de Cantavieja, ex Melchiori Serret, & Eliſabetha Colas, monialis facta eſt in cœnobio S. Catharinæ de Mirambel, & profeſſionem emiſit die 9. Aprilis an 1607: inde tranſiit ad reformandum cœnobium de

de Ruviejos, & inde ad cœnobium Cæsarauguſtanum S. Mónicæ. Tandem in cœnobium de Mirambel regrédiens, ibi claris exornâta virtûtibus, felici fato deceſſit an. 1664. De illa agit N. Jorda tom. 3. lib. 3. c. 9. fol. 122. n. 14.

O. Ven. Hyacintha de Jeſu orta eſt prope oppidum de Chantada ex Joanne Lopecio Varela, & Eliſabetha Moſqueira de Ulloa: monialis facta eſt in cœnobio S. Chriſtophori de Viſta Alegre, ubi degens rara cum opiniône ſanctitâtis, ſupremum diem clauſit die 9. Aprilis anno 1686, ut refert N. Villerin. tom. 2. lui Solaris lib. 20. tract. 2. fol. 59.

QUARTO IDUS APRILIS.

X.

A. In ſtabulo Rhodis depoſitio B. Alberti Senenſis, & comitis; & diſcipuli individui S. Guilelmi Ducis Aquitaniæ, qui á téneris ſtudio vacans, Paleſtinæ Urbes, & Europæ ſanctuaria viſitans, in Italiam rediens, habitum induit Auguſtinianum per manus S. Guilelmi, & poſtea nonnulla cœnobia fundavit. Tota ejus ſupellex erat una Crux, cilicium, & cibus parciſſimus. Supra modum caſtitâtem ſervavit, taliter, ut, cum aliquando gravem patéretur tentationem, ut illam vinceret, ſupra ſpinas nudum ſeſe volutaverit. Donec innumeris méritis, & miraculis glorioſus, hac die in cælum migravit. B. In cœnobio S. Severini Marchiæ Anconitanæ elevatio corporis B. Marcheſinæ de Mareottis mantellatæ, ſanctitâte célebris, quæ hac die induſtria Generalis Ordinis Spiritus Vicentini, decenti Sarcophago collocata eſt. *C.* Conimbricæ tranſitus Ven. Lucentii ejuſdem ſedis Epiſcopi, qui cum eandem rara cum prudentia, & ſanctimonia gubernaſſet uſque ad decrepitam ætatem, laudabili exitu e vivis migravit. *D.* Cæſarauguſtæ in Collegio S. Thomæ óbitus Ven. Laurentii de Segorbia, viri in ſcientia, & obſervantia Religionis clariſſimi, qui, cum ad Provinciæ régimen electus eſſet, ſe fecit ad omnes prælatos exemplar ſingulare, & ſic in Comitiis Generalibus ad clavum Ordinis regendum plurima promeruit vota: Qui cum Provincialatus officium abſolveret, ſui ſucceſſorem virum Sanctum Fr. Auguſtinium Paſchalem, relictis pluribus, elegit: donec plus méritis, quam annis, cumulâtus hac die pie de medio ſublatus eſt. *E.* Hiſpaniæ in cœnobio de Calatayud pretioſa mors Ven. P. Franciſci Guilelmi Gombau, qui ex Calceâtis ad Excalceatos tranſiens, ibi verbo, & exemplo claruit; erat enim in choro continuus, ſolitûdinis amans, jejuniorum amator, in roſtris prædicátor Evangelicus, humilitáte mirabilis. His, & aliis virtûtibus exornatus, morbo correptus, in hebmada maiori pie deceſſit, répetens multis cum lacrymis: Maria Mater Gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte prótege, & mortis hora ſuſcipe. *F.* In cœnobio Florentino Excalceatorum óbitus Ven. Joannis Hieronymi ab Spiritu Sancto, qui habitu aſſumpto in cœnobio Battignani, unde eſt ſepultus Ven. P. Joannes á S. Guilelmo, ejus veſtigia in ſanctitâte, ut potuit, imitâtus eſt. Claruit devotiône erga Deiparam, in cujus laude devotas compoſuit cantilenas, quas in ſuis feſtivitâtibus devóte decantabat, & in illius vigiliis jejunabat. Erat erga omnes affabilis, humilis, pauper, in choro aſſiduus, modeſtus, & caſtus. Poſt plures in Religione dignitâtes, & Generalatum abſolutum, ſtans in cœnobio Florentino, febre correptus, hac die ſumma cum teneritûdine animam efflâvit.

COM-

COMMENTARIA.

AD DIEM DECIMUM APRILIS.

A. B. Albertus natus est in territorio Senensi in Castello de Monte Alecto, qui ab utero matris suæ videtur sanctitâtem coluisse; natus enim solum meridie matris ubera sugebat, & factus infans ter in hebdomada ad amussim jejunabat, & cum ætâte in virtûtibus augebatur. Cognoscens mundi fallacias, statuit per orbem vagari: Romam petiit ejus sanctuaria visitâturus, inde Apuliam ad Montem Garganum, ut templum S. Michaelis visitâret, inde Venetias ad templum S. Marci, inde ad sanctam civitâtem perrexit, loca sancta visitaturus; unde votum emisit Religionis: mox Compostellam petiit, unde stans ante sepulchrum S. Jacobi genuflexus, sæpius méruit, ut quædam columba volaret ad ejus húmerum dexterum, & véluti ad ejus aures loqueretur. In patriam reversus, S. Guilelmum in cœnobio Livalliæ petiit, a quo ad habitum fuit admissus die 6. Januar. an. 1152; & exinde in via virtûtis egregios fecit progressus. Fuit Comes individuus S. Guilelmi; cum quo perrexit ad Stabulum Rhodis, & S. Guilelmo adfuit morienti. Post cujus mortem multis congregatis sodalibus, & ædificâtis monasteriis, innumeris méritis, & miraculis glorioſus, hac die in cælum migravit circa annum 1191. De illo agunt ex NN. Herrer. tom. 1. Alph. fol. 5, Elss. fol. 23, Pamphil, Crusen. p. 2. c. 22, Strambel, Torelli tom. 4. an. 1155 fol. 8; & Cent. 1. c. 98 fol. 124; Roman in Chron. Ord. Cent 8 fol. 43; Jorda Late tom. 1. lib. 1. c. 21; Arpe in Diario SS. hac die fol. 189, Josephus á D. Antonio in Florar. SS. tom. 2. fol. 50. Ex exteris Sylvanus Razi Camaldulensis lib. 2. de SS. Hetruriæ, & Bolandus in Actis SS. die 7. Januar, & die 10 Aprilis in Prætermissis, Sausl. in Martyr. Gallico tom. 2. fol. 1234.

Epigramma ad eumdem.

Mollibus accrescit rebus lasciva procella;
Odit amaritiem, duritiem que timet.
Illa rapit sensus, ne sit sua cognita pestis:
Se tegit, ut pláceat, displiceat que minus.
Alberti arripuit sensus, qui novit ut illam,
In spinis ágitat corpus, eam que fugat.
Excussit pestem, nec plus est passus eamdem:
A spinis Véneris pessima flamma fugit.

E. Elevatio corporis B. Marchesinæ de Mareottis nostri Ordinis Mantellatæ, de qua agendum est 11. Julii, hac die facta est anno 1586 jussu M. Spiritus Vicentini Generalis, in cœnobio S. Severini. De illa agit N. Herrer. tom. 2. Alph. fol. 64; Torelli Centur. 5. c. 77. fol. 603.

C. Ven. Lucentius ex Abbate Lurbanensi creatus est Episcopus Conimbricensis, ubi sancte óbiit hac die anno 580. De illo agunt NN. Purific. in Chronologia monast. hac die fol. 47; & de Viris Illustrib. lib. 1. c. 5. fol. 5, & in Chron. lib. 1. tit. 8. §. 4, & lib. 2. tit. 4. §. 1; Torelli tom. 2. an. 572 fol. 392, Arpe tom. 2. SS. fol. 78; Herr. tom. 2. fol. 3.

D. Ven. Laurentius de Segorbia Cæsaraugustæ natus est, & in cœnobio patriæ habitum aſsumpsit. Claruit Litteris, & Religionis obsérvantia. Post plures in Ordine dignitâtes, in Collegio S. Thomæ de Villanova Cæsaraugustano pie decessit hac die in Sabbato Palmarum an. 1683 ætat. 59. De illo agit N. Herr. tom. 1. lib. 1. cap. 23. fol. 184. n. 111.

E. Ven. Franciscus Guilelmus Gombau Cæsaraugustæ natus est ex Joanne Gombau, & Maria Peres in Parochia S. Mariæ Magdalenæ, noster in cœnobio patriæ factus est, & ibi professus est 6. Sept. anno 1589: exiit celeber concionator. Post annos de Prælatorum licentia ad nostros

Excal-

Excalceatos tunc sub obedientia nostrorum Prælatorum existentes transiit, ubi summa cum pietâte vixit, & óbiit in hebdomada Sancta anno 1607. De illo agunt NN. Her. rer. tom. 1. Alph. fol. 234, Torelli Cent. 6. c. 15. fol. 657, Elsi. in Encom, Andreas á S. Nicolao in Histor. Excalceatorum Decada 2. tom. 1. c. 7. fol. 430, Jorda tom. 3. lib. 2. c. 6. fol. 115. Ex exteris Blascus in Historia Aragon. lib. 4. c. 20. fol. 495.

F. Ven. Joannes Hieronymus ab Spiritu Sancto natus est anno 1609 in Castello Senensi, Diœcesi de Grossato, ex Joanne, & Bernarda Santini: duodeviginti annorum factus, habitum inter Excalceatos induit die 25. Maii an. 1627 in cœnobio Battignani, unde sepultus adest N. Ven. Joannes á S. Guilelmo, de quo agendum est 14. Augusti. Cum que in Ordine plures summa cum prudentia exerceret dignitâtes, degens in cœnobio Florentino, sancte hac die animam exhalávit anno 1676, ut de illo refert Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 17. numero 102 fol. 483.

TERTIO IDUS APRILIS.

XI.

A. In Anglìa in insula Croulande pretiosa mors S. Gurlaci Confessoris, qui e regia prosapia natus, mundo valedicens, in cœnobio Rampedonensi nostèr factus est; unde aliquot per annos sancte degens, studio austeriòris vitæ, secessit in Croulandem cùm duobus sociis, unde crudeliter á Satana vexatus, sed miraculosè confortâtus á suo patrono S. Bartholomæo, cui Ecclesiam ædificarat, & á S. Angelo sui perpetuo Comite servatus, Sátanam ab insula penitus fugavit. Post à S. Hedda Episcopo Sacerdos consecratus, virtûtibus clarus, & interiora cognoscens, & miraculis illustratus, ad óbitum dévenit, ante quem ex ejus ore Odor suavissimus emanavit, & cum animam exhalâret, in cubiculo ejus lux magna solis apparuit, & sic inter luces ad lucem immanessibilem, hac die gloriosus ascendit; ejus que corpus ministerio ejus Sororis S. Pegiæ tumulátum est, & anno sequenti cùm vestimentis inventum est incorruptum, & in sepulcro elevato collocátum est. *B.* In monasterio Luxovienſi transitus S. Wikerani Abbatis, qui degens sub S. Columbani disciplina, hac die ad præmia æterna evolavit. *C.* In Hibernia S. Maccæi Vatis discipuli S. Patritii Episcopi in insula Buta, ubi sancte decessit. *D.* In Urbe Noviomensi depositio S. Godebertæ Virginis, quæ, cùm a parentibus nuptui traderetur, & illa respúeret, tamen á S. Eligio ejusdem Urbis Episcopo conuersa, ab ipso in monasterium ducta, & sanctimonialis facta, ibi multis virtûtibus, & miraculis glorioſa, ad Virginum choros hac die glorioſe migravit. *E.* Wesfaliæ in Provincia Osnabrucensi transitus B. Raynerii Confessoris, qui relicto Sæculo, Eremita Augustinianus factus, post de superiorum licentia solitarie degens, ibi inter incredibiles pœnitentias, & virtûtes mirabiles sese exercens, miraculis clarus, hac die ad paradisi gloriam translátus est. *F.* In cœnobio Castelfabit defunctio B. Reginaldi Confessoris, qui arte medicinæ péritus, & mundo terga vertens, suasu S. Guilelmi habitum Augustinianum suscepit de manu B. Alberti: & licet varie á Sátana tentátus esset, tamen ad S Guilelmi tumulum confugiens, ibi vires ad decertandum suscipiens, de hoste glorioſum triumphum reportavit. Cum que multis virtûtibus, & miraculis coruscaret, hac die in cælum felici exittu evolavit. *G.* Senis in Iliceto memoria B. Joannis Benedicti Moncetti, qui, cum in patria Castilionensi habitum induisset, & omnibus scientiis doctissimus evasisset, & plura sui ingenii testimonia publicaret, & nonnulla in Ordine munera exerceret, & Ducis Mantuani, seu potius Mediolanensis, esset á secretis, omnia despiciens, Ilicetum petiit, ubi corpus jejuniis, & disciplinis in servitûtem rédigens, tandem pósitis genibus, & manibus elevatis, & oculis cælum petiit. *H.* In Anglia martyrium omnium

Fra-

Fratrum noſtri cœnobii Londinenſis, qui omnes in odium fidei interempti ſunt, quorum unus fuit Deonotus Avonius non ſolum virtûtibus, ſed etiam ſcientia celeberrimus. *I.* In cœnobio Valentino S. Juliani memoria Ven. Julianæ de Tous monialis, quæ ob egregias virtûtes pluries méruit in Abbatiſſam eligi, cujus Laudes N. Cardinalis Seripandus illud cœnobium viſitans, evulgavit: cum que moniales ſumma pace, & obſervantia gubernaſſet, in pace quievit. *L* Salmanticæ in cœnobio Conceptionis depoſitio Ven. Mariæ á S. Dominico monialis, quæ inter rara ſanctitâtis exercitia hac die Véneris ſanctæ pie animam efflavit. *M.* In Hiſpania Translatio Reliquiarum S. Victoriani Abbatis, quæ, cum eſſent in cœnobio SS. Juſtæ, & Rufinæ fere per ducentos, & Sexaginta annos, juſſu Sancii Aragoniæ Regis translatæ ſunt ad cœnobium Montaragonenſe prope Oſcam, & in ara decenter ornata collocatæ, ubi quotannis feria quarta poſt Dominicam in Albis hujus Translationis feſtivitas celebratur. *N.* Ibidem Translatio Corporis S. Juliani Epiſcopi Conchenſis, viri ſanctitâte célebris, & ſatis noti nimia familiaritâte noſtrorum Fratrum, juxta quos habitabat in cœnobio Burgenſi S. Crucifixi, quæ Translatio hac die facta eſt, translatæ ſunt enim ejus reliquiæ ad locum eminentiorem, & Pontifex Julius Tertius conceſſit de illa feſtum célebrari die quinto Septembris, quamvis ejus óbitus die Vigeſima Octava Januarii contigiſſet.

COMMENTARIA

AD DIEM UNDECIMUM APRILIS.

A. S. Gurlacus in Anglia natus eſt ex Penualdo regio ex ſanguine orto, & Tetta matre. Vix natus eſt, manus coruſcans apparuit in aere, quæ in oculis circunſtantium in janua Crucem depinxit in ſignum, quod ipſe Chriſti Crucem perfecte eſſet portâturus. Mundo valedicens, in noſtro cœnobio Rampedonenſi nomen dedit, ubi multis claruit virtûtibus: inde in inſulam Croulande ſe contulit, ubi multa paſſus eſt dæmonibus, ſed victor ſemper exiſtens adjutorio Angeli ſui tutelaris, & S. Bartholomæi, & Sacerdotio initiâtus á S. Hedda Epiſcopo, tandem miraculis clarus hac die in Domino quievit anno 706 ætat. 47, & 15. Religiolis; & ſepulcro traditus eſt á S. Pega, ſeu Pegia Sorore ſua, ut ipſe poſtulâvit, de qua 8. Januarii. De illo agunt plures; inter quos Henſchenius in Actis SS. hac die, & N. Torelli tom. 3. an. 706. fol. 103, ubi oſtendit illum noſtro Ordini pertinére.

Epigramma ad eumdem.

Prodigium rarum: Gurlacus ut exit ab alvo,
Cernitur Angelico Crux modo ſtructa manu.
Indicat iſta pati: ſic plura eſt paſſus ab Orco:
Hoc Gurlacus ait: cui gula Crux fuerat.

Gurlacus V. in X. mutato per Anagramma valet Gula Crux.

B. Wikeranus Abbas 16. Luxovienſis fuit ſub S. Columbani diſciplina. De illo agunt Ferrar. in Cathal. SS. & Henſchen. in Actis SS. in prætermiſſis hac die.

C. S. Maccæus Vates diſcipulus fuit S. Patritii Epiſcopi in inſula Buta, & óbiit hac die, ut réferunt Dempſter, Ferrar. in notis, & Henſchen. ubi ſupra.

D. S. Godeberta orta eſt in pago Ambianenſi ex nobili proſapia, & á S. Eligio Epiſcopo Noviomenſi in monialem ſacrata eſt, ubi multis virtûtibus, & miraculis clara, hac die ad cæleſtem patriam evolavit circa annum 700. Illam Benedictini in ſagena ſua colligentes aſſerunt ſub ſuo vixiſſe inſtitûto; ſed quo fundamento; audiant verba Henſchenii hac die::: Accedunt Authores Faſtorum Benedictinorum Wion, Menardus, Bucelinus, & ſimiles, ſuum hoc ſolemne tenentes, ut antiquos fere omnes Sanctos vitam monaſticam ſub quocumque inſtitûto profeſſos Ordini Benedictino

nedictino adscribant. Hoc tamen scimus ex Luxovienſi cœnobio, & S. Columbani diſciplina accepiſſe Eligium Religioſos, qui in ſuo Solenniacenſi monaſterio, item que S. Lupi Noviomenſis, & S. Martini Tornacenſis á ſe fundatis conſtituit, ut veroſimile videri poſſit ſub eádem quoque S. Columbani regula ſanctimonialium monaſteria ordinaſſe.

E. B. Raynerius Oſnabrucenſis Veſaliæ ſub noſtro floruit inſtitûto, ubi poſtea ſolitárie degens, miraculis gloriôſus, hac ſancte die denatus eſt an. 1237. De illo agunt Henſchen; in Actis SS. hac die, fol. 61, & N. Torelli tom. 5. an. 1237 in Additament 15 fol. 653.

F. B. Reynaldus, ſeu Reginaldus, motus fama ſanctitâtis S. Guilelmi, ſub ejus inſtitûto habitum accépit Auguſtinianum de manibus B. Alberti, ſub cujus diſciplina ſanctiſſime degens, hac die ſancte deceſſit anno 1158. De illo agunt ex NN. Cruſen. p. 2. c. 22, Herrer. tom. 1. Alph. Lit. A, dum de B. Alberto fol. 5; & tom. 2. fol. 331, & in Reſponſ. Pacifica, Elſſ. in Encom. Lit. R. fol. 600, Jorda tom. 1. lib. 1. c. 22, Joſephus á D. Antonio tom. 2. fol. 57; Torelli in Centur. 1. c. 99 fol. 125, ubi ait illum óbiiſſe anno 1160. Ex exteris Theobaldus Epiſcopus in vita S. Guilelmi, Henſchen. in Actis SS. hac die, Chriſoſtomus Henriques Ciſtercienſis in ſuo Menologio fol. 121. die 15. Aprilis, Surius 10. Februar.

Hic tamen advertendum eſt, ſupradictum Chriſoſtomum miſerrime erraſſe, dum ſupradicto loco aſſeruit, B. Reginaldum régulam S. Benedicti, & conſtitûtiones Ciſtercienſes obſervaſſe, cum regula S. Benedicti, & conſtitûtiones Ciſtercienſes multo poſt fuerint introductæ in quandam Guilelmitarum congregationem, ut inconcuſſe probat N. Herrera in ſua Reſponſione Pacifica.

G. B. Joannes Benedictus Moncettus de Caſtilione, á multis dictus Aretinus, & ab aliis Florentinus, vir fuit altiſſimi Spiritus, & profundiſſimæ doctrinæ, omnium enim ſcientiarum ſupellectile fuit exornatus. Cum jam egregio nomine in Religione florêret, & Ducis Mantuani, ſeu potius Mediolanenſis, eſſet á ſecretis, Iliceetum petiit, ubi admiſſus eſt die 11. Aprilis anno 1540; antea enim fuerat commiſſarius, & Vicarius Generalis totius Ordinis, & Doctor Excellentiſſimus: his tamen præditus maluit vitam humillimam in Iliceto obſervâre, ubi inter raras pœnitentias ſancte occubuit anno vel 1543, vel 1547, vel 1548. De illo agunt ex NN. Herr. tom. 1. Alph. fol. 398, Elſſ. Lit. I. in Encom; Torelli Centur. 4. c. 90 fol. 461, & tom. 8. an. 1542. fol. 255 á numer. 13, Pamphil. fol. 101. Alteſius fol. 146, Landucci in Sylva Ilicetana Elogio 49. fol. 126. Ex exteris Poſſevinus tom. 1. Apparatus fol. 825. Portillo agit de illo 6. Septembr.

H. Martyrium omnium Fratrum noſtrorũ cœnobii Londinenſis accidit tempore Henrici Octavi circa an. 1534; quod referunt NN. Roman lib. 2. Chron. c. 5, & Centur. 12. an. 1569, Simplicianus á S. Martino tom. 1. in Vitis SS. Ordin. fol. 674. an. 1534, Cruſenius in Monaſtico fol. 196, Maygretius in Surculis Sacris c. 14. anno, 1534, Herr. tom. 2. Lit. L. de monaſt. Londin. fol. 27, Torelli Centur. 4. c. 75. fol. 471, & tom. 8 an. 1536. n. 23. fol. 207, ubi aſſerit fuiſſe fere numero 200 Fratres martyrio affectos, Portillo tom. 2 fol. 67. hac die. Ex exteris Nicolaus Sanderus lib. 1. de Schiſmate Anglicano fol. 194. an. 1538, ubi ait; de noſtris cœnobiis. Cum Integra Baſilica, ac univerſa ſupellectile Auguſtinenſium ædes Londini Vicario Cronuelo Intampii conſilii præmium aſſignavit, dono que dedit Henricus. Quo ille loco ſplendidiſſimum ſtatim palatium exædificare cæpit, ſed, Deo per mittente, finire non potuit. Hæc ille.

EPIGRAMMA:

Dire profanator, quæ te mens dira coégit,
Ædibus in ſacris ædificâre tuas?
Hic domus orandi fúerat, devôta que Fratrum
Turba fuit, magni nata Parentis erat.
Victima pro Chriſto facta eſt ea, fuſa cruore:
Unde profanari non ea tecta licet.
Non óperi naves óperam, conamen inane eſt:

Latronum tentas ædificáre domum.
Incipiens, non perficies: eris ille vocandus,
Qui cæpit, finem sed dare non pótuit.

I. Ven. Juliana de Tous monialis in cœnobio Valentino S. Juliani, ibi floruit rara prudentia in régimine, & raris virtútibus circa annum 1541. De illa magnis laudibus agit hac die in Regístro Generali N. Generalis, & postea Cardin. Seripandus. Agunt etiam de illa NN. Herr. tom. 1. Alphab. fol. 397; Torelli in Centur. 4. c. 85. fol. 483, & Jorda tom. 2. Histor. Valentiæ lib. 4. c. 11. fol. 258. n. 1.

L. Ven. Maria á S. Dominico in Cantabria nata est ex Petro Vanes de Gordon, Fratre illius célebris Magisti Fr. Dominici Vanex Dominicani, & Confessoris S. Theresiæ, & Catharinæ Palunciræ. Ob egregias virtútes cum aliis monialibus pervexit ad fundationem cœnobii S. Toribii Vitigudinho; qua finita, in suum cœnobium Conceptionis Salmantinum regressa est, ubi inter rara virtútum exempla hac die Véneris Sanctæ anno 1659 animam exhalavit; ut refert N. Villerin. tom. 2. lib. 17 tract. 3. fol. 9; de illa etiam agit tom. 1. lib. 8 tract. unico fol. 361.

M. Translatio S. Victoriani Abbatis cœnobii Assanensis, qui sancte abiit 12. Junuarii an. Christi 561, & sepultus est in cœnobio S. Martini de Saras. Postea á Mauris Hispania devastáta, corpus ejus furtim delátum est ad monasterium SS. Justæ, & Rufinæ, ubi fere per 260 annos permansit, donec agente D. Sancio Aragoniæ Rege, & Petro ejus filio, translátum est hac die ad cœnobium de Montaragon prope Oscam circa an. 1085; ubi multis claruit miraculis. De hac Translatione agit. N. Jorda tom. 3. fol. 55, & 65. c. 19. Vide diem 7. hujus.

N. Translatio S. Juliani Episcopi Conchensis, facta est hac die: & de illa agunt Tamay. in Martyrol. Hispanico, Ferrar. in Cathalogo Generali, Marieta, Henschenius in Actis SS. hac die in prætermissis Vide 28 Januarii; ubi de illo late ágitur.

PRIDIE IDUS APRILIS.

XII.

A In Bethica in Oppido Veger memória S. Ambrósii discipuli S. Paulini, qui cum eo in Hispaniam pérrexit, & cum in eodem loco sanctissime vixisset, verbo, & exemplo clarus, in pace quievit, & post mortem multis claruit miraculis. *B.* Arelate óbitus S. Florentini Abbatis, qui ductu, & mónitu S. Cæsarii Arelatensis Archipræsulis monachus factus, sancte decessit; cujus caput in Parochiali Ecclesia S. Crucis digno cum cultu asservátur. *C.* Bononiæ in cœnobio Corporis Christi depositio B. Joannæ de Lambertinis Virginis, quæ, cum diu vixisset in cœnobio Ferrariæ cum S. Catharina Bononiensi sub habitu Augustiniano Mantellatarum, postea cum eádem transiit ad cœnobium Bononiense Corporis Christi, ubi facta est Vicaria prima B. Catharinæ primæ Institútricis, & vitam degens Sanctissimam, fæliciter é vivis hac die decessit; & ibi sepulta est in communi cæmiterio. Sed postea effossa terra suavissimum odorem exhalavit; sic que sub maiori altari ejus corpus tumulátum, & tandem Corpori S. Catharinæ copulátum est. *D.* Cæsaraugustæ transitus Ven. Petri de Villanova, qui floruit humilitáte, oratióne, patientia, charitáte, obedientia, pœnitentia, castitáte, & paupertáte. Prælaturas, quas habuit, summa cum prudentia exercuit, erat enim litium hostis, & pacis amator. Solebat dicere, Religiosos futuros esse in obedientiis hilares, & diligentes, quia vox Prælati erat vox Dei. Tandem méritis Sanctis plenus in cœnobio Cæsaraugustano ánimam suo suam tradidit Creátori. *E.* Mantuæ in cœnobio S. Monitæ

nitæ defunctio Ven. Catharinæ de Medicis, quæ orta ex nobilibus Ducibus de Toscana, a téneris fuit dedita pietâti, mundi pompas, & delicias óderat: nuptui in vita tradita est Duci Mantuano, cui nimis grata fuit, & illum adjuvit in laboribus: erat tunc nimis florens charitâte, & eleemosynis, tam publicis, quam privátis, temporalibus, & spiritualibus: carnem longis domabat jejuniis, abstinentiis, & disciplinis, ita ut omnes mirarentur, quomodo tantis vitam protráheret pœnitentiis? non solum per omnes Quadragesimas jejunabat, sed etiam per totius anni festivitâtes, & præcipue B. Virginis, cujus devotióne languebat: in qualibet hebdomada ter disciplinam patiebatur, lectulo vili decumbebat, nec ad ignem, etiam in summo hyemis, accedebat. Defuncto conjuge ad cœnobium Mantuanum S. Ursulæ se contulit: sed postea a nepote suo Senensis Gubernatrix facta, & sæcularia negotia execrans, iterum in cœnobium S. Monicæ Senense, tempore Margaritæ Lombardelli, facto castitâtis voto se recepit, oblatis bis mille scutis, sed brevi á Domino gravi visitâta morbo, maximé conformis, inter summam pietâtem hac die, seu potius Jovis Sancti nocte, quo semper decumbere optarat, in cælum migravit. *F.* Hispaniæ in cœnobio Alchodiensi S. Sepulchri depositio Ven. Elisabethæ á Cruce monialis, quæ adhuc in domo paterna viam virtûtis sequens, ad portum Religionis summa aviditâte impellebatur, ubi recepta, virtûtum omnium cæpit fulgoribus coruscáre: summa patientia injurias, & falsa testimonia toleravit: totas fere noctes in choro orans protrahebat, quin stygia bellúa illam á proposito posset deterrêre. Per sexennium Abbatissam in cœnobio egit, in quali munere, dum sibi asperrima, monialibus extitit mitissima, licet observantiæ nimia fiéret procuratrix. Tandem jam senio confecta, sed adhuc pœnitentiam, & chori assistentiam continuans, magna suarum desiderio ex mortali ergastulo discedens ad incolâtum immortalitâtis feliciter transmigravit. *G.* In Bethica in loco dicto Veger recordatio B. Pauli discipuli *S.* Paulini, qui ibidem mirabili vixit sanctimonia, & óbiit, & abiit in cælum; & post aliquot annos, corpus ejus divinitus répertum est, é quo mirabilis odor exibat: & Deus per ejus intercessionem plura óperatus est miracula, quorum ergo altare in ejus cultum erectum est, in quo nostro aspicitur habitu vestitus.

COMMENTARIA

AD DIEM DUODECIMUM APRILIS.

A. S. Ambrosius discipulus S. Paulini Episcopi in Bethica magna sanctitâte floruit, & óbiit circa annum 448. De illo agit. N. Portillo tom. 2. hac die fol. 69.

B. S. Florentinus Arelate floruit sanctitâte in monasterio á S. Cæsario ædificato, cujus fuérat discipulus. De illo agit Saussay in Martyrol. Gallico, licet erret asserens illum fuisse discipulum S. Cæsarii Junioris, cum unus tantum fuerit. Videâtur Henschen. in Actis SS. hac die in prætermissis.

C. B. Joanna de Lambertinis floruit in monasterio nostro Ferrariensi cum S. Catharina in habitu mantellatarum; donéc cum eádem Sancta, & Paula Mazuvacca, & Illuminata Bembi, ædificato monasterio Bononiensi Corporis Christi, in illo ad Ordinem Minorum transiêre; ubi B. Joanna sancte occubuit hac die. De illa agit ex NN. Josephus á D. Antonio in suo Iman fol. 63. Ex Minoritis Gonzaga p. 2. in 1. monaster Provinciæ Bononiensis, & alii apud P. Artur. in Martyrol. Franciscano hac die fol. 142, & 147. Ex aliis Jacob. Grassetus in vita S. Catharinæ Bononiensis n. 68, & 147, Henschen. in Actis SS. hac die in Præterm. Videatur N. Herr. tom. 1. Alph. fol. 140, dum de S. Catharina, & fol. 268. de monaster Ferrariensi.

D. Ven. Petrus de Villanova Cæsaraugustæ natus est ex Mathæo de Villanova, & Francisca Duenas, in cœnobio Aragonensi professus est in manibus Prioris P. Francisci de Mansilla 19. Octob. an. 1578: fuit eximiæ sanctitâtis, & óbiit Cæsaraugustæ anno 1608, ut refert N. Jorda tom. 3. in Histor. Aragon. lib. 2. c. 1, n. 54. fol. 97.

E. Ven. Catharina de Médicis nata est ex Ferdinando primo, & Christina de

Lorena ducibus de Toscana in metropoli illius Provinciæ anno 1594 die 3. Maii in die S. Crucis, cujus fuit devotissima. Cum duos supra viginti annos explesset, nuptui tradita est Ferdinando Gonzagæ duci mantuano: quo tempore raris cæpit amplius clarêre virtutibus. Mortuo viro ad cœnobium S. Monicæ convolavit, ubi breviter pie decessit hac die anno 1629 ætatis 35. Ejus vitam late scripsit anno 1630 ejus confessarius Fulgentius Gemma Abbas S. Barbaræ Clericus Theatinus. Ex NN. agunt de illa Torelli Centur. 6. c. 74. fol. 731, Elsius in Encom. fol. 137, Arpe tom. 1. Diarii SS. fol. 200, citans Marracium in Heroinis.

F. Ven. Elisabetha á Cruce nata est in Oppido Ahoiz ex Ludovico Cabrera, & Beatrice Martin, monialis facta est in cœnobio S. Sepulcri Alchodii die 15 Junii an. 1611, ubi inter pietâtis degens exercitia, méritis cumulata, ad præmium immortalitátis vocâta est anno 1665, ut narrat N. Villerin. tom. 3. lib. 36. tract. 2. §. 4. fol. 156; & Jorda tom. 2. lib. 4. Histor. Valent. cap. 4. fol. 507. num. 20.

G. S. Paulus discipulus S. Paulini Sancto fine quievit anno 440: & de eo plura narrat N. Portilho tom. 2. SS. Ordin. fol. 68.

IDIBUS APRILIS.

XIII.

A In Anglia in territorio Rossensi, in Vallia Australi, depositio S. Caradoci Eremitæ nobilis Cambri, qui vitæ sanctitáte, & miraculis illustratus, hac die sanctissime decessit. *B.* In Mòrinis transitus S. Erkemboldi Confessoris, qui prius mónachismum amplexus in Sithuensi cœnobio sub S. Berthino, plenus scientia, & pietáte, post obitum Revengeri in ejus locum Episcopus creátus est, ubi affluentis virtûtis, ac solertiæ copias patefecit; sic que verbo, & exemplo clarus hac die ad æternæ salutis portum méruit onustus méritis pervenire. *C.* Senis pretiosa mors B. Antonii Senensis viri sanctimonia clari, qui vigiliis, jejuniis, & oratióne ad amussim pudicitiam custodivit; & carnem domuit carnis, & vini abstinentia. Solitúdinis, & paupertátis amator, otio indixit bellum perpetuum: patientissimus fuit in laboribus, quos in reformatióne est perpessus; & visitans cœnobia, pedestrem semper viam arripuit, in qua vel orans, vel psalmos decantans apparebat. Erga Domini Crucem fuit devotissimus, & ideo Eremita Crucis, cumqua depingitur, vocabátur. Tandem sanctimonia clarus hac die mortalitátem exuit, ut immortalis redderetur. *D.* Mantuæ óbitus B. Joannis Rochi de Portiis Papiensis, qui divinitus in Lombardiæ partibus nostrum Ordinem reformavit; Creme etenim primum fundavit monasterium, & alibi postea tredecim. Donum prædicatiônis habuit, quod munus magno cum fidelium exercuit proventu, & sic ad eum audiendum talis erat concursus, ut Ecclesiæ non sufficérent, & sic in foro, seu foras multoties prædicabat; & prædicatiónes ejus Deus multis miraculis confirmávit. Demum post innumeros pro Dei gloria exantlatos labores, Mantuam ingressus, plenus fide, & gratis exornátus virtûtibus, vitam æternam ardenter anhelans, hac die, humanum plasma déferens, ad præmium volavit sempiternum. *E.* Florentiæ in cœnobio Ordinis natális Ven. Simonis de Tornaquitiis, qui a pueritia in Ordine educátus in vitæ probitáte, & litterarum studio, in utroque plurimum coruscávit, donec méritis consummatus hac die in pace quievit. *F.* Ulyssipone memoria Ven. Francisci de Jesu Portuensis, de quo fertur fúisse eximiæ sanctitátis virum. *G.* In cœnobio Heybarensi felix transitus Ven. Joannæ á S. Nicolao monialis conversæ, quæ, cum prius inter Excalceatas Ordinis Eliani habitum suscepisset, tamen magnis ægritûdinibus fatigâta, illum invita dimisit, sed adhuc Religionis desiderio inflammata, Abulæ ad monasterium Heybarense admissa, statim se totam jejuniis, pœnitentiis, & oratiônibus tradidit exercendis. In oratióne erat assidua; ubi multas passa est extáses, & habuit visiônes; & ibi á Christo proméruit audire: Mé adjuva Crucem portáre. Claruit humilitáte, charitáte, pœnitentia, tota enim ciliciis,

ciliciis, & catenis circumsecus cincta erat, donec febre correpta, receptis piissimè sacramentis, hac die sanctè decessit.

COMMENTARIA.

AD DIEM DECIMUM TERTIUM APRILIS.

A. S. Caradocus Anglus ibidem floruit, & obiit multis miraculis clarus hac die anno 1124. De illo agunt NN. B. Joan. Capgraph. in Cathal SS. Angliæ, & Torelli tom. 3. fol. 563, ubi probat illum nostri Ordinis fuisse.

B. S. Erkemboldus monachus fuit sub disciplina N. S Berthini, de quo agendum est 5. Septemb; & postea factus est Episcopus Tervanensis, ubi sanctissime vixit per 26 annos, & obiit hac die anno 742 in cœnobio Sitherensi. De illo agunt Saussai in Martyrol. Gallico, & Henschenius hac die. Patet illum nostri institûti fuisse, fuerat enim S. Berthini discipulus, quem nostris spectare in die prædicto ostendemus.

C. B. Antonius Senensis floruit in Ilicetano cœnobio mirabili sanctitâte, ubi obiit die 13. Aprilis anno 1497, ut ait N. Arpe in Diario SS. fol. 196, sed Romanus in Centur. 11. fol. 87 illum réponit sub anno 1458. Præter hos de illo agunt ex NN. Orosius in Chronic, Herrer. tom. 1. Alph. fol. 17, Torelli in Sæculis tom. 7. fol. 19. sub anno 1456, & in Centur. 3. c. 83. fol. 329. unde videtur esse diversus á B. Antonio de Monteciano, de quo 30 Aprilis, & de B. Antonio de Montechio, de quo 13. Augusti.

D. B. Joannes Rochus de Portiis Papiensis, circa annum 1388 natus est ex Martino de Portiis: vir fuit acris ingenii, & verbi divini suo tempore proclamator singularis, qui ordinem in Lombardia mirifice instauravit, multis ædificâtis monasteriis: donec innumeris meritis cumulâtus, & miraculis illustratus, Septuagenario maior, in cœnobio Mantuano S. Agnetis felici fato in cælum migravit anno 1463 die 13. Aprilis, ut asserunt NN. Herrer. tom. 1. Alph. fol. 386, Torelli Centur. 3. c. 92 fol. 344, Arpe in Diar. SS. tom. 1. fol. 281. Alii tamen asserunt illum obiisse 13. Julii anno 1462, & sunt NN. B. Bartholomæus Palazzolo in suo Martyrol. Romano, Elssius, Portillo in m. s. Josephus á D. Antonio tom. 3. Floris Sanctorum fol. 99. Hanc inter varietâtem opinionum, quia simul decédere non poterat die 13. Aprilis, & 13. Julii, vel dicam errorem fuisse unum pro alio mense assignare, vel in uno die óbitum, & in alio ejus translationem fuisse, quia ante óbitum petiit à Ven. Augustino Cazzuli Priore Cremensi, ut suum corpus, ubicumque tumulâtum foret, ad cœnobium Cremense transferre curasset. De illo præter citatos agunt N. Bergom. lib. 6. Supplementi, Crusen. p. 3. c. 24. Ex exteris Sabellicus Æneade 10. lib. 6. fol. 951, & Hippolitus Donesmundi, apud Herreram, qui de illo ait: Prædicabat cum ea acceptatiône, & fama in tota Italia, quod Ecclesiæ concursus populi illum desiderantis audire non erat capaces; quare oportebat in publico foro disseminâre verbum Dei, quod pluries miraculis expressis confirmavit, ut fecit Cremæ, ubi proprium nomen reddidit immortale.

Epigramma ad eumdem.

En tuba cælestis, cujus sonus æthera complens,
Insonuit templis, insonuit que foris.
Joannis vox illa fuit, fa dicére, magni,
Olim in desertis qui sacra dicta dabat.
Desertas si voce prior complevit eremos,
Noster Joannes per fora dicta dabat.
In templis vox quæque sonet; vox alta Joannis
Debuit, & templis, & resonâre foris.

E. Ven.

E. Ven. Simon de Tornaquitiis Florentiæ natus, inter nostros floruit probitâte, & scientia, óbiit in cœnobio Florentino S. Spiritus die 13. Aprilis an. 1429, sepultus que est in capitulo cœnobii cum hoc Lemmate. Hic jacet, Ven. Vir Fr. Simon de Tornaquitiis de Florentia sacræ Theologiæ Magister, Ordin. Erem. S. Aug; qui óbiit an. D. 1429 die 13. April. cujus anima requiescat in pace. De illo agit N. Herrera tom. 2. Alph. fol. 397, Pamphil. fol. 70. eum ponit anno 1408.

F. Ven. Franciscus de Jesu Lusitanus in Portuensi territorio natus ex Didaco Fernandes, & *Maria* Nunes, professionem emisit in hoc cœnobio Gratiarum tempore Ven. P. Montojæ, & Ven. Francisci á Villafranca, qui in ejus professiône assignavit, die 13 Aprilis anno 1550, ut patet in primo Libro Professionum fol. 82; fuit vir magnæ sanctitâtis; & in hoc óbiit cœnobio: ignoratur tamen dies, & annus.

G. Ven. Joanna á D. Nicolao Abulæ nata est ex Didaco Sanchez de Castro, & Antonia Garcia. Religionis mota desiderio, anno 1598 inter moniales Excalceatas S. Theresiæ habitum suscepit, sed ob adversam valetudinem monasterium dimisit; & postea inter nostrates cœnobii Heybarensis habitum suscépit anno 1603 in Octava S. M. Monicæ, ætatis 27, & habuit in tyrocinio Socias W. Mariam de Fide, & Mariam *Magdalenam*, & ibi mirabili floruit sanctitâte, & sancte óbiit die Martis hora 6, 13. Aprilis anno 1627 ætatis 54. De illa agunt NN. Herrera tom. 1. Alph. fol. 424. Elss. in Encom. Lit. I; Torelli Centur. 6. c. 69 fol. 726; Portillo tom. 2. fol. 70. hac die, Villerin. tom. 1. lib. 3. tract. 5. fol. 154; Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 195; Josephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 2. fol. 366. num. 8.

DECIMO OCTAVO KALENDAS MAIJ.

XIV.

A Lugduni in Gallia S. Lamberti Episcopi, & Confessoris, qui, cum prius mónachismum amplecteretur in cœnobio Fontanellæ sub S. Wandregisilo, & post illius óbitum monasterium fere per bis septem annos gubernasset, creâtus est secundus post B. Genesium Episcopus Lugdunensis, unde verbo, & exemplo clarus hac die mortem sanctissimam oppétiit. *B.* In Agaunensi cœnobio transitus S. Wilicarii Episcopi Viennensis, & Confessoris tempore Caroli Martelli Galliæ Regis, qui Præsulatu depósito, in Agaunum volavit, ubi pro vestibus Pontificalibus habitum mónachalem suscipiens, & postea ob sanctimoniam Abbas factus, tandem méritis gloriosus, hac die in cælum ascendit coronandus. *C.* Lombardiæ óbitus B. Adriani Berzeti de Burontio, qui illam Provinciam suis virtûtibus decoravit; fuit enim omnium speculum virtûtum, & præcipue pœnitentiæ, & oratiônis: nonnulla Ordinis rexit monasteria summa cum prudentia, & sanctitâte, & cum Priorem agéret in cœnobio de Aviliana, ad Ordinem admisit B. Cherubinum. Testam. Plenus ergo annis, & méritis, sancte óbiit, ex quo tempore multis cæpit clarêre prodigiis, & Beati nomen in ore omnium nanciscí proméruit, ut ostendunt imagines ejus ubique répertæ. *D.* Cæsaraugustæ in Hispania memoria Ven. Bernardi Jorda Valentini, qui post professionem tales in virtûtibus, & Litteris fécit progressus, ut præ cunctis sui temporis doctior, & virtuosior credéretur. Post multas in Ordine dignitâtes, factus est Episcopus Philadelphiæ, & Suffraganeus Cæsaraugustæ, cujus Diœcesim Septennio gubernavit: donec opiniône doctissimi, & sanctissimi illustratus, sancte decessit. *E.* Valentiæ in Hispania defunctio Ven. Ludovici Sisternes, qui egregia doctrina, qua in Academiis Leridæ, & Valentiæ fulsit, clarus, clarior extitit in virtûtibus, donec in cœnobio Valentino commorans, annis, & méritis plenus,

nus, animam méritis exhalavit opimam. *F.* Valentiæ in cœnobio S. Juliani depósitio Ven. Felicitâtis Assensio monialis conversæ, quæ ab ingressu Religionis, claruit oratiône, pœnitentia, jejuniis, & disciplinis. Erga Christi passionem fuit devotissima, in cujus mémoriam, quoad vixit, in collo funem detulit asperrimum, & velo coopertum. Fuit raræ humilitâtis, eximiæ charitâtis erga omnes, extremæ paupertâtis, & Angelicæ puritâtis, quibus præmunita virtûtibus, læto vultu mortem aspexit.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM QUARTUM APRILIS.

A. S. Lambertus ortus est in Territorio Teutonico ex nobilissimo Erleberto; tædio sæculi ad cœnobium Fontanellæ perrexit, ubi admissus est ad habitum á N. S. Vandregisilo, dequo agendum est 22. Julii, cui valde erat charus; post cujus óbitum Abbas factus, trédecim per annos, & menses octo, monasterium gubernávit. Postea creâtus est Episcopus Lugdunensis, unde plenus méritis, hac die in cælum translâtus est anno 688. De illo agunt Saussai, & Henschen. in Actis SS. fol. 215; & alii plures. Benedictini de more solito, non attendentes ad illud: plurima conantes prendere, pauca ferunt, S. Lambertum suo vendicant institûto, tanquam hoc esset arca Nóachi, in quo duntaxat genus humanum salvarétur: plures fáteor, sub illo salutem æternam, sed non omnes esse nactos, quia & si glorientur, quod sunt populus electus régale Sacerdotiũ, gens sancta, etiam sub aliis hoc réperîtur institûtis: ideo non est, cur S. Lambertum nôbis non deferant possidéri; fuit enim discipulus S. Vandregisili, qui, ut probabitur 22. Julii, nostro pótius, quam suo, pertinet institûto: idcirco Carolus Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum 667 n. 1, & sequentibus; & ad an. 734 n. 69 inconcusse probat, S. Lambertum Benedictinis nullâtenus pertinére. Videâtur Henschen. hac die.

B. S. Vilicarius ex Episcopo Viénnensi mónachus, & Abbas Agaunensis factus est, ubi sancte postea decessit, ut narrat Henschenius in Actis SS. in Prætermissis hac die, ubi plúres de illo agunt cum Saussai in Martyrologio Gallico. Jam plúries dictum est in cœnobio Agaunensi Régulam Augustianianum esse observatam, & pluries, cum fuérit opportunitas, probabitur.

C. B. Adrianus Berzetto de Burontio in Lombardia floruit sanctitâte, & miraculis circa annum 1490. De illo agunt Herrer. tom. 1. Alph. fol. 17, Elss. in Encom. Lit. A; Torelli Centur. 4. c. 19. fol. 392; Portillo in m. s. hac die, & Arpe tom. 1. SS. fol. 45, dicens illum obiisse 6 Januar; quod certum non est, cum adhuc hac die súperstes esset, ut testâtur Herrera, ubisupra: unde pótius Portillo credendum est, dum de illo hac agit die tom. 2. fol. 78.

D. Ven. Bernardus Jorda Valentiæ ortus est é prosapia nobili, & habitum Ordinis recépit in cœnobio Valentino, & statim in Litteris, & virtûtibus longe Sodales anteivit. In Academia Valentina publicus Lector fuit. Post plures in Ordine dignitâtes, ad instantiam D. Fradiqui de Portugal Archipræsulis Cæsaraugustani á Paulo Tertio creátus est Episcopus Philadelphiæ, & Suffraganeus Cæsaraugustanus die 14. Aprilis an. 1535. Fuit Gubernator Cæsaraugustanus in absentia D. Fradiqui in Gubernio Cathalauniæ. Obiit tandem Ven. Bernardus inter præclára scientiæ, prudentiæ, & sanctitatis testimonia circa an. 1543. De illo agunt NN. Roman. in sua charta aperta, Herr. tom. 1. Alph. fol. 108, Elss. in Encom. Lit. B, Torelli tom. 8. ad an. 1535. fol. 194 n. 3; Jorda tom. 1. Histor. Valentiæ lib. 2. c. 12. fol. 256. n. 1.

E. Ven. Ludóvicus Sisternes Alchodii natus est, & in cœnobio patriæ hábitum suscepit, & de illo dici potest illud Virgilii Georg. 2. Exiit ad cælum ramis felicibus arbor; fuit enim doctissimus, & sanctissimus. Circa an. 1514 in Academia Valentiua publice légebat: & anno 1529 die 24 Aprilis erat Prior in cœnobio Barchinonensi. Tandem Valentiæ degens cum egregia sanctitâtis opiniône é vivis excessit circa annum 1537. De illo agunt NN. Herrer. tom. 2. Alph. fol. 22, Elss. in Encom. Torelli tom. 8 an. 1514 fol. 7. n. 12, Jorda tom. 2. Histor. Valentiæ lib. 3. c. 26. fol. 116. n. 3.

F. Ven.

F. Ven. Felicitas Aſcenſio prope Valentiam orta eſt ex Petro Aſſencio, & Maria Lopes, in cœnobio monialium S. Juliani habitum inter converſas ſuſcépit, & profeſſa eſt anno 1627, &, quoad vixit, rara floruit Religiône, & plena méritis hoc mense denata eſt anno 1652. Agit de illa N. Jorda tom. 2. lib. 4. Hiſtor. Valentiæ cap. 2. fol. 262. num. 15.

Epigramma ad eamdem:

Super illud Pſalmi 83. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. &c.

Quiſquis in æde Dei non ficta ſponte moratur,
Dicetur felix, imò beatus erit.
Nam velut aſcendens, cælum pétet ille volátu;
Deſpicit ille ſolum, reſpicit ille pólum.
Huic Deus in cælo ſervat poſt fata coronam:
Rite coronandus, Rex quia talis erit.
Ecce Virago patet, Felix ex nomine dicta,
Quæ petiit ſacras non ſine ſponte domos.
Unde beatificæ pergens per compita vitæ,
Dicenda & Felix, imò beata, foret.
Exire ex optans carnis de mole gravantis,
In cælum aſcenſus éderet illa bonos.
Edidit innumeros, agnomen ut indicat ejus;
Non erat illa ſolo, quæ fuit orta pólo.
Hanc poſt fata Deus digna mercéde bearet,
Cordis ut aſcenſus próderet inde ſui.

DECIMO SEPTIMO KALENDAS MAIJ.

XV.

A. Véneti in Britannia Armórica depoſitio S. Paterni Epiſcopi, & Confeſſoris qui, cum prius monaſticam ſequerétur ſub S. Paulo Leonenſi, ob virtûtis præſtantiam ad præſulátum aſcendit invitus, unde cum miraculis ſuam comprobaſſet ſanctitátem, hac die in cælum méruit ſublimari. *B.* Galliæ in cœnobio Reomagenſi tranſitus B. Sylveſtri mónachi, & diſcipuli S. Joannis Abbatis, qui, cum in vita, & méritis, & miraculis coruſcaret, per hæc in cælo coronam méruit ſempiternam. *C.* In Hibernia natalis S. Ródani Abbatis Lothrenſis, qui ſub diſcipulatu SS. Columbani, & Brandani mirabili ſanctimonia, & ſtupendis miraculis coruſcans, hac die de carnis ergaſtulo ad cæli palatia vocátus eſt. *D.* Panormi in cœnobio Excalceatorum defunctio Ven. Proſperi á S. Monica, qui in Religione ſpiritualibus déditus exercitiis ſemper vixit, ut patet ex duobus libellis exercitiorum, quos ſuamet ipſe manu conſcripſit: unde fuit non módicæ ædificationis erga omnes, & licét toto ſuæ vitæ decurſu, timoratæ, ac valde ſcrupuloſæ conſcientiæ extitiſſet, quietius tandem, & ſcrupulorum expers hac die animam efflavit, magnum ſuæ Religionis odorem relinquens. *E.* Avenióne inſter Urſulinas Ven. Mariæ de Guillen, quæ a téneris in Religiône nutrita, ſuæ rara virtûtis præbuit teſtimonia; erat enim compatiens, pacífica, ab omnibus dilecta, & ádeo ad virtûtem proclivis, ut adhuc, quid eſſet oratio, ignorans, multas per horas eſſet genuflexa, junctis manibus, oculis clauſis, & modeſtia angelica. Habuit ſimplicitátem columbinam, & in illa Adamum non

pec-

peccasse videbatur. Sic silentium observávit, ut præter recreatiônis tempus, difficulter loqueretur; & in obedientia, quoad vixit, se ad omnes fecit exemplar Singulâre: & in patientia in morbis insignes, si non superávit, æquávit. Tandem gravi morbo correpta, biduo ante óbitum, illum prædixit; quo expleto, suavissime animam exhalavit. *F.* In cœnobio Sanctissimæ Trinitatis Oppidi Morelli natâlis Ven. Hieronymæ Pitarch ibidem monialis, in cujus corde ádeo timor Dei erat impressus, ut semper timida viveret, considerans á se Deo dandam rationem. Sibi cordi erat cum viris piis, & de rebus piis sermocinari. A'deo locutiones vanas abominata est, ut nec etiam cum consanguineis véllet colloqui. Claruit zelo rerum communium, & cultus divini, & adhunc, & si paupera, plures edidit supellectiles. Donec his, & aliis méritis exornata, pie creditur decessisse. *G.* Hac die Translatio S. Othmari Abbatis, quæ in monasterio S. Galli quotannis celebratur.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM QUINTUM APRILIS.

A. S. Paternus Episcopus, & confessor, fuit prius mónasticam amplexus simul cum S. Davide, dequo jam 1. Martij, & S. Teliône, dequo jam 9. Februar; & aliis in Armorica sub disciplina S. Pauli, de quo jam 12. Martii: S. vero Paternus jussu Angeli Solymas petiit cum SS. Davide, & Teliône, ubi S. Paternus á Joanne Tertio Solymarum Patriarcha creâtus est Episcopus Véneti in Armorica, ubi per multos annos sanctissime degens, hac die an. 560 ad súperos volâvit. Quod autem S. Paternus nostro pertinêat institûto, clare patet, quia ille vixit sub disciplina S. Pauli Leónensis, & hic discipulus fuit S. Hilduti, dequo 6. Novembris agendum est, & S. Hildutus discipulus fuit S. Germani Episcopi Parisiensis, sed hic ultimus nostro pértinet institûto, ut dicendum est 31. Julii, & omnes nostri late probant, inter quos Herrer. tom. 1. Alph. fol. 271: idipsum etiam dicendum est de aliis. De S. Paterno agit Henschen. in Actis SS. hac die, & satis manifestat nostris pertinêre. De ipso etiam agit N. Jacob Font in Viridario SS. Ordinis die 9. Februar. in vita S. Teliônis fol. 476.

B. S. Sylvester mónachus, & Abbas Reómanensis discipulus fuit S. Joannis, dequo egimus 28. Januarii: post hunc S. Sylvester fuit Abbas in eodem cœnobio, & méritis, & miraculis clarus decessit hac die anno 575. Trithemius lib. 3. de Viris illustrib. Ord. S. Benedicti c. 275 illum suæ Religiôni attribuit, & sic in Breviario sui Ordinis Antuerpiæ vulgâto pónitur 17 Aprilis: verum Carolus Lecointe in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad an. 572 n. 6. miratur, cur ab iis mónachus tantum, non Abbas dicâtur? Cur que adscribatur Ordini S. Benedicti, quia S. Joannes monasterium Reómaense condidit, priusquam nomen S. Benedicti in Galliis audirêtur. Addo cum Henschenio hac die, & Bolando 28 Januar? Quia S. Joannes vixit in monasterio Lerinensi cum S. Honorato, dequo jam 16. Januar; & postea régressus ad cœnobium Reómaense, scripsit ad S. Honorâtum, ut ad sum accederet monasterium: unde patet in Reómaensi cœnobio observari institútum Lerinense, & ideo Augustinianum. Insuper quia quando Benedictinus Ordo Galliam pénetravit, jam transacti erant 115 anni ab ortu S. Joannis: unde satis constat, nec illum, nec Fratres suos pénitus Benedictinum institûtum cognovisse. Confirmatur amplius, & efficaciter authoritâte unius mónachi Reómaensis Coætanei S. Sylvestri apud Acta SS. 28. Januar, dum de S. Joanne, ubi ait. Cum Jonas Abbas B. Columbani disciplinis eruditus per monasterium S. Joannis, quod vocâtur Reómaus, præteriens, paucis diebus ínibi pro labôre itineris quiéviset, ductus precibus Domini Hunni Abbatis, Fratrum que ipsius cœnobii, ut quæ per discipulos memorâti Confessoris Christi, vel postéros eórum veraciter comperta erant, conscriberet. &c. Si ergo in tâli mónasterio observabantur dictamina, & præcepta N. S. Columbani, dequo 21. Novembris,

clare constat, illorum Fratres non Benedictinum, sed Augustinianum observasse institûtum.

C. S. Rodanus mónachus, & Abbas fuit in cœnobio Lotrensi in Hibernia sub disciplina SS. Columbani, & Brandani, ubi flóruit sanctimonia, miraculis comprobâta, & hac die é vita migravit circa annum 600. De illo agit Henschenius in Actis SS. fol. 382. cum aliis.

D. Ven. Prosper á S. Mónica Panormitanus, Romæ inter Excalceatos professus est die 28. Octob. an. 1613, & in Religiône vixit magno cum sui nominis splendôre, & pie decessit in cœnobio Panormitano S. Nicolai die 15. Aprilis anno 1658 ætatis 73; professiônis 54. De illo agit N. Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 14. fol. 428 num. 122.

E. Ven. Maria de Guillen, seu de Misericordia, Avénione inter Ursulinas floruit sanctitâte, & præcipue raro silentio, & sancte migrasse refertur in Histor. Ursulin. 3. p. tract. 6. fol. 79, 15. Aprilis, ætat. 18 circa an. 1642.

Epigramma ad ejus silentium.

Fœmina rara datur, cui grâta silentia fiant:
Ecce Maria tacet; namque Virâgo fuit.

F. Ven. Hieronyma Pitarch orta est in Oppido Morelli in Hispania ex Bartholomæo Pitarch, & Elisabetha Anna Serra: hábitum suscepit in cœnobio SS. Trinitâtis ejusdem oppidi, & inter móniales conversas professa est 17. Decemb. anno 1655, ubi inter raras virtûtes die 15. Aprilis óbiit anno 1699, ut refert N. Jorda tom. 2. Histor. Valentiæ lib. 4. c. 14. fol. 454.

Epigramma ad eamdem.

Dalmata Longævus, ténebroso incluſus in antro,
Extremum ad sonitum contremuisse patet.
Si Sanctus, sua membra dómans tam diriter, horret;
Quid fácient alii, queis proba vita deest?
Cur non deserti virgulta ténella tremiscent,
Si bonus horret homo, si tremit alta cedrus!
En mónialis adest, similis quæ nominis extat:
Quam suprêma nimis buccina térruerat.
Quo bene compósuit sonitu pia fœmina mores;
Ut bene vivâmus, próficit ille, solo.

G. Translatio S. Othmari Abbatis in mónasterio S. Galli, qui óbiit 16. Novemb. an. 759, hac die célebrátur apud Ferrar, Menardum, & Wiônem, & Henschenium in Prætermissis die 15. Aprilis in Actis Sanctorum.

DECIMO SEXTO KALENDAS MAIJ.

XVI.

A. Brácharæ in Lusitánia natâlis S. Fructuósi ejusdem civitâtis Archipræsulis, qui Augustinianum ampléxus prius institûtum, ob egrégias virtûtes ad eamdem Eccleſiam regendam sublimâtus est, unde verbo, & exemplo pótens, óvium suárum mores exactissime reformâvit, donec assidua corporis macerationè extenuâtus, & miráculis gloriôsus, in Dómino hac die quiêvit, sepultus que est in mónasterio S. Salvatôris ab ipso cóndito. *B.* Juxta Castellum Bonum

in

in Sicilia óbitus S. Guilelmi Politiensis, qui aliquando degens in cœnobio S. Mariæ á Partu, & inde Priórem agens, postea in eremum secedens, ibi áciter á dæmone tentâtus est, sed Dei gratia juvante, in sanctimónia usque ad finem persevérans, prædicto sui óbitus die, hac ánimam Deo, Deiparæ, Angelis, & cæteris cælícolis commendans, in terram óbiit, & in cælum abiit: quo die in Castello Bono ejus, tanquam patroni, festivitas celebrâtur. *C.* Cæsaraugustæ in cœnobio Ordinis memória Ven. Petri Vaquéro viri admodum pii, qui postquam in Ordine nonnullos per annos lectúram magno cum sui nóminis splendóre exercêret, & mysticus egrégius exíret, ad cœnóbium Epilense S. Sebastiani se recépit, ubi raro cum exemplo vixit, crébrius. & aliquando duntaxat pane, & áqua contentus, jejunábat; sese aspéris disciplinis, & ciliciis macerábat; supra nudas tabulas, & aliquando supra humum somnum capiebat. In choro erat assíduus, & quotidie ad matútinum surgebat, & in choro matútina persolvébat, & si Conventus ad illa non surgeret. Plures per horas die, noctu que oratióni vacábat, contemplans Christi passiónem, & hóminis noviíssima. Erat in paupertáte, humilitáte, silentio, patientia, & charitáte erga páuperes singulâris, quotidie enim eleemosynas paupéribus distribuébat, & in fidei erudiebat mystériis: donec tantis virtútibus satis cumulâtus, magna cum sui opiniône decessit. *D.* In cœnobio Matritensi Incarnatiônis gloriôsus transitus Ven. Sponiæ Christi Mariannæ á S. Josepho, cui in Religiônis tyrocinio apparuit Christus dicens: tempus est, ut de meis cures, & de tuis obliviscaris rebus; hæ etenim ad me pertinent. Altera vice in choro stans, é sacrario aspexit radios prosilíre. qui in unum forma pyramidali conjuncti, & ad illam accedentes, illius pectus penetrárunt. Post varias fundatiônes, ultimo ad cœnóbium Matritense pervênit, ubi duo supra viginti annos degens mirabili sanctitáte, prodigiis confirmâta, febre correpta, inter dulcíssima ad Deum, de Deo, & cum Deo colloquia, répetens illud Psalmi: In pace in idipsum dormiam, & requiescam, in pace quievit, & plures post annos incorruptum illius corpus répertum est. *E.* Alchodii in cœnobio S. Sepulcri óbitus Ven. Theresiæ ab Spiritu Sancto mónialis, in qua floruit incredibilis in laboribus patientia, & sui spiritus singulâris púritas, ut eam aspexit N. Ven. Jacob Lopes, qui, dum in altari cálicem elevaret, vidit animam Ven. Theresiæ ad instar vasis christallini, & áqua pleni. Donec tanta puritáte refulgens, hac die ad Agni cæléstis nuptias vocâta est. *F.* In cœnobio S. Annæ in oppido S. Mathæi in régno Aragoniæ transitus Ven. Angelæ O'natæ mónialis eximiæ sanctitâtis, floruit enim in omni, & præcipue in pœnitentia, & oratióne, quibus satis ornâta, ad sui Sponsi cæléstis thálamum, hac die properâvit. *G.* Abulæ in cœnobio. D. N. de Gratia memória Ven. Mariæ Brisegno mónialis, quæ ob egrégias virtútes in Priorissam electa est, sub cujus cura vixit aliquando S. Theresia adhuc sæcularis; quæ ádeo devóta erat erga sacramentum altâris, ut quotidie, étiam in die Véneris sanctæ, communicâret, áliter in animo gravem paterétur languorem, ut contigit in die Véneris sanctæ, non relicta á Sacerdote ad illam communicandam particula; sed divinitus communicâvit á manu sibi invisibili apparente, ut refert ejus confessarius S. Thomas de Villanova; donec multis exornâta virtútibus, ad cælum, ubi facie ad faciem videtur panis Angelorum, feliciter translâta est. *H.* In cœnobio Matricâlensi depositio Ven. Mariæ de Lacerda ibidem monialis, quæ orta ex nobilissima prosapia Ducum de Metimna Cæli, innumeris præclarior virtútibus, per illas in cælum fecit ascensum purpureum.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM SEXTUM APRILIS.

A. S. Fructuosus Vergidi in Gallæcia prodiit ex Gothorum prosapia; in Palentia hábitum Augustinianum suscépit ex manu Tonantii, áquo satis in Religiône instructus, plura sui Ordinis in Hispania ædificâvit monastéria. Ob famam sanctitâtis á Recessuintho Rége Episcopus Dumiensis, licét invitus, creâtus est. Sed anno *656* in Concilio Toletano Archipræsul Bracharensis creâtus est: ubi verbo, &

exemplo clarus, ſanctiſſime in cælum migravit anno 665 die 16. Aprilis, & in cœnobio S. Salvatoris ſepultus eſt, ubi uſque ad annum 1120 permanſit, quo tempore Compoſtellam ejus exuviæ translâtæ ſunt, & in Eccleſia maiori ſummo cum cultu á fidelibus véneratur.

Circa inſtitûtum S. Fructuôſi Lis eſt non parva inter quatuor Religiónes; Carmelitas, Canonicos, Benedictinos, & noſtrates Auguſtinianos; ſed duo primi facile répelluntur; nam nec Carmelitæ, nec Canonici illo in tempore Hiſpanias ſalutarunt, ut noſtri inconcuſſe probant, & conſentit Henſchenius hac die. Benedictini tamen plus urgent; omnes enim, quotquot vetuſtas novit ſanctitâte præſtantes, é ſuo autumant eſſet inſtitûto; & ſic idem de S. Fructuôſo aſſerunt; & rem probant unico, ſed fragili fundamento. S. Fructuôſus quaſdam ad régulam S. Benedicti fécit additiônes, & illas ſuis tradidit mónachis obſervandas: ſic ergo dilucide conſtat, illum ad S. Benedicti Ordinem pertinêre. Nil, cum probatur, probatur; & ſic Henſchenius hîc erga illos nullum cognoſcit fundamentum; quia facile ad illos reſpondetur, S. Fructuôſum non féciſſe declarationes ad S. Benedicti régulam, quia illam non Ordine Capitûlorum, nec totam explicâvit, ſed duntâxat aliquot illius textus, imo aliqua nóviter contra ipſam régulam præcépit, & diſpoſuit, ut vidére eſt in *N.* Purific. infra citando. Imò pótius ex hoc ſéquitur S. Fructuôſum, & illius mónachos non eſſe profeſſos S. Benebicti régulam; quómodo enim S. Fructuôſus ſuos mónachos obſervare náviter præcipéret ea, quæ in S. Benedicti régula continentur? Verum quidem, quod nonnulla hauſit ex S. Benedicti régula, ut ſuos mónachos informaret; non tamen omnia, imò contra illam nonnulla diſpoſuit, quia révera nec ipſe, nec ejus mónachi Benedictinum obſervabant inſtitûtum, quod adhuc illo in tempore in Hiſpaniis ignotum erat, ut inconcuſſe á noſtratibus probâtur.

Remanet ergo ab excluſiône dicendum, S. Fructuôſum duntâxat Auguſtininis pertinére, velint, nólint Benedictini, & Henſchenius, qui ait, N. Purificatiônem nil probâre; ſed pace tanti viri, dicam, hoc ſatis inſipidum eſſe dictum, illum enim duntâxat vidit in Chronologia mónaſtica, unde duntáxat refert ſimpliciter ſanctos, & beâtos per annum, in chronico vero diffuſe probat, quidquid aliunde affert aſſertive. Apponam ergo nonnulla fundamenta, ut agnoſcatur, non ſine fundamento á NN. vendicari. Primum eſt, S. Fructuoſum vixiſſe in cœnobio Dumienſi fundato á S. Martino ante S. Benedictum, ubi régula Auguſtiniana obſervabatur, ut ſatis probatum manét die 20. Martii, dum de S. Martino: ſequitur ergo etiam S. Fructuôſum noſtris pertinêre. Secundum eſt, Ordinem S. Benedicti non ſalutaſſe Hiſpanias, niſi, & ad plurimum ab anno 910, ut inconcuſſe ex privilegiis Regum Hiſpaniæ noſtri probant: At non ita dicendum eſt de Ordine Auguſtiniano, qui ab anno 403, ut ait Liberatus Gerundenſis Abbas Pampelonenſis in Chronico, Hiſpanias ſalûtavit. Idem poſtea contigit anno 484 miniſterio S. Donati, ut aſſerunt S. Ildephonſus, & S. Maximus anno 574, & alii plures: unde ſatis infertur, jam multo ante Auguſtinianum inſtitûtum Hiſpanias ſalutaſſe. Tertium, & fortius fundamentum eſt, quiá S. Fructuôſus ab omnibus dicitur eremitice vixiſſe, & ſic Eremita vocatur, ut ait Julianus an. 610, ſic: Poſt anno 610 petiit eremum Vergidii. &c: & clarius patet ex privilegio Regis Chindasventi anno 646, ubi ait ad S. Fructuôſum. Ideo cautamus, & concedimus, atque donamus ad ipſum mónaſterium complutum ſupernumeratum, & tibi, ſanctiſſime Fructuôſe Abbas, in opus mónachorum, Anachoretarum, Eremitarum, & omnium ibidem Deo ſervientium ipſos montes.&c. Cum ergo Eremitarum titulus Mónachis S. Benedicti ſit prohibitus in régula cap. 19. ut notat Suares tom. 4. de Religiône lib. 2. c. 9. n. 14, & Antonomaſtice Auguſtinianis pertinêat, ut cum multis aſſerit Sampſon Hayo de Veritáte vitæ Ord. S. Guilelmi fol. 28 ſic: Auguſtinianus Ordo, Eremitarum Ordo antonomaſtice vocitátur: Cum igitur ergo S. Fructuôſus fúerit Eremita, & cum illis vixerit in tempore, quo paſſim, & ſparſim Hiſpania Auguſtinianis erat pléna, concludendum eſt, illum duntaxat noſtratibus pertinêre. Addam tandem, quod etiam S. Fructuôſus in ſuis explicatiônibus plures expoſuit textus régulæ Auguſtinianæ, quod etiam noſtram expendit amplius veritátem. Hanc etiam confirmant nonnulli AA. ex noſtris ſunt Antonius á Purific: in Chronol. monaſtica fol. 48, & de Viris Illuſtrib. lib. 1. c. 10. fol. 13, & in Chron. tom. 1. lib. 3. tit. 1.

fol.

fol. 246, Torelli tom. 2. an. 607. fol. 576, num. 1, Arpe tom. 1. in Diario SS. fol. 312 Idem asserit Author Antiquitatum Olyssiponensium tom. 2. c. 12, & 13, & alii.

Epigramma ad eumdem.

Non fúeras sterilis, sed eras fœcundior arbor;
Præbueras fructus tempore namque suó.
Sic fructu exundans, quia jam maturior annis,
Fata subis, quando mensis Aprilis erat.
Tunc áperis fructus, fœcunda que noscéris arbor,
Et qualis fúeras, tunc manifestus ádes.
Dúceris ad súperos, horto ut plantéris Olympi;
Ut fructu possis uberiôre frui.

B. S. Guilelmus Politiensis ortus est in Rolitio Urbe Diœcesis Cephalæ inter duo Hymeræ fluminis capita, ex familia Gnoffiorum: unde simul vel Politiensis, vel Gnoffius vocâtur: vitam Eremiticam ducens, sanctissime óbiit juxta Castellum Bonum in Sicilia anno 1321 die 16 Aprilis. Illum inter suos numerant Wion, Dorganius, Bucelinus, & alii Benedictini. At Caietanus apud Henschenium hac die in Actis SS. ait, Wionem falsum tradere, quia diu post óbitum S. Guilelmi ædem S. Mariæ á Partu ab illo structam erexerat in monasterium Ordinis S. Benedicti Franciscus junior Hieracii Comes anno 1366: ergo iste sanctus nullâtenus Benedictinis póterit pertinêre; & ideo Angélus Sangritius Abbas Benedictinus scribens S. Guilelmi vitam, quæ est apud Henschenium, nec verbum quidem de Ordine Benedictino habet; imò habet fuisse Eremitam, & in Priórem sui cœnobii electum; quæ omnia, ut súpra probatum manet, non Benedictinis, sed Augustinianis quadrant: quod amplius confirmâtur ex habitu, quo S. Guilelmus usus est, erat enim tunica, pallium, tégmen capitis albi coloris, & baculus in manu; quæ signa indicant, amplius nostris, quam ulli alteri illum pertinêre.

C. Ven. Petrus Vaquero Cæsaraugustæ natus est ex Francisco Vaquero, & Maria Mantin de Urbizcondo; in cœnobio ejusdem Urbis professus est 16. Aprilis anno 1655; littéris, & in mysticis præcipue claruit, sed multo plus in virtûtibus, quibus satis exornâtus, degens in Episenssi cœnobio S. Sebastiani, sancte óbiit. anno 1667. De illo late agit N. Jorda tom. 3. c. 7. fol. 126 num. 11.

D. Ven. Marianna á S. Josepho orta est die 5. Augusti an. 1568 in oppido Alba de Termes ex Joanne Manzanedo, & Herrera Civitâtensi, & Maria Maldonado Camargo Cauriensi: hábitum suscepit in cœnobio S. Crucis Civitâtensis 9. Februarii ætâtis 18 an. 1586. Cum aliis égressa est ad fundationem Heybarensem 7. Maij an. 1603. Inde quinque secum ferens sorores egressa est ad fundationē Vallisoletanam an. 1606, & anno 1610 ad Palentiæ fundationem, & tandem ad Matritensem, egréssa est: & cum vel per se, vel per sorores decē fundasset monasteria, annis, & heroicis ornata virtûtibus, sancte migravit ad Sponsum Matriti die Jovis, & 15. Aprilis anno 1638. ætatis 71; & ad tumulum ejus positum est célebre Epitaphium. De illa latissime agunt. NN. Herrer. in Alph. tom. 2. fol. 67; Elss. in Encom. Lit. M; Torelli in Centur. 6. c. 96. fol. 761; Villerin. tom. 1. lib. 7. tract. 2. fol. 302; Arpe in Diario SS. fol. 198, Josephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 2. fol. 189. usque ad 252, Portillo tom. 2. fol. 70. Ex exteris Ludovicus de Munhos, qui ejus vitam prælo dedit, & Author appendicis ad Bibliothecam Hispanicam, & alii cum Torelli tom. 8. fol. 520.

Epigramma ad ipsam.

En Virgo fœcunda patet Marianna fuisse;
Innumeras étenim prótulit illa polo.
Nam si térreno caruit pia fœmina sponso,
Cœlesti Sponso rite ligâta fuit.

Ex

Ex hoc conjugio tanto est ea munere plena,
Posset ut innumeras gignere, virgo manens
Conjugium ó felix, ignorans damna pudoris:
Hoc virgo fúeras, & Marianna parens.

E. Ven. Theresia ab Spiritu Sancto orta est in Hispania in Oppido Midata prope Valentiam ex Vincentio Puchasons, & Francisca Cisternes, hábitum suscépit in cœnobio Alchodiensi S. Sepulchri 10. Junii an. 1631, ætatis 11. annorum, & professionem emisit 10. Septemb. anno 1636, & cum usque ad terminum sese claris ornâret virtûtibus, hac die anno 1683. summa cum pietâte decessit. De illa agunt NN. Villerin. tom. 3. lib 36. tract. 2. fol. 141, Jorda tom. 2. lib. 5. c. 5. fol. 509. n. 11.

F. Ven. Angela O'nate in Oppido de Morella nata est, parentes habuit Joannem de Onate, & Barbaram Piqueram; mónialis facta est in cœnobio de Mirambel, & adhuc novitia egréssa est cum fundatricibus ad cœnobium in Oppido S. Mathæi in Aragonia fundatum, ubi in omnibus virtûtibus coruscans, hac die anno 1640, ad præmium volavit sempiternum, ut refert N. Jorda tom. 2. lib. 4. c. 13. fol. 433.

G. Ven. Maria de Brisegno mónialis extitit in cœnobio Abulensi D. N. de Gratia, ubi ob morum integritátem Priorissa electa est, & cui data est in Custodiam S. Theresia anno 1530, ut refert Fr. Franciscus á S. Maria Carmelita Excalceatus tom. 1. Chron. Hæc pro confessario habuit S. Thomam. de Villanova, qui de illa refert prodigium de SS. Sacramento Serm. de SS. Christi corpore: unde non fuit Ven. Maria de Lacerda, ut refert N. Herrera, de qua infra. Tandem Ven. Maria, plena annis, & méritis in pace quievit. Annus ignoratur. De illa agit D. Thomas ubisup. item S. Theresia Loquens de sanctitáte mónialium hujus cœnobii Abulensis, & N. Torelli tom. 8. anno 1530, fol. 161. n. 6.

Epigramma ad eamdem.

Ignea vis durum emollit, tractábile reddens:
Qui si deficiat, durius illud erit.
Ad sacras Abulæ fuit ipsa Theresia sedes
Tradita, ut in rectis erudienda foret.
Ipsa tenax animo, vitæ claustralis abhorrens,
Ardebat sæcli continuáre viam.
Dura erat in voto, nolens dare vota sororum:
Ignoràbat adhuc, quid bona vota forent.
Illa tamen mollita fuit, præsente Maria:
Unde prius nolens, post fuit acta volens.
Si non in nostro sacra vota Theresia fécit
Cœnobio, híc didicit, quómodo vota daret.
Cur sic? Dura prius, facta est ea mollis ad ignem;
Ignes ad mira ab nam Mária *ore*, sonat,

Maria de Brisegno Anagrammate puro valet: Ignes ad mira ab ore.

H. Ven. Maria de Lacerda mónialis floruit circa idem tempus in cœnobio Matricalensi, ubi óbiit rara sanctitátis opiniône. Hæc est illa mónialis, cui á nostris communiter ducitur favor ille cæléstis in Eucharistia, quem refert D. Thomas á Villanova in sermone 2. Corporis Christi; verum, ut supra dictum est, non hæc fuit, sed Ven. Maria de Brisegno, non solum ob ratiônes allátas, sed etiam quia, ut ait Ægidius Gonçales de Avila in Theatro Ecclesiarum Hispaniæ lib. 3. c. 5. fol. 123, hoc prodigium contigit in cœnobio Abulensi anno 1530, sed ibi eo tempore florebat Ven. Maria de Brisegno, & D. Thomas solum in dicto monasterio vicarium egit; & Ven. Maria de Lacerda non in Abulensi, sed Matricalensi floruit monasterio: ergo non huic, sed alteri Mariæ de Brisegno ducendus est favor á D. Thoma relá-

relátus Videátur N. Torelli tom. 8. ubisup. Herrer. tom. 2. fol. 61, Portillo tom 2. fol. 96. hac die, & alii plures.

DECIMO QUINTO KALENDAS MAIJ.

XVII.

A. Cordubæ in Hilpania passio gloriôsa SS. martyrum Eliæ, Pauli, & Isidori mónachorum, qui ob Catholicæ fidei defensiônem á Saracenis gladio interempti sunt, datis cervicibus; & postea in stipitibus infixi, & ávibus in edulium expositi, sed ab illis cælitus illæsi, in flumen demersi sunt. B. In Normania depositio S. Paterni Episcopi Abrincensis, qui cum prius sub Eremitico vixisset institûto, ob præclara mérita Episcopus creâtus est, quod munus trédecim per annos sanctissime exercens, multis clarus virtûtibus, & prodigiis, hac die ad réquiem volávit sempiternam tempore Childeberti Francorum Regis. C. Ibidem transitus S. Scubilii Abbatis, & socii in Eremo S. Paterni, sanctitáte clari, qui duo, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita & in morte non sunt separati. D. Perusiæ natalis B. Jacobi de Cerqueto, qui ab ingressu Religiônis se fecit omnium virtûtum exemplar singulare; claruit enim obedientia, & observantia. Dequo fertur, quod, cum aliquando ad missam célebrandam pararetur, & ranæ in palude proximiori magno cum strepitu coàxare cæpissent, ipse jussu Prióris quasi ludrice præcipicientis, ad ranas pérrexit, & signo Crucis efformato, ad illas dixit: In nomine D. N. J. C; Vobis, ut tacêatis, præcipio, ne nos tam diriter perturbetis. Ex tunc illorum stridor miraculose cessavit usque ad præsens. His, & aliis gloriôsus, felici exitu hac die ad audiendos cælitum cantus évolavit. E. In Provincia Anconitana óbitus B. Jacobi Anconitani, viri sanctitáte, & miraculis præclarissimi, qui fugiens auram popularem, de prælátorum licentia, in speluncam rémotam se contulit: sed cum se adhuc á crebro pópulo quæsitum vidêret, á Domino petiit, ut homines ab illo fúgerent, sicut ille ab hominibus fugiebat. Illi Deus sua concessit postulâta, & Elephantiam illi immisit, in quo morbo summam ostendit tolérantiam, dabat enim Deo pro illo gratias pérennes, & siquis vermis é vulnêre decidebat, illum suo loco restituere satagebat, memor tormentorum Christi. Cum agricolæ illius loci tritici inopia laborarent, ab eo petierunt, ut pro illis ante Deum deprecâretur, quod fécit in illa nocte, & á Deo suis precibus nactus est, ut ségetes adhuc parvulæ illa nocte, & grana ferrent, & arescerent; & viso miraculo Agricolæ, tertiam fructuum partem obtulêrunt mónasterio, ad quod ad medelam adductus est B. Jacobus, & in balneum perrexit, in quo óbiit, domo tota raro odôre flagrante, & stante áqua frigida, educto tamen corpore, in calidam conversa est. Obiit hac die, & post óbitum multis claruit miraculis. F. Marrochij in Africa felix transitus Ven. Viri Thomæ de Jesu, viri nobilitáte, Litteris, & virtûtibus præclari, qui postquam in Ordine nonnullos vixisset per annos raro sanctitátis splendore, infelicem Regem Sebastianum comitátus in Africana expediône cum decem sui Ordinis Religiosis, é prælio rémanens súperstes, captus est, non passus á captivitáte liberari, ut ibi mélius ad cæli coronam per labores pararetur: & cum ibi librum cæleste de laboribus Jesu, omni medio naturali destitûtus, componêret, & plures ad fidem, inter quos fuit Petrus Navarrus Matritensis, & postea martyr, reduceret, méritis innumeris cumulátus, prædicto suæ defunctiônis die, de exilio ad patriam, de terra ad cælum hac die translátus est; sepultus que est in cæmiterio extra Urbem cum P. Ignatio Tavares Trinitario. G. Viennæ in Germania defunctio Ven. Sebastiani á S. Vincentio, qui ibidem inter Excalceatos floruit scientia, probitáte, & honoris divini zelo; donec animum corpore fatiscente, hac die meliori vitæ tradidit quiescendum,

dum. *H.* In Insulis Philippinis memoria Ven. Francisci Azuaræ, famosi Theologi, & Apostolici prædicátoris, qui accensus desiderio pro christiana fide sanguinem fundendi, in Indias profectus, ibi nonnullos per annos moratus, feras illas gentes vera mysteria magno cum proventu edocuit, donec perpessis pro Dei gloria multis laboribus, ad coronam satis méritam translatus est. I. In Gallia inter Ursulinas de Troys Obitus Ven. Mariæ á Matre Dei, quæ ad Religiônem, tanquam ad Calvarium, pérrexit, dum enim in Religióne vixit, sese mortificatiônibus crucifixit; taliter, ut cæteris sodalibus exemplar patiendi fiéret singulare: donec multis morbis, & laboribus depurata, & rara erga Deiparam splendens devotióne; illam enim sibi elégerat præcipue tutelarem, spiritum Deo, ut pie créditur, hac die tradidit immaculátum.

COMMENTARIA.

AD DIEM DECIMUM SEPTIMUM APRILIS.

A. SS. Elias, Paulus; & Isidorus mónachi Cordubenses extitêre, & pro fidei defensióne sub impio Mahomath. passi sunt hac die anno 856. Et licét Tamayus in Martyrologio Hispano néget mónachisimum S. Eliæ, eo quia præsbiter vocátur; attamen fácile convincitur, quia præsbiterâtus non oppónitur mónachisímo, omnes enim norunt, Ven. Bedam mónachum fuisse; & tamen communiter non mónachus, sed præsbiter vocâtur; & hujus ratio est, quia in illis temporibus Ordines sacri magno in pretio erant, tâliter, ut illis initiâti per illos nóminarentur, ut patet in illis septem martyribus nostri Ordinis, de quibus lóquitur Victor Uticensis lib. 3. de persecutióne Wandalica, scilicet, Bonifacio Diacono, Servo subdiacono, Rustico Subdiacono, Liberato Abbate, Rogato, Septimo, & Maximo mónachis, qui omnes, etsi mónachi essent, tamen ordinati, non mónachi, sed per Ordines nominantur, dequo agit N. Ribera in vita S. P. Aug. lib. 3. c. 20. fol. 192: ita etiam & si S. Elias præsbiter nominêtur, non sequitur, etiam mónachum non fuisse, quia nominatur ex Sacerdotio, quo pótiebatur; ut bene asserit N. Torelli loco infra citando.

Majus tamen dubium est, quale fúerit istorum martyrum institûtum! Fuit antiquitas noverca veritâtum, quas nobis summa livedine abscondit; & ut illas indagémus, arduitas parva non est, & hinc lites innumeræ oriuntur; vulgâre enim interris est frigidum illud verbum: meum, & tuum; cum ergo Deus mundum hominum disputatióni tradiderit, ut ait Ecclesiastes cap. 3; indignum non erit, ut quisquis, etiam disputando, quæ sua sunt, procuret. Hinc Carmelitæ, Benedictini, & Augustiniani pro his martyribus solent disputâre, & quisque pro se existimat rem concludere, sic que istorum in medium referam ratiónes, ut appareat, cujus sint.

Ex Carmelitis Lezana tom. 3. Annalium fol. 422, extendens rete suum, asserit hos SS. martyres suo pertinére institûto; ejus fundamenta facili cónatu dissolvit N. Torelli in præsenti tom. 3, & de hac sententia ait Henschen. in Actis SS. hac die: Sed hos refutâre operosius, nec dum sequi, non est hominis satis prudentis. Unde his in sua opiniône rélictis; ad Benedictinos respondêre fas est cum eodem Henschenio ubisupra: Nolumus tamen id negare, maxime, si id afferentes aliquid congruæ probatiônis attulerint. Cum ergo Yepes in Chronica tom. 4. Centur 4. c. 2, Brito in Monarchia Lusitana lib. 7. c. 15, rem pótius improbent, quam probent, ideo in vanum laboraverunt, cum talem opiniônem ædificârunt: quómodo enim possent hi martyres suo attinêre institûto, si hoc ibi sæcula per nonnulla præcesserat in Hispania? Dicâtur, an rite Minoritæ illos suos appellabunt? Non rite; quia illis multo posteriôres sunt in tempore; ita etiam suo modo sunt Benedictini erga illos posteriôres in Hispania, ubi solum post an. 910 apparuêre, velint, nolint. Remanent ergo ab exclusióne Augustiniani. Sed prius apponam verba Antonii Casanatæ Carmelitæ, qui in Paradiso Decôris Carmeli statu tertio, ætate 10. c. 65. fol. 237, ait: erant planæ in diœcesi Cordubensi, & aliis

His-

Hiſpaniæ hinc inde jam tunc plura in ſolitûdine mónaſteria, tum Heliadum, tum Baſilianôrum, tum Auguſtinianorum, tum Benedictinorum: &c. & P. Hieronymus de la Higuera in Theatro Antiquitâtis Hiſpaniæ, ait in illa Cordubenſi Urbe tres Ordines fúiſſe, Canonicorum intra Urbem, Benedictinorum própe Urbem, Auguſtinianorum in ſolitûdine, & procul ab Urbe. En etiam ab extraneis in confeſſo eſt Cordubæ in illo tempore Auguſtinianos flóruiſſe, nec rite négarent, cum conſtet ex Liberato Abbate Hiſpaniam Auguſtinianis mónaſteriis oppletam á S. Paulino, & S. Donàto, & aliis fúiſſe, quod ex nullo cápite erga alios conſtat.

Rem próbo oſtendens tales mónachos Cordubentes Eremitas fúiſſe ex S. Eulogio, qui de illis lóquens lib. 2. c. 4. ait: Qui locus péne á Corduba in parte ſeptentrionali triginta, & amplius milliaribus diſtans, vaſtiſſimam horret inter dicta montium, ſolitûdinem, ad cujus radices, quo idem ſitum eſt, flumen Armilàta diſcurrens, magno piſciculórum ſolàtio mediciñam réfovet mónachorum, ex quo Armilàtenſe cœnobium appellatur. Quid clarius dici póſſet ad inſinuandam Cordubenſium monachórum vitam Eremiticam? Nulla Religio, ut noſtra, ita eremum incolebat, quæ ſi modo inter pópulos cernitur hábitáre, fuit ex privilegio Alexandri IV. Cum ergo ex Caſanàte Carmelita conſtet Cordubæ Auguſtinianos tunc temporis extitiſſe, & juxta Hieronymum dela Higuera Auguſtiniani viverent in ſolitûdine, & conſtet ex S. Eulogio tàles mónachos in ſolitûdine vixiſſe, quid dici debet, niſi tàles SS, & hujus géneris omnes fúiſſe Auguſtinianos. Addo, quod S. Leporius, qui fuit N. Ordinis, & poſtea Epiſcopus Uticenſis in Bæthica, ibi anno 406 fundavit mónaſteria: cum ergo Corduba eſſet ſuæ Diœceſis, vel própe illam, ab illo póterant mónachi Cordubenſes originem habêre. Qui plura deſideret, videat Torelli tom. 3. dúm de Mónachis Cordubenſibus. De his SS. tanquam noſtris agunt Purificat. in Theàtro Triumphali Choro 3; & in Chronol. Mónaſtica lib. 1. 17. Aprilis fol. 48, & in 1. p. Chronic. tom. 1; Torelli tom. 3. an. 855. fol 291, & 257, & in Centur. 1. c. 92. fol. 117, Elſſ. in Encom. Lit. E fol. 18, Herrer. in Alph. Lit. H. fol. 328, Arpe in Diario SS. fol. 202. Ex exteris Agiologium Luſitan. tom. 2. fol. 609, Henſchen. in Actis SS. hac die, licet aſſerat N. Antonium á Purificatiône nil probâre: ſi illum vidiſſet in Chronico, & Torelli in Sæculis, áliter lóquerêtur.

Epigramma ad SS. martyres.

Quos Mahomath tormenta pati crudelia fêcit,
Hos tutantur áves, & maris unda fóvet.
Impius in ſanctos exercet Régulus iram;
Ignorant, & aves, & máre tàle malum.
Tres illi fúerant, Paulus que, Iſidorus, Elias:
Erga illos Mahomath debuit eſſe pius.
Ut noſcas, littras primas ex nómine eórum
Detrahe, conjunctim vox ſónat iſta Pie.
Cum ſæviret homo, non ſic mare ſævit, & ales:
Bruta fovêre ſolent, quos malus angit homo.

B. S. Paternus Epiſcopus Abrincenſis quartus in Ordine, natus eſt circa annum 480: mónachiſmum in Normania amplexus eſt, poſtea Epiſcopus creatus tempore Childeberti Regis Francorum, verbo, & exemplo clarus, poſt trédecim annos, ſanctitáte clarus, hac die in cælum migravit anno ſalutis 565. De illo præter alios agunt hac die Acta SS. Henſchenii, aſſerentis Benedictinis non póſſe pertinêre: & certe quidem, quia ſi S. Benedictus natus eſt anno 527, & S. Paternus natus eſt anno 480, ſequitur S. Paternum S. Benedictum præceſſiſſe 47 annos, quo tempore S. Paternus jam erat amplexus mónachiſmum, & multo poſt adhuc S. Benedictus ſuum amplexus eſt inſtitûtum, & hoc in Monte Caſſino, & S. Paternus in Normania. Cum ergo conſtet S. Paternum mónachiſmum obſervaſſe, & in Eremo vixiſſe, fundamentàliter aſſéritur á noſtris noſtro ſub inſtitûto vixiſſe; & ita aſſerunt Tabulæ Auguſtinianæ hac die.

C. S. Scubílio mónachus, & S. Pater-

ni socius & illo sénior, cum illo vixit in Eremo, & postea sanctitâte, & miráculis clarus, eódem die cum S. Paterno sociâtus ad cælum translâtus est, ut refert Henschenius, ubi supra.

D. B. Jacobus de Cerqueto anno 1340 hábitum suscépit in cœnobio Perusino, ubi claruit patientia, & obedientia, cæteris que virtûtibus. Jussu suo ranas obstrepentes in palûde obmutescere fécit. Obiit ibidem sancte hac die anno *1367*, ejus que corpus in Ecclesia Perusina in quadam capsa réconditum religiôse servâtur; & postea crescente pópuli devotiône, ejusdem Beâti brachium é sepulchro érutum, inter alias cœnobii réliquias collocàtum est, & frequenter fidelium cultui expónitur: unde me latet fundamentum, cur Henschenius de hoc Beâto hoc die in prætermissis égerat mentiônem! Si de aliis alterius Ordinis, & forte minoris sanctitâtis, & cultus agit, cur non de nostro? Quia Augustinianus erat; ipse étenim, fas mihi dicere, gloriæ Augustinianæ non parum invidus, quantum potest, contumulâre procurat. De N. B. Jacobo agunt ex NN. B Jordanus saxo in Vit. FF. lib. 2. c. 3; Ven. Orosco, Pamphil. Herrera in Alph. tom. 1. fol. 377; Elss. in Encom. Lit. I. Torelli Centur. 3. c. 9. fol. 252; & in Sæculis tom. 6. fol. 87; Portillo hac die tom. 2. fol. 97 Arpe, in Diario SS. tom. 1. ubi asserit óbiisse 19. Martii; Josephus á D. Antonio in Florario SS. tom. 2. fol. 59. Ex exteris Gregorius Nolan in ejus vita, Jacobillus in SS. Umbriæ, & A. Histor. Perusinæ.

F. B. Jacob. de Ancona, in patria habitum suscépit, & statim clarissimis cæpit clarêre virtûtibus, quas Deus non paucis confirmavit prodigiis, in vita, & post óbitum B. Jacobi, qui hac die anno 1399 in cælum migrâvit. De N. B. Jacobo agunt NN. Ven. Orosco in Chron. Roman Centur. 11. fol. 76, Herrer. tom. 1. Alph. fol. 380, Elss. in Encom. Lit. I., Portillo hac die tom. 2. fol. 106. Josephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 2. fol. 61; Torelli tom. 6. fol. 349; & alii.

Epigramma ad B. Jacobum.

Justus apud Dominum potis est; auditur ab ipso;
Grata nimis fiunt nam sua vota Deo.
Talis erat Jacob, qui nocte precâtus in una,
Agricolis ségetes præbuit innúmeras.
Non fuit imber opus, ségetes ut crescere póssent:
Non eget imbre leges, sole nec aret ager.
Sufficit ad ségetem mens oratûra Jacobi:
Fit messis præceps, vix petiêre preces.

F. Ven. Thomas á Jesu Lusitânus Olyssipóne natus ex Ferdinando Alvares de Andrade, & Elisabetha de Paiva, in cœnobio Gratiarum professus est die 27. Martii anno 1548 in manibus Ven. Francisci de Villafranca, tunc cœnobii Gratiarum Prioris, ut constat ex lib. 1. Professionum fol. 44. Postinde per virtûtis ambulans vestigia, anno *1560*. magister novitiôrum factus est. Postea Penafirmii Prior electus est, & ibi anno 1574 principium dedit nostris Excalceatis, & ibi hábitum récepit Ven. Fr. Andreas Diaz, in Turribus Véteribus natus, qui postea Excalceatorum in Itália fundator fuit, & óbiit in portu Cadaques in Catalaunia. Cum ergo in virtûtibus Ven. Thomas floreret, & præcipue in charitâte, à Rege Sebastiano électus est infirmarius maior exercitus Lusitani in Africam profecturi, quo cum aliis decem Religiôsis nostri Ordinis profectus est die 25. Julii an. *1578*: sed cum infelici fato Rex cum suo milite súperatus esset die 4. Augusti ejusdem anni, Ven. Thomas captus est, & permanens constans in fide, & pósitus in crudeli custodia, ubi multa passus est, compósuit aureum librum Laborum Jesu. Tandem innúmeris laboribus, & méritis consummatus, prædicto sui óbitus die, óbiit sancte *17.* Aprilis an. *1582*. De illo agunt ex NN. Ven. Alexius de Menezes, Herrera tom. 2. Alph. fol. 446, Antonius á Purificat. in Chronol. mónaster 19. Martii fol. *49*, & de Viris Illustribus lib. 3. cap. 14. fol. 97, & 2. p. Chronic. fol. *123*; Elss. in Encom. Lit. T. fol. *657*, Torelli in Centur. 5. cap. 67. fol. 594; Portillo tom. 2 fol. 97 Arpe In Diario SS.

tom.

tom. 1. fol. 210, & in Pantheo Elogio 95. fol. 328 Josephus á D. Antonio tom. 2. Floris SS. fol. 253. Gratianus de Scriptoribus Ordinis fol. 172 ad an. 1581, Nativitas Monte 3. Cor. fol. 655. n. 16; Andreas á S. Nicolao Excalceatus in Histor. Generali c. 8. Ex exteris Georgius Cardoso in Agiolog. Lusit. hac die fol. 610, Bernardus á S. Antonio in Epitome Redemptionum lib. 2. c. 20 §. 5; Joannes Figueiras in Chronic. Trinitâtis fol. 436, Joannes Rho in Histor. Virtûtis lib. 1. c. 3. n. 21 Stephanus Ribeiro in Chron. Regis Sebastiani c. 87, Augustinus Gautna in Chron. Cardin; & Regis Henrici, & alii plures.

Apparent imagines Ven. Thomæ de Jesu, quarum una cum célebri elogio apud me extat.

Epigramma ad eumdem.

Et si captus eras, & duro carcere tentus:
Eligis in vinclis esse, nec esse prócul.
Namque fidem servans, in Christum ostendis amôrem:
Ergo debúeras esse ligâtus amans.

G. Ven. Sebastianus á S. Vincentio Viennæ in Germania flóruit inter Excalceatos sanctitâte, qua óbiit hac die, anno 1659. Agit de illo tâbula Virorum Illustrium Excalceatorum in cœnobio Eborensi illorum in aula appensa.

H. Ven. Franciscus Azuara natus in Oppido de Torres Flóres régni Valentini ex Jacobo Azuara, & Elisabetha Esteve, in cœnobio Valentino de succursu professus est 17. Aprilis an. 1610. Claruit litteris, & Zelo Apostolico, quo in Philippinas profectus, valde illis barbaris gentibus verbo, & exemplo profécit, unde laboribus, & méritis consummatus, in Domino óbiit anno 1640. De illo agit N. Jorda tom. 1. Histor. Valentiæ lib. 2. c. 38 fol. 526. n. 6, & tom. 2. lib. 3. c. 10. fol. 45 num. 10.

I. Ven. Maria á Matre Dei in Oppido dicto de Troys in Gallia nata est, ubi inter Ursulinas monialis facta, ibi summa cum pietâte decessit 17. Aprilis an. 1637 ætatis 23. Agit de illa Chronicon Ursulinarum 3. p. fol. 272.

DECIMO QUARTO KALENDAS MAIJ.

XVIII.

A Cordubæ in Hispania passio gloriósa S. Perfécti mónachi, qui cum insanum Mahomethis dogma ante ejus sectarios gráviter execraretur, ab illis comprehensus, & ante judicem perductus, firmus in Christi confessióne persevérans, martyrii laurea méruit hac die coronâri. *B.* In Hibernia natâlis S. Lasreani Abbatis Lethglinensis, Episcopi, & Legâti Apostolici, qui á matre sua Gemma in Hiberniam ductus jussu Angelico, S. Fintano traditus est erudiendus. Cum ibi sanctitâte florêret, á pópulo in Regem électus est, ille tamen duntaxat régnum cæleste desiderans, solum natâle relinquens, perrexit in insulam inter Britanniam, & Albaniam sitam; & inde Romam petens á S. Gregorio Papa Sacerdotio initiâtus est: inde in Hiberniam régressus, in cœnobio Lethglinensi receptus est á S. Gobano ejus Abbate; quo tempore júvenem a latronibus jugulatum rédintegravit, mox discessu S. Gobani Abbas ejusdem cœnobii factus est, ubi innúmerabiles, & sanctos énutrivit discípulos juxta prophetiam S. Patritii, qui in eódem loco aspiciens condensari multitûdinem Angelorum, adstantibus dixit, post

quinquaginta annos ibi habitabit péregrinus quidam, ſervus Dei fidelis, nómine Laſreani, cujus tantus erit número difpulórum ſanctorum, quantus eórum eſt, quos videtis Angelorum: inde poſtea rurſus Romam pétens, ab Honorio Primo creâtus eſt Epiſcopus, & Legâtus Apoſtolicus Hiberniæ, ad quam rédiens, juxta Dublinam ſedens collocans, multis miraculis clarus, hodie ad incorruptibilem æternæ lucis manſiónem vocâtus eſt. *C.* Cónſtantinæ in territorio Bracharenſi feſtivitas S. Fructuóſi Abbatis, qui méritis, & miraculis illuſtris, corónam in cælis méruit æternalem. *D.* In Monte Regali diœceſis Reâtenſis oppido depoſitio incomparabilis Viri B. Andreæ de Monte Régali Confeſſoris, qui, cum in jure Canonico, in Philoſophia, & Theologia doctiſſimus évaſiſſet, & in mónendo, & conſulendo pauperibus claruiſſet, & in omni patientia ſingulâre deſe exemplar præbuiſſet ſanctitâtis, poſtquam Provincialem, & inde Senarum Priórem, & Conventus Nurſini Vicarium ágeret Generalem, vitæ ſanctitáte, corporis aſpéritáte, doctrina Catholica, & melliflua prædicatiône in totius Italiæ, Galliarum que finibus fulgendo, diléctus Deo, & hominibus, Religióni honori, patriæ ornamento, proximo utilitáti, & ſæculo, per quinquaginta annos verbum Dei prædicans, magno fuit, eſtque juvamento; donec innúmeris cummulâtus méritis, & miraculis, Octogenario maior, hac die exuit mortalitátem, ut indueret immoralitátem, tempore Xiſti quarti; in quo tempore clare ſunt auditi cantus Angelici, & Cymbala per ſe ſónitu feſtivo per viginti quatuor horas ſonúere; & corpore per menſem in ſepulto plura, & ſtupenda patrata ſunt miracula, inter quæ præcipue ſeptem, & viginti ſolemniter approbata ſunt. Et extunc uſque ad præſens multis per illum portentis divina gratia illuſtrátur. *E.* In Oppido Certaldi própe Florentiam ſito óbitus B. Juliæ Certaldinæ Virginis, & mónialis, quæ, poſtquam in Religióne per triginta annos ſanctiſſime vixiſſet, degens intra cubiculum anguſtum inter jejunia, vigilias, & flagella, cibo utens duntáxat ſibi pro eleemoſyna conceſſo, ut intenſius oratióni vacáret, tandem illuſtráta prodigiis, hac die glorióſe mortalitátis deſéruit habitáculum; in cujus egreſſu ſuæ diœceſis cymbala per ſeſe feſtivo ſónitu plauſum monſtravêre. *F.* Genuæ in cœnobio S. Nicolai tranſitus Ven. Conſtantini á S. Joanne Baptiſta, qui in die natalitio Deiparæ ab alvo égrediens, ex tunc ipſam magna teneritúdine dilexit; & ante ejus imaginem votum fécit Religiónis amplexandæ; quod promiſit, & adimplévit, & erga Deiparam devotiónem in tyrocinio continuans méruit á Virgine multoties viſitari: & cum hæc illi aliquando apparéret, dixit ad illum: fili, aliquem poſtúla favorem, & hunc tibi lubens condonabo; at ille ab illa petiit, ut coronam, per quam recitábat, benediceret, quod ſtatim fécit virgo puriſſima: altera Vice illi Cicerónem legenti apparuit Deipara cum S. P. Auguſtinó, & S. Thoma Aquinate, & illum admónuit, ne deinceps tales légeret, ſed duntáxat ſpirituáles libellos. Erga D. Thomam de Aquino fuit devotiſſimus, cujus effigiem collo ſuſpenſam perennitei trahebat: ob quod ab eódem ſancto méruit de aliquibus defectibus commonéri. Cum etiam erga Chriſti paſſiónem eſſet devotiſſimus, Chriſtum aſpéxit ſpinis coronátum, & ſub Cruce bajulum, ſanguine que manantem, ſicut ad Calvarium ductus eſt; qui ad illum converſus dixit: fili, amplius ne tua defleas peccáta, tibi enim jam illa ſunt dimiſſa: & hæc eſt via, quam ſequi debet ſalútis amans. Crebro cum ſuo Angelo Cuſtode loquebátur, qui illum mónebat, ne ſcientiis mundanis, ſed ſolum cæleſtibus applicarétur. Semper in ore ejus Dei laudes audiébantur, & præter alia pia colloquia, dicebat illa S. P. Auguſtini: Væ tempori illi, quo non amávi te. Pudicitiam uſque ad vitæ terminum ſervavit, & créditur, ſe nullo lethali crimine maculaſſe. Dæmonem ſibi apparentem, & acriter tentantem nómine Deiparæ invocáto, fúgavit. Tandem multis virtútibus, & cæli favoribus cumulátus, tres, & viginti annos natus, ſumma cum pace hac die in Dómino obdormivit. *G.* Mediolani in cœnobio S. Franciſcæ óbitus Ven. Honorati á S. Margarita converſi, qui adhuc in ſæculo ſemitam virtútis ſéquens, ex hinc Religiónis accenſus deſiderio, inter Excalceatos profeſſus eſt, ubi mira obſervantia, modeſtia, & humilitáte, ſui que contemptu flóruit, cumque ob eleemoſynas jungendas cum ſocio Cremónam péteret, ibi fébre gravi oppreſſus, in Ratesſone, terra Vallis Domodoſcollenſis intra quinque dies, vallem lacrymarum féliciter deſeruit. *H.* Bononiæ in cœnobio Conceptiónis beáta dormitio Ven. Violantæ Betti ibidem mónialis, in qua ſingularis virtútis ſigna veridica coruſcárunt. In oratióne erat aſſidua, inqua extáles

taſes pluies ſuſtinuit ſingulâres; aliquando enim cubitis duobus á terra elevâta videbâtur: Quibus aſſúeta didicit terram deſérere, quam deſeruit hac die feliciter denâta. I. In Gallia inter Urſulinas Oppidi de Abeville natâlis Ven. Annæ de Buiſſi, quæ nuptui tradita, tamen ita virtûtis dedita erat ſemitæ, ut á viro ſuo vocâretur magis apta mónaſterio, quam matrimónio; à quo per viri mortem ſoluta, ad Urſulinas, quibus antea multifarie ſubvenerat, évolavit, ubi cum in omni virtûtum génere præluceret, & præcipue humilitâte, poſt annum decimum á profeſſiône, ſumma cum pietâte ánimam ſuo ſuam hac die tradidit Creâtori. *L.* In cœnobio Eborenſi Pueri Jeſu óbitus Ven. Eliſabethæ ab Aſcenſiône, dequa fertur inter ſorores ſuas magna vixiſſe, & óbiiſſe hac die ſanctitâtis opiniône. *M.* Carmonæ in cœnobio mónialium titulo [illegible]itâtis tranſitus Ven. Eleenóræ á Cruce, quæ in Religiône de e évidens præbuit virtûtis teſtimonium; fuit enim egrégiæ patientiæ, & rígidæ penitentiæ; corpus enim ſuis continuis ciliciis macerabat. Cum ergo quotidie ſuas augéret pœnitentias, ad mortem pervénit, quam illi intulerat intimus in tergo dolor, quo ſex per dies tolerato, hac die pie ergaſtulum corporis deſeruit. *N.* Granâtæ in cœnobio Mónialium Corporis Chriſti depoſitio Ven. Franciſcæ de Jeſu, quæ, tertium ætatis annum agens, annulum Sponſæ á Puero Jeſu ſuſcepit: poſtea viginti annos ingreſſa ad dictum cœnobium volâvit, & licet dotis non egéret, tamen inter converſas numerári voluit; claruit enim humilitâte, paupértate, ſunplicitâte, charitâte, & pœnitentia. Illam á criter dæmones perſecuti ſunt, illam aliquando in ſtagnis áqua plenis mergebant, ubi á ſororibus multoties éducta eſt. Dei juſſu quotidie communicabat, & cum aliquando á Prælâta ei communio négaretur, mirabili induſtria communicâvit. Erga animas Purgatorii fuit devotiſſima, pro quibus crebro ſibi apparentibus plura juſtitiæ divinæ ſuffragia offerebat. Multa in ſpiritu vidit, vidit enim Philippum quartum ægrotantem, & méritis carentem, ſed á Domino mónita eſt, ut pro ejus indigentia oráret. Vidit etiam horribilem in pelago tempeſtâtem, & multos naufragantes, ſed pro illis Dominum rógans, á periculo liberâvit. Vidit etiam hortum roſis pulcherrimis abundantem, & á Domino audivit, roſas illas eſſe ſui cœnobii móniales, & cum Dominus á Roſario nonnullas colligeret, agnovit tunc tot ſororum breviter eſſe morituras, & ſeſe unam ex illis futuram eſſe, ut contigit hac die, in die Véneris ſanctæ, qua in cælis méruit renaſci, qua in térris vitam pro nobis prodegit Salvator ánimarum.

COMMENTARIA

AD DIEM DECIMUM OCTAVUM APRILIS.

A. S. Perfectus Cordubæ martyrio coronatus eſt die 18. Aprilis anno 850. De illo agit Tamay. in martyrol. Hiſpanico, négans tamen illum mónachum, ſed ſolum præsbiterum fuiſſe. Sed convincitur iiſdem ratiónibus die 17 hujus, dum de S. Elia, relâtis. Quantum ergo ad ejus inſtitûtum, Sandoval, Wion, Menardus, & alii ex Benedictinis aſſerunt ſuo pertinêre inſtitûto, ſed faciliter réfelluntur loco citato, & noſtram confirmat ſententiam N. Torelli tom. 3. an. 850 fol. 94 n. 5, ubi inconcuſſe probat noſtri Religiôni pertinêre.

B. S. Laſreanus in Hibernia ortus ex régia proſapia; vixit in mónaſterio Hienſi ſub S. Fintano Abbate, dequo jam 17. Februarii, qui fúerat S. Columbani diſcipulus: bis Romam pétiit, prima vice Sacerdotio initiâtus eſt á S. Gregorio primo, altera vice, Epiſcopus, & legâtus Hiberniæ creâtus eſt ab Honorio primo: in Hiberniam rédiens, ſedem póſuit juxta Dublinum, ubi innúmeris méritis, & miraculis clarus, hac die in cælum migravit anno 940. De illo agunt Late Henſchenius fol. 543; ubi aſſerit illum fuiſſe diſcipulum S. Fintani, & hunc S. Columbani, & etiam alii, & præcipue N. Jacob. Font in Vergel SS. Ordinis in vita S. Fintani fol. 529, ubi probat, omnes illius temporis mónachos vixiſſe ſub inſtitûto S. Patritii.

C. S. Fructuôſus Abbas Luſitanus mónachiſmum amplexus eſt in provincia Tranſtagana ſub diſciplina S. Romani Abbatis;

batis : hinc Palestinam petiit Loca Sacra visitaturus, in Lusitaniam régressus in Constantinam Bracharensis Diœcesis Urbem perrexit, ubi post annos sancte decessit hac die anno 568. De illo agunt Rodericus á Cunha in Calce ad 1. partem Histor. Eccles ; Anton. de Vasconcell ; in Descriptiône Portugall, qui illum asserunt fuisse Benedictinum, ducti authoritâte Maximi, qui ait. S. Fructuôsus Abbas Benedictinus flóret Constantinæ in agro Bracharensi, S. Romani, de quo súpra, discipulus. Econtra vero NN. Purificat. in Cronol. Mónastica hac die fol. 48, & in 1. p. Chron. lib. 2. tit. 2. fol. 177. an. 568, Torelli tom. 2. fol. 387 n. 1. asserunt nostro pertinêre institûto, quia tunc, & multo post in Hispania Benedictinum ignorabâtur institûtum. Nec obstat Maximi authoritas, quia est vitiâta ; ejus enim opus multo tempore in cœnobio Fuldensi Benedictinorum in Germania Latuit m. s: & cum ab aliquo viderêtur S. Fructuôsum Abbatem vocari, intulit, imo desipuit, Benedictinis pertinêre: & hæc ratio additamentum indicat, quia S. Fructuôsus ibidem vocâtur discipulus S. Romani, sed hic nec fuit, nec esse pótuit S. Benedicti discipulus ; illum étenim in ætate longe præcessit, ut videre est in Actis SS. die 28. Februar: ergo nec & S. Fructuôsus. Videâtur Josephus á S. Anton. tom. 2. Floris SS. fol. 368.

D. B. Andreas de Monte Regali, Italus natiône Masciuni, Oppidulo Montis Regalis, unde minus vere ait Henschenius, esse civitâtis Episcopatus Reatini, qui natus est an. 1397 tempore Bonifacii noni : é septennio in ovium cura a parentibus occupabatur an. 1404 : quo tempore videns Priôrem nostri cœnobii, ab illo petiit, ut pro amôre Dei ad suum admitterêtur hábitum, promittens divino adjutorio, se D. P. Augustini régulam servaturum: quibus motus Prior, illum ad hábitum admisit anno 1411 ætatis 14 annorum. Sacerdotio initiâtur anno 1421 : post Lecturas Ordinis in Comitiis Generalibus Montis Pessulani in Gallia á B. Augustino Romano Generali magistrali, & Doctorâli Laurea est donâtus anno 1430, & ætatis 33, & anno 1444. Reate in Comitiis Umbriæ Provinciâlis electus est, & anno 1447 ætatis 47 electus est Diffinitor ad Capitulum Generale apud Bituricenses celebrandum : anno vero 1453 iterum Reatensis Provincialis electus est, & anno 1459 erat studiorum Regens, & Prior Senârum : & tertio Provincialis creâtus est anno 1471 : tandem, sanctitâte mirabilis, prophetia illustris, & innúmeris in vita, & morte miraculis gloriôsus, diem súpremum explevit in térris, ut inciperet æternum in cælis anno 1480 ætatis 83 ; in cujus óbitu campanæ, nullo visibiliter pulsante, per horas integras 24 sonuêre, & Angelôrũ dulcis cantus est auditus : corpus per mensem pópulo est expositum colore vivido, & suâvi odôre: quo tempore 27 miracula celebriôra perpetravit : inter quæ fuit illud, quod accidit 23. Aprilis ; nam cum Martomina de Cipacchio, S. Francisci Tertiaria accedens ad corpus B. Andreæ, ut illud oscularêtur, intra se dolens, nunquam pótuisse B. Andreæ sua confiteri peccata, & lácrymans, déprecans que, ut á Domino suorum peccatorum véniam postulâret, ecce méruit, ut corpus B. Andreæ dexteram attolleret, fœminam benediceret, multis, qui áderant, stupentibus, & misericordiam clamantibus. Corpus ejus permanet illibàtum, & cum dextera eleváta, quam non dum deposuit. Anno 1691. terræmotu in Vestinis sæviente, coram omnibus manus erexit, pectus que in modum orantis, & caput inclinavit: & anno 1730 iterum sæviente in Monte Regali terræmotu die 12. Maij, iterum corpus B. Andreæ manum erexit, & cessavit terræmotus, ut refertur in Relatiône Lusitana ejusdem anni, edita á Roberto á Fonçeca, ubi dicitur.

Andre de Mon-real tambem
Eremita Augustiniano,
Ao chegar o terremoto,
Levanta o direito braço,
Pondo amaõ em modo, e fórma
De impedir aquele estrago,
Que ao mesmo tempo parou,
Sem causar o menor damno.

Isto fez já outra vez
Em o seculo passado
No anno noventa, e hum
O mundo todo assombrâdo :
E entre outros muitos milagres,
Antes de ser sepultado,
Deu a bençaõ a huma senhora,
Amaõ direita elevando.

Epita-

Epitaphium ſepulchri B. Andreæ.

B. Andreæ Ord. Erem. S. Auguſtini de Monte Régali
Magnis, & innúmeris in diem miraculis
Integrum hic quieſcit corpus,
Qui vitæ ſanctitâte, corporis aſperitâte,
Doctrina Catholica, & melliflua prædicatiône,
Miraculórum que magnitûdine,
In totius Italiæ, Galliarum que Urbibus fulgendo,
Dilectus Deo, & hominibus,
Religiôni Honóri, Patriæ ornamento, Proximo utilitâti,
Et ſæculo per 50 annos continuos Verbum Dei prædicans,
Magno fuit, eſt que juvamento:
Obiit anno Dómini 1430, ætatis vero ſuæ
83. 18. Aprilis.

De illo agunt ex NN. Sanctius Riccetelli in ejus vita Piſis édita an. 1614. Coriolanus Generalis in Chronic; Ven. Oroſco, Pamphil. Epiſc, Cruſen, Herrera in Alphab. tom. 1. fol. 16; Simplician. á S. Martino fol. 404, Elſſ. Cornelius Dielman in Vit. SS. Ordinis, Torelli in Centur. 4. c. 10. fol. 380, & in Sæculis tom. 7. fol. 296 á num. 2. Gelſominius, Strambel, Mayay. in Patriarch; Delcampo in Cathalogo SS. Hiſpali vulgato anno 1624; Portillo tom. 2. hac die fol. 108; Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 215; & in Pantheo Elogio 71 fol. 226, Joſephus á D. Antonio tom. 2. Florarii SS. fol. 64; Sanctus Alexius, qui á B. Andrea fuit prædictus hábitum aſſumptûrus, & in ſcientiis coruſcatûrus, ut accidit, & óbiit anno 1561 ætatis 70, & tandem Angelus Caſarecius, Et Baſilius ab Amatrice. Ex exteris inter cæteros Henſchen. in Actis SS. hac die. De illo vitam jam dedi carminibus concinnatam.

Epigramma ad B. Andream.

Non jam jactêtur mendoſo Atlante vetuſtas,
Andreas Atlas verus ineſſe patet.
Suſtinuiſſe polos primum ſi fama canebat,
Suſtinet iſte polum, ne premat ille ſolum.
Erectam ténet ille manum, ſuſtentet ut orbem,
Ne cadat, hunc ipſum quando procella premat.
Hoc fuit expertus, bis jam conterritus, orbis;
Accidat & quoties, expériêtur idem.

E. B. Julia de Certaldo anno 1342 nata eſt ex familia Rena, oriunda ex oppido dicto Semifonte, prope Caſtellum Barberini, & Valdeſæ, diſtans octo millibus a Certaldo: parentum nómina ignorantur; pii tamen erant, ſed pauperes. Ob ſuam paupertátem B. Julia nonnullis ditibus famulâtum præbuit in Florentia, quo tempore hábitum Tertiariæ, ſeu pótius Mantellatæ noſtri Ordinis in cœnobio S. Spiritus ſuſcépit. Cum adhuc Certaldi dégeret, miraculum fécit ſingulare; cum enim ignis in domo quadam vires expanderet fumigantes, inter flammarum voracitátem ráptus eſt infantulus, cujus gementis, & ardentis balátu, & boatu Julia commôta, ignitum pénetrâvit incendium, & púerum illæſum illæſa ſoſpitâvit. Poſt inde Certaldi concluſa eſt in cellula intra ambitum Eccleſiæ S. Michaelis, adinſtar noſtræ S. Verdianæ é Caſtello Florentino, ubi in Dei famulátu uſque ad óbitum perſeverâvit: & ad ejus alimóniam certe cælitus commóti pueri concurrebant; qui ſe propriis jentaculis, ut illam álerent, ſpoliâbant; in quorum favorem gratulandum é cælo Julia flóres accipiebat recentes, etiam in hyeme, quorum dono púeros hilarâbat. In hac cella triginta per annos delituit incluſa, inter aſperas dégens pœnitentias, ante óculos ſemper habens Chriſti paſſiônẽ, & gloriam juſtis dandam. Claruit devotiône

ne erga altaris Sacramentum, quod frequentius súmere latagébat: etiam devotissima fuit erga Deiparam, Angelos, & Cælícolas omnes. Obiit tandem sanctissime, ut aliqui dicunt an. 1367 die 18. Aprilis: sed vérius est óbiisse an. 1372, ut constat ex relatióne N. Mag. Andreæ Arrighi Florentini, ubi ait, Certaldi tabulam esse cum hoc lemmate: B. Julia, quæ quondam Giulia dicebatur 1372, 11. Aprilis. Quando óbiit, campanæ Ecclesiæ S. Michaelis, & S. Jacobi, festivo per sese plausu sonuêre, & accurrens pópulus illam defunctam, & génuflexam invénit manibus erectis, & Crucifixum ténentibus, & se própe ténentem vas flóribus recentissimis plenum, tempore hyemali, unde N. Torelli asserit hic inferri illam óbiisse 9. Januarii; in quo die illius festivitas celebrabátur: & postea súperiorum licentia ad primam Dominicam Septembris translâta est. Post mortem innúmeris claret prodigiis. Certaldi, & ubique est advocâta contra aereas procellas; & cum Certaldi sunt illæ, cymbala Ecclesiæ, unde jácet, per se sónant. Ecclesia S. Michaelis, unde tumulâta fuit, modo unita est nostro cœnobio ab anno 1410, authoritâte Joannis 23, ut constat ex Bulla édita 20. Aug. anno primo sui Pontificâtus, directa ad Priórem Pisanum. Etiam Certaldum, & territórium á contagiis tutâtur, ut accidit Florentiæ per triennium peste laborantis. Corpus ejus hodie est in arca récenti, unde hoc légitur lemma.

Anno tertio contagii civitâtis Florentinæ, qui fuit 1633, Patres S. Spiritus, restaurata Ecclesia, Ossibus B. Juliæ Ord Eremit. S. Aug. protegentis ab Epidemico morbo Castrum Certaldi, arcam dedicárunt.

Caput ejus inclusum est in theca argentea, facta sumptibus N. Fr. Dominici Conti Florentini anno 1652, quod cum baldachino processionâliter defertur per Castellum Certaldi in die festivitâtis ejusdem.

De B. Julia agunt ex NN. Bartholomæus Ricceoleni Florentinus, qui diutius Certaldi commorâtus est, in quadam relatióne, Mag. Andreas Arrighi ubisup; Crusen. fol. 159, Herrer. tom. 1. Alphab. fol. 377; Torelli in Centur. 3. c. 10, fol. 255; sed præcipue in Sæculis tom. 6 an. 1372 fol. 131, ubi late de illa agit, Strambel, Elss. in Encom. fol. 418; Arpe in Diario SS. tom. 1. fol. 204. hac die Josephus á D. Antonio in Florario SS. tom. 2. fol. 102. Ex exteris Henschen. inter prætermissos Actuum SS. 18. Aprilis; quem crederem de B. Julia tractatúrum, si relâta nosset, & illa, ut ègomet, indagâret. Sed proh dolor, Augustinianus illi honor, vel nunquam, vel tarde succedit ad aures? hoc non obstante.

Epigramma ad B. Juliam.

Est virtus rédolens, non est quid amænius illa?
Si placet illa solo, plus placet illa pólo.
Cum virtûtis iter séquerêtur Julia summæ,
Si terræ, cælo plus placitûra fóret
Hoc ut testétur, flóre: é sedibus altis
Sæpe jubet, donans uberiôre manu.
Crédere jam líceat, quod adhuc pia Julia térris,
Cæleste in flórum múnere pignus habet.

F. Ven. Constantinus á S. Joanne Baptista, natus est Cameragnæ in Diœcesi Savonensi anno 1640 ex Petro Antonio, & Birgitta Traseri in natalitio Deiparæ, unde erga Virginem raram concepit devotiônem, duo de viginti annos natus Genuæ in cœnobio S. Nicolai Excalceatorum habitum sui cépit an. 1668, & ibi professus est 19. Nov. an. 1669; multa de illo prodigiôsa narrantur. Cum ergo eximia sanctitâte florêret, sancte decessit 18. Aprilis an. 1673. in eódem cœnobio ætatis 25; ubi extat ejus imago depicta cum sequenti elógio.

Ven. P. Constantinus á S. Joanne Baptista, qui pie vivens, pie óbiit. Fuit diaconus ex diœcesi Cameriana, insignis in Deum, Deiparam que pietâtis adolescens, quod ejus natali lucem & ipse aspéxerit: unicum deinceps vitæ ocellum habuit Mariam: hanc lingua sonâbat, cordi suspirabat, animum que, castis æstuans ardoribus, devovêbat, & plácuit divinæ Matri Clientuli inse studium viva sui præsentia com-

comprobâre ; quin & ipſiusmet Chriſti Crucem bajulantis, recenti que conſperſi ſanguine, aſpectabili forma ad currrendam perfectiônis viam, non vane creditur animatus. Huic flóri, qui brevior vita fuit, eo acrióres fuêre virtútes, quaſi ſe intenderent, ut cito deſitúræ. Valedixit mundo in conventu S. Nicolai Genuæ 18. Aprilis an. 1673. ætatis 23; Religiônis 5.

De illo agunt P. Anterus Excalceatus in Actis Apoſtolorum c. 23. fol. 449, & Fr. Joan. Bartholomæus etiam Excalc. Luſtro 17. fol. 465 n. 2: & in cœnobio Eborenſi Excalceatorum extat in aula illius imago cum ſupradicto elógio.

Epigramma ad eumdem.

Quam præſens ſit odôra dies? Nulla altera tantis
Floribus exundat: munus Aprilis adeſt.
In terris quatuor noſcuntur tempora, cælo
Ver ſólum eſt, juſtis hoc áperîtur enim.
Sic Conſtantinus, cum flos cæleſtis ineſſet,
Evolat in cælum, ver tenet unde manens.

G. Ven. Honoratus á S. Margarita Mediolanenſis, in ſæculo dictus Andreas, in Cappiano ortus eſt ex Cárolo Alfieri, & Lucretia Fontana, Lavacro Sancto expiatus eſt in paróchia S. Stephani; hábitum ſuſcêpit Excalceatorum inter converſos 8. Martii an. 1671 in Conventu Mediôlanenſi S. Franciſcæ, & 9 ejuſdem menſis, in die S. Franciſcæ an. 1672 profeſſus eſt, & ex tunc raris claruit ſanctitâtis indiciis, quibus ad exitum devênit 18 Aprilis an. 1681. De illo agit Fr. Joan. Bartholomæus Luſtro 18 fol. 511 n. 72.

H. Ven. Violanta Betta flóruit Bononiæ in Conceptiônis cœnobio mitabili ſanctitâte, ubi óbiit hac die anno 1603, ut refert N. Torelli tom. 8. fol. 264. num. 38.

I. Ven. Anna de Buiſſi, ſive á S. Urſula, claruit inter Urſulinas de Abuville in Gallia, inter quas poſt núptias ſuſcépta eſt ætatis 47 die 23. Aug. an. 1620, unde óbiit mirabili pietâte 18. Aprilis an. 1632, poſt decem profeſſiônis annos. De illa agitur in Chron. Urſulin. p. 3. fol. 116.

L. Ven. Eliſabetha ab Aſcenſiône flóruit ſanctitâte in cœnobio Eborenſi Pueri Jeſu, ubi piè deceſſit hac die an. 1660, ut conſtat ex relatiône ejuſdem cœnobii, & ex m. ſ. Fratris mei Fr. Franciſci á S. Maria etiam Auguſtiniani.

M. Ven. Eleenôra á Cruce Hiſpali nata eſt ex nobiliſſimis parentibus, Franciſco Pantaleône Ramins, & Magdalena de Arias; flóruit virtútum odôre in cœnobio Carmonenſi, & ibi óbiit 18. Aprilis anno 1668 poſt 35. Religiônis. De illa agit N. Villerin. tom. 2. lib. 32, Additiône 5. §. 7. fol. 412.

N. Ven. Franciſca de Jeſu Granatæ orta eſt ex D. Joanne Pontio de Leône, & D. Maria de Medrano; cum autem viginti eſſet annorum, inter moniales Corporis Chriſti récepta, vóluit, & ſi dives, inter converſas númerari. Cum autem pluribus viveret ſanctitâtis indiciis, die 18 Aprilis anno 1669 in pace quiévit. De illa agit late N. Villerin. tom. 2. lib. 21. tract. 2. §. 2. fol. 71; & lib. 32. Additiône 8.

DECIMO TERTIO KALENDAS MAIJ.

XIX.

A. Aragoniæ memoria B. Antonii de Fano, Viri Litteris, & sanctitàte clarissimi. Ob quæ in confessarium suum elégit ipsum Alphonsus Aragôniæ Rex Quintus, & illum ad Martinum Quintum suum legatum misit, & á Pontifice ob præclaras dotes multis fuit honoribus cumulatus. Adfuit Translatióni S. M. Monicæ. In Aragoniam reversus, plus méritis, quam annis, consummatus, in Dómino quiévit. *B.* In Provincia Patavienſi mómoria alterius Ven. Antonii de Fano Viri non minóris virtûtis, qui in cœnobio Panhormitano vitam introduxit regularem, & illud rexit laudabiliter, cumque maioris obſervantiæ esset cúpidus, de Licentia Martini Quinti Eremum pétiit, ubi pie créditur óbiisse. *C.* In mari Indico óbitus Ven. Simonis Moralii Conimbricensis, ubi in nostro Collegio hábitum assumpsit; quo tempore, cum ad hábitum pergeret suscipiendum inter parentem, & socios, columba candida super ejus resedit caput, & iterum motis tantisper alis sursum evanuit; quo ómine magnus Dei futurus designatus est Apostolus. Post professiónem studiis deditus, & doctus evadens in Indiam profectus est, ubi in linguis bène instructus, & præcipue in Persiana, multos in gentilitate proventus fècit: plures enim ad fidem convertit, inter eos fuit Persianus quidam, qui divinitus inspiratus, cæpit secum cogitare, quæ secta inter omnes esset securior ad salutem: donec ab Angelo in somnis fuit admónitus, quod in Persíde invenîret quendam Augustinianum, per quem quid fáceret, instrueretur: quo tempore Ven. Simon ab Indiarum Prorêge Francisco Mascarenhas ad Persarum Regem missus est legatus, ut pacem inter ipsum, & reges christianos stabiliret, & Turcis bellum excitaret. Tunc eo viso, Persianus relatus ad eum volávit, & ab illo in fide instructus baptisatus est, & iterum ab illo miraculôse adducto á longinquo confirmatus est in fide cum tota familia. Cum ergo fidei zelo accensus, plures èderet fructus, in Lusitaniam pèrrexit cum aliis, sed orta tempestate, in pélago cum sociis summersus est, Deo sic sua mirabili providentia disponente, sed cum virtûtibus, & miraculis clarus decessisset, illum salutem consecutum pietas suadet. *D.* Olyssipone memoria Ven. Rochi ab Incarnatiône, Viri in Litteris, & virtûtibus clari, qui cum in Ordine pluribus fungerêtur officiis, feliciter curriculum consummavit. *E.* Apud Marrochium depositio Ven. Felicis á S. Josepho Excalceati Italiæ, qui, cum in Messinam pergeret, prope Neapolim á Mauris captus est, a quibus male tractatus, in captivitâtem ductus est, ubi pietate commotus, captivis christianis & præclicabat, & sacramenta ministrabat. Cum autem inter illos ob illuviem pestis grassaretur, & ipse ab illa oppressus, summa cum pietate, ergastulum corruptiônis hac die deseruit. *F.* Génuæ in cœnobio monialium S. Mariæ in Passiône transitus Ven. Mariæ Paracleti, devotissimæ erga Spiritum Sanctum, illum enim flagranter invocâre consuéverat, & præcipue in die Pentecostes, & multoties ab illo perfusa est, sed visibiliter una vice, cum enim illum invocaret, ut suum cor inflammaret, & illud divini amôris igne accenderet, ecce super illam advênit Spiritus Sancti flamma: quo tempore admónitæ fuêrunt cœnobii ostiariæ, quod ex quadam monasterii senestra ingens flammarum globus erumpèret; quæ statim accurrentes ad partem sibi indicatam, obſervarunt esse cubiculum Sororis Mariæ Paracleti, & illam citatæ adeuntes, & aquam deportantes, ostio aperto, Mariam instar Rubi, quem viderat Moysés, igne combustum reperêre, erat enim in extasi rapta, ineffabili circumfusa splendôre, tanquam si charitatis flamma incensa foret; donec innúmeris cumulata mèritis, ad cælum, ubi pax viget, & charitas, hac die, amôris innixa alis, translata est. *G.* Deniæ in cœnobio Lauretano Dómi-

næ

næ noſtræ mémoria Ven. Theódoræ á S. Gregorio, quæ una fuit ex primis cœnobii fundatricibus, ubi ſe fècit omnium virtûtum ſpéculum ſingulâre, & præcipue claruit oratiône, patientia, & humilitáte, quibus, & aliis exornâta virtûtibus, ad Cæleſtis Sponſi núptias fèliciter vocáta eſt. *H.* Vallisoleti in cœnobio Incarnatiônis óbitus Ven. Agnetis ab Incarnatiône ibidem mónialis; cujus vita multis fuit plena favóribus cæleſtibus: cum autem multis, & heroicis ſplendeſceret virtûtibus, & nonnullis prodigiis, hac die fèlici fato decúbuit. *I.* Burdigalæ in cœnobio Urſulinarum depoſitio Ven. Annæ de Jeſu mónialis, quæ quaſi a cunabulis erga Deiparam fuit devotiſſima, á qua ſæpius eſt viſitâta, èdocta, & conſoláta, & ab illa mèruit Puerum Jeſum in ulnas accipere. Erga Chriſti paſſiônem fuit etiam devotiſſima. Cum ergo ſingularibus cæli favoribus eſſe ditâta, ad mortem pervènit, quo tempore acriter á ſatana tentáta eſt, illa tamen triumphum reportávit pronuntians: Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus; ſic que inter pia colloquia hac die expiravit, & poſt ejus óbitum nonnulla prodigia rèferuntur. *L.* Valentiæ in cœnobio S. P. Auguſtini Translatio Ven. & egrègii Dei famuli Poſſidonii Michaelis, cujus corpus poſt duos, & quadraginta annos incorruptum rèpertum eſt, & hac die tempore Fratris Joſephi Rodericii Rectôris, veſtibus indutum novis, poſitum eſt honorifice in tumulo noviter præparato, & nonnulla tunc temporis prodigia accidiſſe rèferuntur. *M.* In Africa natâlis S. Calafrani Abbatis, Viri mèritis, & ſanctitáte præclari.

COMMENTARIA.

AD DIEM DECIMUM NONUM APRILIS.

A. B. Antonius de Fano Junior ortus eſt in Fanenſi Urbe Italiæ, & ibi in cœnobio S. Luciæ hábitum ſuſcepit: inde in Aragoniam profectus, ibi doctrina, & ſanctitáte claruit: ob quæ anno 1430 in cœnobio Caſtelon de la Plana Provincialis electus eſt in die Pentecoſtes, quæ fuit 4. Junii. Fuit Confeſſor Alphonſi Aragoniæ Quinti, & ejus legátus ad Martinum Quintum, ubi ob præclaras dotes á Pontifice fuit valde condecoratus. Adfuit Translatiôni corporis S. M. Mónicæ. Iterum ab ipſo Rege legàtus eſt miſſus ad Eugenium Quartum, & in Aragoniam reverſus, plus mèritis, quam annis, plènus, immatura morte deceſſit, cum laborum ſuorum meſſem expectâret. Hunc B. Antonium P. Wadingus tom. 5. Annal. Ord. S. Franciſci an. 1430 n. 33. fol. 225 inter natos illuſtres ſui Ordinis enumerat. Cum ergo ſit verum prolóquium: nil contradicens ſatis aſſentire vidètur, mihi in præſentiarum licèt veritâtem explanáre, miratus quidem, quod Franciſcana Religio tot, & tantis fæcunda beâtis, alienos non erúbeat ſibi partus vendicáre; ſed vérum eſt etiam illud Juvenal. Satyra 14. Creſcit amór nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Ut ergo páteat, quantum P. Wadingus circa B. Antonium deceptus eſt, dicere oportet primo, quod ille hábitum aſſumpſit in noſtro cœnobio Fanenſi S. Luciæ, ubi profeſſus eſt: ſecundo, quia in Regeſtris B. Aug. Romani Generalis conſtat, anno 1431 die 2. Januar. B. Antonium abipſo fuiſſe creátum in S. Theol. Bachalaurum, & prima die Julii ejuſdem anni idem Generalis eidem conceſſit, ut Cómitem unum habêret: Tertio quia Fr. Antonius de Roca Contrata Comes B. Antonii in quadam relatiône aſſerit illum fúiſſe Ord. S. Aug. Quarto quia Martinus Quintus in Sermone Translatiônis S. Mónicæ aſſerit illum eſſe noſtri Ordinis ubi dicitur: Frater Antonius Regis Aragoniæ Orator, alii que ex eadem Auguſtiniana familia &c. Nec obſtant ratiônes Wadingi, dum ait, ita aſſérere Zoritam, & ita colligi ex manuſcripto vèteri Provinciæ Aragoniæ; nam Zorita tom. 3. lib. 14 c. 1. fol. 208 an. 1431 pótius ait: Ex illa Urbe miſit Rex Fr. Antonium de Fano Ord. S. Aug. ſuum confeſſarium ad Pontificem &c. unde colligitur Zoritam pótius pro nobis eſſe, & illud m. ſ. eſſe mendoſum.

De N. B. Antonio agunt ex NN.

Herrer. tom. 1. Alph. fol. 11, & fol. 258. dum de Monasterio Fanensi, Elss. in Encom. fol. 27, Torelli in Sæculis tom. 6. an. 1435. fol. 658. n. 4; & in Centur. 3. c. 64. fol. 304; Jorda tom. 1. in Histor. Valentiæ lib. 1. c. 13, num. 33. fol. 161, & lib. 2. c. 34. fol. 482. num. 7.

B. Ven. Antonius de Fano Senior, & relato antiquior, floruit in cœnobio Patavino, anno 1389 erat Mantellâtarum Florentiæ confessarius, & Prior mónasterii S. Mariæ extra portam Gatolini, & anno 1421 réformavit Conventum Panhormitanum, & anno 1428 nactus est á Martino V; ut vitam cum aliis dúceret solitariam. Fuit ergo vir méritis, & virtûtibus exornatus; ed ubi, & quando decesserit, ignoratur. De illo agunt NN. Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 11, Elss. ubisup, Torelli tom. 6. fol. 628 num. 3. & alii.

C. Ven. Simon de Morales Lusitanus Conimbricæ natus est, & pie a parentibus educatus, duodeviginti ánnorum factus, ibi in collegio nostro hábitum suscepit, quo tempore illud contigit prodigium columbæ. Studiis absolutis, in Indiam profectus est, ubi pro Dei gloria pluribus confectus laboribus; plures enim Provincias usque in Persidem peragràvit; in regnum profectus cum aliis, occulto Dei judicio, in oceano suffocatus disparuit circa an. 1583, vel 1600, magna Ordinis jactura, fúerat enim virtûtibus, & miraculis gloriôsus. De illo agunt ex NN. D Alexius de Menezes fol. 126, Episc. Anton. Gouvea lib. 3. c. 11. fol. 138 in Expeditióne Malavarica, Maigretius in Surculis Sacris c. 27, Crusen. 3. p. Mónastici c. 45. fol. 225, Anton. á Purificat. in Chronol. mónastic. lib. 2. fol. 1581. an. 1583. Herrera tom. 2. Alph. fol. 385, Elss. in Encom; Torelli Centur. 6. c. 20. fol. 663; Portillo tom 2. fol. 117. hac die, Joseph. á D. Antonio tom. 2. Foris. SS. fol. 366. num. 7. Leal. in m. s. fol. 127, & 305, ubi de illo late agit. Ex exteris Petrus Calvus Dominican. in lib. 2. láchrym. Justorum cap. 12 fol. 68. Versu:

Epigramma ad eumdem.

Immatûra fuit tibi mors, clarissime Frater:
Lux fortassis eras deperitûra brevi.
Inter áquas mortem téperis, quia purus óbibas;
Aut ut morte tua flebilis ipse fores.
Relligio flet sacra, tuo mæstissima casu,
Ex multis alium vix habitûra parem.

D. Ven. Rochus ab Incarnatióne Lusitanus, ortus est in Oppido de Alcouchete juxta ripas Tagi ex Sebastiano Gonçalves, & Antonia Fernandes: in cœnobio Gratiarum professus est die 19. Aprilis an. 1573. in manibus Ven. Augustini de Jesu Prioris, & Postea Archipræsulis Bracharensis. Postea Ven. Rochus flóruit in Ordine Litteris, & virtûtibus, ut de illo asseritur in m. s. Leal fol. 599: ignoratur tamen suæ mortis dies.

E. Ven. Felix á S. Josepho inter Excalceatos Italiæ flóruit doctrina, & prædicatióne: fuit multoties Novitiórum magister, & Provincialis Palermi. Cum in Messinam transfretaret ad illam Provinciam visitandam loco Vicarii Generalis Fr. Basilii á D. Paulo, prope Neapolim captus est á Mauris cum Fr. Martino á SS. Trinitâte. Captus tamen captivis & prædicabat, & Sacramenta ministrâbat: attamen peste correptus, hac die sancte occubuit anno 1683, cum captus esset an. 1681. Corpus ejus tumulâtum est extra Urbem, inagro dicto Babaloet, unde Catholici tamulantur. Agit de illo Fr. Joan. Barthomæus in Lustro 18 fol. 508 num. 62.

F. Ven. Maria Paracleti flóruit sanctitâte Genuæ in cœnobio Passiónis, ubi sancte óbiit hac die an. 1616. De illa agit P. Anterus Maria in Actis Apostolorum cap. 2. fol. 29.

G. Ven. Theodora á S. Gregorio Valentiæ orta est ex Bernardo Salafranca, & Anna Andreu: professiónem emisit in cœnobio S. Sepulchri Alchodii 19. Aprilis an. 1602; ubi taliter vixit, ut electa esset ad fundatiónem cœnobii Dominæ Lauretanæ in Denia, & munus rara adimplevit sanctitâte, qua óbiit an. 1640. Refert N. Jorda tom. 2. lib. 5. c. 7. fol. 516. n. 2

H. Ven. Agnes ab Incarnatióne orta est in Oppido Genestosa prope Legiónem ex Petro Lopes, & Maria Melendes. Valisoleti

liſoleti in Recollectiône monialis facta eſt, ubi mirabiles é cælo ſuſcépit favores; quibus ornâta, in cælum migravit hac die an. 1634; & ad ejus exequias célebrandas innúmerus fuit concurſus De illa latiſſime agunt NN. Villerin. tom. 1. lib 5. tract. 1. a fol. 192 uſque ad 240 Joſephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 2. a fol. 274 uſque 332.

I. Ven. Anna Pinet, ſeu de Jeſu, Burdigalæ in Gallia nata eſt 14. Martii an. 1622: poſt annos 12 ibidem inter Urſulinas ſuſcepta eſt 25. Martii: rara teneritudine Deiparam diligébat, illam Matris nómine vocans: & Deipara illi apparens ut filiam tractábat. Secum Deiparæ imaginem, ut ſcutum ad tentatiônes, protábat. Colloquia, ubi de Deipara Sermo non erat, abhorrebat: quidquid ad Deiparam pertinébat, in oculis ſemper habuit. Infeſto Annuntiatiônis Deiparam oratiône Angelica ſalútans, cubiculum luce circumfuſum aſpexit, & ſtatim illi apparuit Virgo puriſſima diadémate coronáta, & pretiôſiſſimis indúta veſtimentis; quam Ven. Anna interrogâvit, qualis virtus fúerat præcipua, quam in Incarnatiônis myſterio exercuérat? Deipara illi dixit, tres fuiſſe, humilitátem, puritátem, & obedientiam. Ven. Anna quotidie recitábat Officium, & roſarium Deiparæ: inſuper pſalterium S. Bonaventuræ; coronam, litaniam, & alia in honorem Deiparæ. Quotidie etiam trium coronarum Deiparæ liberculum legébat. Viginti diebus ante feſtum Deiparæ ſe raris exercitiis præparábat, vel orans, vel aliqua ópera efficiens manibus, in quibus aliquam Litteram erga Deiparã collocábat, quo tempore Sátanæ vocem audiit dicentis: illam é corde tuo avellere non poſſum, & ab ore, tamen é manibus avellam, & illam furóre cóncitus invadens, e manibus ejus, quid fóret, arripiebat, diſcerpebat, & humo conculcábat impia Deiparæ inſultatiône, addens: o ſtulta, óleum perdis in cultu Mariæ, breviter damnáberis. Illa tamen in chorum properávit, & ante Deiparam orans, triumphum de Sátana reportávit. Sæpius illi Deipara apparuit Puerum Jeſum in manibus adducens, ut contigit in die S. Catharinæ, & illum obtulit Ven. Annæ, dicens: Exue te omnibus terræ paſſiônibus, ut mélius Filium meum póſſis diligere. Altera vice ante Dómini natalitia illi apparuit, & Puerum Jeſum dedit amplexandum, dicens: Filia, ſum fidelis, ſic venío, ut te dóceam, quómodo ad Filii mei natalitia diſponenda ſis: recitábis quotidie novies Ave Maria in mémoriam novem menſium, in quibus illum détuli in viſceribus: tres amplius adde ad tres præcipuas dignitates, quibus me decorávit; & imitâre virtútes, quas in itinere Nazareth uſque Bethleem ipſa exercui. In die etiam Dominici natalis illi apparuit, illam inſtruens in obſervantia regulari, & de nonnullis arguens defectibus. In Vigilia natâlis Deiparæ ab Angelo ducta eſt in palatium, ubi Deiparam aſpexit pretiôſe ornâtam. In die S. Bonaventuræ Deipara cum illo illi etiam apparuit, dicens: filia, ecce meus bonus, & fidelis ſervus. Vidit etiam D. Joſephum lilium odoriferum in manu afferentem, & alios ſanctos. Claruit obſervantia, & præcipue obedientia, & patientia in morbis. Cum Sátanas vellet illam deſperatiône tentâre, illi ſuggeſſit, eſſe cæteris ſororibus ſatis moleſtam: at illa dixit: Deus ita vult, quidquid dicant, nihil valet. Ante óbitum octo, & decem menſes continua in contemplatiône permanſit. Morti proximam graviter Sátanas tentatiônibus invaſit, ſed illum fugavit, dicens: Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus: & ſic inter dulcia colloquia piiſſimam exhalâvit ánimam diluculo die Lunæ 19. Aprilis an. 1650 feria 3. poſt Paſcha: poſt óbitum nonnullis claruit prodigiis. Agitur de illa late in Hiſtor. Urſulin. p. 3. fol. 308.

L. Inventio, & Translâtio corporis Ven. Poſſidonii Michaelis, qui cum ſanctiſſime deceſſiſſet Valentiæ 7. Decemb. an. 1633; hac die anno 1675 inventum eſt incorruptum, & novis indutum veſtibus in novo Sarcophago collocâtum eſt, tempore Fr. Joſephi Rodericii Rectôris, ut refert N. Jorda tom. 1. lib. 2. c. 219. 13. fol. 357.

M. S. Calafranus Abbas floruit in Africa mirabili ſanctitâte, ut refert Rabanus apud Henſchen. hac die in prætermiſſis.

DUO-

DUODECIMO KALENDAS MAIJ.

XX.

A. Antisiodori natâlis S. Marianni Confessoris, qui é partibus Biturícensium veniens, in cœnobio charitâtis susceptus est á S. Mamertino, & exinde fructus cæpit uberrimos émittere sanctitâtis eximiæ, donec vitæ cursu gloriôse consummato, aulæ cæléstis adita triumphali pompa penetrâvit. *B.* Hac die mémoria S. Agnetis de Monte Politiano Virginis, quæ diu vixit in mónasterio de Pœnitentia nostri Ordinis: cum autem postea visiône in somnis habita, se a tribus Patriarchis, scilicet B. P. Augustino, Franciśco, & Dominico récipi vellet, tamen dispositiône cæléstí S. Dominico tradita est, sub cujus institûto degens, sanctissime occubuit hac die. *C.* In Hispania triumphus B. Philippi de Monte Politiano, ubi Mónachismum amplexus, súperiôrum jussu, in Hispaniam perrexit, & ibi in odium fidei, ut dicitur, martyrio coronâtus est. *D.* Bononiæ gloriôsus transitus egregii Herôis B. Simonis Reynalducii de Todi, qui hâbitu assumpto Tuderti in cœnobio S. Praxedis, ibi floruit eximia sanctitâte, & incredibili patientia, nam cum Priorem ágeret, & ab æmulis injuste accusaretur, & ob id á Generali foret officio privâtus, ille tamen tanta obmutuit patientia, ut in sui defensiônem nec unum proferret verbum. Illum tamen Deus adhuc in terris multipliciter honoravit; fuit enim multis in Locis Prior, & Umbriæ Provincialis. Fuit Sacræ Theologiæ Lector, & divini Verbi declamator egrégius, ut Bononia diutius expertâ est. Tandem cum innúmeris méritis esset ornâtus, & spíritu prophetico claruisset, felici fato hac die decessit, ad cujus exequias célebrandas innúmerus devênit concursus, & occursus ob plura, quæ operabâtur, miracula, sex enim tertio post óbitum die, altero séquenti, scil. 24. decem, die 25, undecim, altero die *26*, sex óperatus est miracula, & sic exinde, unde centum, & triginta sex habentur miracula comprobâta: unde méruit, ut sepulchrum ejus esset gloriôsum. *E.* Neapoli in Ecclesia Veritâtis óbitus Ven. Cherubini á S. Josepho, Viri magnæ pœnitentiæ in laboribus, qui tandem longa infirmitâte purgâtus, tanquam aurum in fornâce, hac die, magnis relictis sanctitâtis testimóniis, ut pie créditur, ad præmia transiit sempiterna. *F.* In cœnobio Eybarensi transitus Ven. Catharinæ á SS. Trinitâte moniâlis, quæ multis á cælo fuit ditâta favoribus, claruit dono lachrymarum, & patientia in morbis, quibus consumpta, hac die felici fato ad réquiem evolavit. *G.* Hac die Translâtio Reliquiárum B. Augustini Novelli facta ad instantiam Senâtus Urbis Termensis, in qua solemni pompa receptæ sunt Reliquiæ é Florentia allatæ, & concessæ á Duce Cosma de Medicis. *H.* Eugubii Translatio corporis B. Petri Eugubini; cum enim sepultum esset in altari Samaritanæ, in hebdomada majori, tempore Generalis Petri Lanfranconii, translâtum est ad altare D. Thomæ de Villanova, ubi collocâtum est in arca Cypressina, cum eodem hábitu, quo fuerat sepultum, & servâtur incorruptum.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM APRILIS.

A. S. Marianus floruit Antisiodori in cœnobio S. Germani Episcopi sub S. Mamertino, ubi sancte óbiit hac die an. 480. Cassinenses de more soli-

to

to hunc sanctum suo asserunt pertinêre institúto: dequo loquens Henschenius hac die fol. 758, ait. Quis ergo audêret negare hos fuisse Benedictinos, & non timêret argui, quasi honôrem Ordini Benedictinorum minûeret; quamvis videantur citius óbiisse, quam S. Benedictus nascerêtur? Hæc Henschenius. Sed dico, quod si Henschenius non audêret, noscens improbabilitâtem assertiônis, égo autem veritâtis cúpidus intrepide, & inconcusse, & ore pleno asseram, nullatenus Benedictinis pertinêre; quia si, ut ipse dicit, & plene, S. Marianus ante natâlem S. Benedicti decessit, quómodo suo póterat institûto pertinêre? Nunquid sola Benedictinôrum est Religio Sanctorum? Nunquid ante, & post ipsum non aliæ sanctis plenæ extitêre Religiônes? Quantum ad alias dicant sui, de nostra dixit Alexander Septimus in Bulla recitatiônis S. Thomæ de Villanova, Romæ édita 19. Julii an. 1659 hæc verba: Æquum est, ut Augustiniana familia fœcunda sanctorum parens: & B. Veronica in die omnium SS. videns in raptu suo omnes in cælo Patriarchas cum suis, testata est se vidisse M. P. Augustinum cum suis, quorum número aliorum números excedebat; dequo videâtur N. Fr. Joannes Freire in vita B. Veronicæ lib. 2. c. 16. fol. 314. num. 120. Sed data, & non concessa Sanctorum indigentia in nostra Religiône, tamen illorum paucitas illorum transcenderet multitúdinem; nam licet número inferior, re uberior, ut ait D. Ambros. lib 8. in Lucam.

Cógimur ergo asserere, S. Marianum sub Augustiniano vixisse institúto: quod patet, quia fuit discipulus S. Germani Episc. Antissiodorensis; sed hic demonstrative constat fúisse Mónachum Lirinensem, & sic Augustinianum, ut per signa evidentia demonstrat Constantius in ejus vita apud Surium tom. 4, ubi lib. 1. c. 8. constat fúisse á S. Amatore Mónachum factum, & cap. 9 indutum fúisse cuculla, & tunica, & cap. 12. Solitudinis viam, & Eremum servasse: & lib. 2. c. 31 ubi agitur de ejus exuviis post mortem, dicitur: Cucullam cum interiôri cilicio Petrus Episcopus usurpavit: sex vero Antistites, ut aliquid monimenti ex successiône sanctitâtis acciperent, disrumpere, quod superfúerat, maluerunt; unus palliuu, alter cingulum accépit: duo túnicam, duo sagulum diviserunt.

Dicam ergo cum N. Herrera tom. 1. dum de S. Germano fol. 272. Quis neget hæc esse indumenta Mónacho propria, & valde congrúere cum hábitu Eremitarum Augustinensium, qui tunica, & cuculla, sive caputio, & pallio vestiuntur, & cingulo præcinguntur? De illo, Scil. S. Mariano, tanquam nostro agunt, Delcampo in Cathalogo SS. Ordin. Lit. M; Elss. in Encom. Lit. M. fol. 452, & plures apud Henschen. hac die, dum asserunt S. Germani discipulum fúisse.

B. S. Agnes de Monte Politiano virgo sanctissima óbiit hac die an. 1317 in Ordine Prædicatorum, ad quem transiit ex Ordine Saccitarum, ut in confessô est apud omnes. Oritur tamen quæstio, quale institûtum talis Ordo servabat? Duo proferenda sunt: primum est, quod tàlis Ordo Saccitarum, in quo S. Agnes vixerat, institûtum servavit Augustinianum, fuit enim reformatus á S. Joanne Bono ut probat N. Marques infra citandus: & patet ex duabus Bullis, quarum una est Gregorii 9, & altera Gregorii 10, in quibus dicitur, Fratres de Pœnitentia esse Ordinis S. Augustini, quas Bullas refert Marques de Orig. c. 16. §. 2. fol. 301; sed Fratres de Pœnitentia erant idem cum Saccitis, ut probat idem Marques ibi ex quadam provisiône Simonis Episcopi Parisiensis, édita an. 1293, ubi ait: Sane, cum Fratres Saccíti de Pœnitentia Jesu Christi locum, quem Parisiis hâctenus habuerunt, cum suis appendiciis, & pertinentiis dimiserint. &c. Cum ergo inter illlos S. Agnes annos per nonnullos vixerit, certe séquitur sub institûto Augustiniano vixisse; & rem confirmant Fr. Ferdinandus de Castillo p. 2. Historiæ D. Dominici lib. 1. c. 32, & Fr. Laurentius Jordini Mariani, in Vita S. Agnetis, qui duo asserunt, quod B. Agnes Augustinianam regulam professa est, licet postea ex Pontificis concessiône ad Prædicatorum Ordinem transierit, in eo que obierit postremo inter Divos á Clemente 7, & 8. relâta est. Et N. Elssius in Encom. fol. 21. ait: quod vixit in mónasterio S. Augustini de Pœnitentia, quod tunc súberat Ordinario Aretino; at multi putant tale monasterium prima fronte non fuisse Ordinis S. Dominici, sed S. Augustini; postea tamen Dominicanis subditum est.

Confirmatur etiam ex visiône B. Agnetis, quam refert Laurentius Jordini supra, scilicet anno 1306: Tunc, cum orationi esset intenta, se per visum existimavit

mavit eſſe prope mare, ibi que tres pulcherrimas naves apparuiſſe, quarum patroni erant tres ſancti, hoc eſt, S. P. Auguſtinus, S. Dominicus, & S. Franciſcus, qui quaſi inter ſe contenderunt, quis intra propriam navem Agnetem acciperet? S. Franciſcus ſpecialiter propter ſimilitûdinem hábitus illi perſuadebat, ut Seraphicæ Religiôni nomen daret: idem, ſed diverſis ratiônibus, præſtàbat P. Auguſtinus: at poſt ſanctam, & piam pugnam viſum eſt ei, quod S. Dominicus navem appellens, eam intra navem recêpit, id divinæ diſpoſitiônis Ordinem eſſe conteſtans.

Ex quibus ſic: S. Franciſcus nullus jus habebat, niſi ob ſimiliútdinem habitus in B. Agnetem, & S. Dominicus ſolum jus habuit ob diſpoſitiônem divinam: ergo ſéquitur, quod attento jure naturali ſolus B. P. Auguſtinus in D. Agnetem jus habebat. De hac viſiône præter A. citatum agunt NN. Herrera in Reſponſ. pacifica ad §. 4. apologet. fol. 94. §. 5; N. Ribera in Vita S. P. Aug. lib. 5. c. 27. fol. 466; & ipſe de hac viſiône tractavi in vita B. Andreæ de Comitibus fol. 8. & 9. Epigrammate 12, ubi cecini.

Auſpiciis cæli fauſtis, qui prædicat, Ordo,
Agnetem egregiam novit habêre ſuam.
Illam Auguſtinus voluit, Franciſcus avêbat;
Dominicus cæli númine ſumpſit eam. &c.

Secundum, quod, profero eſt, quod improbabile non eſt aſſerere, Ordinem Saccitarum etiam in uniône Generali anno 1256 ab Alexandro 4. facta, etiam familiæ Auguſtinianæ unitum fuiſſe. Ita aſſerunt D. Antoninus Arch; N.B. Jordanus Saxo lib. 1. c. 14. fol. 30; ubi ait: Ipſe namque junxit Fratres omnes Eremitas diverſorum ordinum, quorum quidam S. Guilelmi, alii Fratris Joannis Boni, alii de Fabali, alii de Britinis cenſebantur: nec non & Fratres de Pœnitentia Jeſu Chriſti, qui Saccitæ dicebantur: & ſupra dixit: Quorum omnium exemplaria, & nonnulla Originalia ſub bulla ego vidi. Et infra. Quæ omnia ex antiquis privilégiis Ordinis apparent luculenter. Si ergo B. Jordanus ita loquitur, quómodo hic Henſchenius aſſerit, B. Jordanum nil probâre? Certe dicere poſſum, Henſchenium erga res Auguſtinianas ita eſſe ſuſpectum, & male affectum, ut credat in nihilo nos concludere. Multa etiam ipſe inanibus aſſerit fundamentis, ut patet in B. Veronica de Binaſco, dum in ſuo ópere á noſtris eripitur, ut Dominicanis concedatur, in S. Guilelmo Aquitaniæ Duce, in Translatiône S. M. Mónicæ, & in aliis, quæ brevitatis gratia omitto; & tamen putat rem concludere.

Rem etiam confirmant N. Cardin. Seripandus, Pamphil. in Chron. fol. 30. ubi, enumerans undecim congregatiônes unitas, etiam número congregatiônem de Pœnitentia Saccitarum; Roman; Ciaconius, Miranda, Ilheſcas, Yepes, Azor, Daça apud N. Marques c. 16. §. 1. fol. 300; qui tamen illud negat cum NN. Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 8, Torelli tom. 4. an. 1256. fol. 542: Quorum fundamentum præcipuum eſt, quia in Bulla uniônis ſummum eſt ſilentium de Saccitis. Sed adhoc fácili reſpondetur negotio; primo quia ſaltem implicite de illis ágitur in illis Bullæ verbis: Aliæ etiam apud homines ambiguis interdum nuncupatiônibus vacillabant: in quibus verbis Saccitæ videntur continéri, quia illius Fratres, & ſorores ab uno vocabantur de Pœnitentia, ab aliis Saccitæ, ab aliis Saccati, Sagati, &c. ergo: Secundo, quia dato, quod non continerentur in Bulla, adhuc non probant, quia etiam Ordo Pauperum Catholicorum uniônem intravit, ut late probat N. Torelli ubiſup. fol. 544. n. 66, & tamen de illo nihil agitur in Bulla uniônis: ergo. Cætera argumenta videantur in Marques, & Torelli ubiſupra.

C. B. Philippus de Monte Politiano, dequo agens Laurentius Jordini Dominicanus in Vita S. Agnetis c. 1. fol. 4. ait. B. Philipus Auguſtinianus, ut ex antiqua traditiône creditur, ex familia Vignaneſi, qui floruit an. 1359, in quo ptopter fidem Chriſti in Hiſpania martyrium ſúbiit. Ejus vetuſtæ quædam effigies conſpiciuntur; alia inter antiqua aulæa templi Cathedralis illius Urbis, & alia in Sacriſtia Eccleſiæ S. Auguſtini, & tertia in Baſilica Piſana S. Nicolai. Idem aſſerit alter Dominicanus in Vita S. Agnetis c. 11. fol. 110, & c. 1. fol. 4, & Gonzaga Franciſcanus 2. p. Chron. fol. 250 de Conventu S. Mariæ de Caſtel-

lo

lo prope Montem Politianum, ubi ait: Summæ Religiônis P. Philippus profeſſiône Auguſtinianus, qui diem in Hiſpania clauſit extremum, ac in magna æſtimatiône in ſui fúneris loco habetur. Item Rutilius Gallicus in proceſſu Canonizatiônis cap. 11. fol. 110. ait: Mittet præterea alias roſas, nempe Fr. Philippum Auguſtinianum martyrem. De illo ex noſtris agunt Herrer. tom. 2. fol. 244; Torelli in Centur. 2. cap. 93. fol. 227; Elſſius in Encom. fol. 588.

Hinc ſatis dolendum eſt de ignavia noſtrorum véterum, quorum incuria plures Ordinis Heróes ignorantur; ſed dicam cum M. P. Aug. Homil 55. Nihil obeſt, ſi ex humanis tabulis eos delevit aliórum ignorantia, quos ex libris viventium non delêvit iniqua conſcientia.

Epigramma ad eumdem.

Etſi priſca tuum nomen tacuêre, Philippe,
Sæcula, noſtra ætas te celebrare cupit.
Chriſtum in corde tenens, hunc ipſe fatêris in ore:
Et ſic martyrium ſanguine fuſus agis.
Marte triumphantem te jam ſuſcépit Olympus:
Unde tuis méritis laurea digna datur.

D. B. Simon Reynalduci de Tuderto, ibi natus eſt, & hábitu aſſumpto, mirabili flóruit ſanctitâte, & ſcientia, fuit enim Lector egregius, & Provincialis Umbriæ In eo eluxit incredibilis patientia: donec prædicto ſui óbitus die, óbiit in Domino die 20. Aprilis anno 1322 in cœnobio Bononienſi, & poſt mortem innúmeris claruit miraculis: cujus corpus nunc eſt in loco elevato, cum lampade accenſa, & in eódem die ejus ibi feſtivitas celebratur. De illo agunt ex NN. B. Jordanus Saxo lib. 2. Vit. Fratrum c. 8. fol. 87, B. Henricus de Urimaria in Orig. Ord: Coriolan. in Chron; Pamphil. fol. 67, Roman. in Centur. an. 1402, Cruſen. p. 3. Monaſt. c. 21. fol. 163 an. 1388; Gelſomin. in ſuo Theſauro fol. 71, Herrera tom. 2. fol 376, & tom. 1. fol. 120 de Monaſt. Bonon; Elſſ. in Encom. Lit. S, Torelli in Centur. 2. c. 58, fol. 194; & in Sæcul tom. 5. fol. 385; Portillo hac die tom. 2. fol. 117, Arpe tom. 1. in Diario SS. fol. 208, Joſephus á D. Ant. tom. 2. Floris SS. fol. 72. Ex exteris Bzovius ad an. 1300, Joannes Baptiſta Poſſevin. an. 1597 in lib. de SS. Tudertinis fol. 115, Henſchen. in Actis SS. hac die.

E. Ven. Cherubinus á S. Joſepho Cálaber, flóruit inter Excalceatos Provinciæ Neapolitanæ, ubi ſumma cum opiniône óbiit hac die an. 1632, ut refert Fr. Joannes Bartholomæus Luſtro 9. num. 7. fol. 299.

F. Ven. Catharina á SS. Trinitâte orta eſt in civitâte Victoria Provinciæ de Alaba in Hiſpania ex Gaſpare Velés de Uralde, & Eliſabetha Fernandes: in cœnobio Eybarenſi monialis facta, ibidem pie deceſſit die 20. Aprilis an. 1678. De illa Laudabiliter egêre NN. Joannes Ordas in quadam relatiône, & Villerin. tom. 3. lib. 43. tract. 3. fol. 453.

G. Translatio Reliquiarum B. Auguſtini Novelli, dequo 19. Maii, in quo óbiit, facta eſt die 20. Aprilis anno 1620, ut referunt omnes, qui de illo ſcripſerunt cum Fr. Joſepho á D. Antonio tom. 2. Floris SS. fol. 493.

H. Translâtio Corporis B. Petri Eugubini celebrata eſt hac die anno 1666 in die Martis hebdomadæ ſanctæ, in qua ſumma cum pompa in arca cypreſſina collocâtum eſt. De illa agit A. citâtus die 23. Martii cum Henſchenio.

UNDECIMO KALENDAS MAIJ.

XXI.

A. Antissiodori óbitus S. Mamertini Confessoris, qui, cum esset paganus, viso miraculo á S. Lupo perpétrato, á S. Germano Episcopo baptisatus, in ejus cœnobio Monachismum amplexus est, & postea Abbas factus, sancto ibi fine quiévit. *B.* In cœnobio de Risco in Diœcesi Abulensi memória B. Viri Damiani de Udanços, raræ pœnitentiæ, sese enim continua abstinentia, & disciplinis macerábat: item in oratióne erat tam diurna, quam nocturna assiduus, & in patientia extitit singularis: cum aliquando pediculórum morbo gravarêtur, á Deo petiit, ut illum a tali morbo libaràret. Illum pius Dominus exaudiens, innúmeras ad illum imperàvit formicas, quæ omnes in ore pediculos ægrotantis breviter deportarunt. Vir fuit tantæ innocentiæ, ut patriam solo tui exemplo ad pietâtem excitaret. Vivus, & mortuus plúrimos sanitâti restituit. Tandem ipse gloriósus occubuit, & ejus sepulcrum plures ad morborum medelam inquirunt, & inquirentibus multa adhuc præstat beneficia. *C.* Eméritæ in Lusitania óbitus Ven. Bastillæ Dei famulæ, quæ ibidem per duos, & viginti annos Deo ancillans, tandem hac die félici exitu decessit. *D.* Alchodii in cœnobio moniálium transitus Ven. Mariæ de Jesu, ejusdem cœnobii quartæ fundatricis, cujus humilitas fuit erga omnes admirabilis, qua in rebus monasterii infimis lubens exercebatur, scilicet, vérrere, & cœnobii immunda defricare, & ægrotantibus inservire. In cultum Dei intenta, plura ad illum pretiósa perêgit. Per plura triennia Priorissam egit raro cum exemplo, prudentia, & cœnobii augmento. In oratióne fuit perennis, noctes consumens in Christi patientis meditatióne, tanta cum vi lácrymarum, ut sororibus esset stupori. Unde contigit, ut plúries in se senserit dolores Christi patientis, & præcipue spineæ coronæ, qua puncta é capite sanguinis copia manâre visa est. Altera die se ipsam sertis florum, & ramis viridibus aspéxerit coopertam: ex qua visióne prædixit, se breviter in die Véneris sanctæ óbitûram, ut revera contigit hac die, in qua summa cum pietâte sacramenta recépit, & gratum suæ réliquit sanctitâtis odórem. *E.* In Gallia inter Ursulinas Lorguenses óbitus Ven. Catharinæ Mengaut, quæ á téneris in religióne nutrîta, animose virtûtis sémitam est amplexa. Claruit devotióne erga Synaxim, quam frequenter summa cum teneritúdine capiebat, & omni tempore sibi ab occupatiónibus restanti altari sxnaxeos áderat oratura. Solitúdinem amabat, & cum in principio ad id difficultátem sentiret, S. Theresiæ patrocinio pótuit observare. Votum de silentio non fragendo emisit, quod ad amussim observàvit. Aliquando confessa, tàlem de suis hábuit peccatis contritiónem, ut péne semianimis videretur. Morti proxima, etsi oculórum myristerio esset spoliâta, ut quidquam aspiceret, solam tamen Cruxifixi sibi oblatam ad osculum imaginem testabâtur vidêre. Pie tamen hac die corpoream sárcinam depósuit; sepulta quc juxta est altare, ubi, & orâre, & communicare solebat.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM PRIMUM APRILIS.

A. S. Mamertinus Confessor in Gallia flóruit in monastério S. Germani, postea Antistiodorensis Præsulis, & in hoc óbiit mense: circa annum, & diem non modica est dubitatio, ut vidêre est apud Henschenium die 20. Aprilis. De illo agunt Saussai in Martyrol. Gallico, ex NN. Mayay. in Patriarch; Elss. in Enc. fol. 450.

B. B. Damianus de Undanços claruit sanctitâte, & miraculis in cœnobio D.N. de Risco, Abulæ sito, & óbiit anno 1563, & de illo agunt ex NN. Portillo tom. 2. hac die, fol. 119 Pamphil, Herrera in Alph. tom. 1. fol. 190, Torelli tom. 8. an. 1563 fol. 444. n. 15, Crusen. 3. p. c. 39, Strambel, Elss. Lit. D, fol. 161.

C. Ven. Bastilla juxta Emeritam flóruit sanctitâte, & óbiit hac die, & anno 566, ut testatur N. Torelli tom. 2. Sæculórum fol. 386. n. 8.

D. Ven. Maria de Jesu Valentiæ in Hispania orta, hábitum suscêpit in cœnobio Mónialium S. Christophori die 25. Septemb. an. 1597 ætat. 21: inde egressa cum fundatricibus, devênit in cœnobium Alchodiense S. Sepulchri, ubi professionem emisit cum fundatricibus 19. Decemb. an. 1598, & cum rara vigêret sanctitâte, pie decessit die 21. Aprilis an. 1631, ætat. 55, relig. 34. Agit de illa N. Jorda tom. 2. lib. 5. c. 3. fol. 492; Viller. tom. 3. lib. 36 tract. 2. fol. 134.

E. Ven. Catharina Mengaut claruit inter Ursulinas de Lorgues in Gallia, ubi felicem terminum experta est hac die anno 1656, ætat. 28, ut dicitur in Chronico Ursulin. 3. p. fol. 254.

DECIMO KALENDAS MAIJ.

XXII.

A. In Normania in monastério Almenechio Diœcesis Sajensis depositio S. Opportunæ Virginis, & sororis S. Godregandi Sajensis Episcopi, & martyris, quæ, Angelo monente, & præcedente, monasterium ingressa est, ubi mirabili flóruit sanctitâte, donec gravissima febre correpta, & morti proxima á S. Adelino Sajensi Episcopo visitâta, & sacra Synaxi focillata, & á SS. Lucia, & Cæcilia consolata, & á B. Deipara colloquio, & visiône animata, ánimam hac die féliciter exhalâvit. *B.* Senis in cœnobio Ilicetano memoria B. Guilelmi Mediolanensis, qui, cum adhuc in sæculo esset in scientiis versatissimus, ad Ilicetum perrexit, ubi hábitu induto, flóruit deinceps pœnitentia rara, & tanta fuit humilitâte insignis, ut sacris initiari noluerit, licet pro rostris multoties magno cum fructu prædicâret. *C.* Limæ in Provincia Peruana óbitus Ven. Viri Antonii de Monte Arrojo Lusitani ex Urbe Tavilensi, qui in Indias profectus, ibi in Mónachum attonsus, magnis cæpit coruscare virtûtibus, præcipue obedientia, patientia, pœnitentia, mansuetûdine, constantia, modestia, & castitâte, cujus ádeo dilectiônem contraxit, ut pudore indueretur, quoties ante illum de re mulièbri Sermo esset: prælaturas Ordinis pénitus á se fecit exulare: & ádeo Christi passiônis devotiône arserat, ut ab illo péteret, ut in die Véneris mortem illi concederet, quod, ut optaverat, nactus est hac die. *D.* Palermi in cœnobio S. Nicolai transitus Ven. Francisci á S. Anna Dilcalceati, qui inter Lai-

cos floruit obedientia, & charitàte, fuit insuper ótium valde pertæsus, in oratiône assíduus; & perfecte per viam salutis incedens, suceptis pie sacramentis, morbo calculi oppressus, hac die in præmium volâvit sempiternum. *E.* Valentiæ in Collegio S. Fulgentii depositio Ven. Esperancæ á S. Rita nostri Ordinis mantellatæ; cujus vita omnium fuit specimen virtûtum, pœnitentia enim fuit S. Nicolai de Tolentino imitatrix: in votorum observantia fuit mirabilis: plúries á dæmone sibi horribilibus spectris apparente fuit tentâta: sed plúries á cæleſti animarum Sponso fuit visitàta, & solàta, & quadam die illum aspexit in Cruce pendentem, & satis vulneràtum, & sibi hæc dicentem: Aspice, quanta pro te sum passus, & tu, filia, pro meo amóre patiens fatigaris? Tandem multis in gradu heroico virtûtibus exornàta, & præcipue virginitàte usque ad ultimum spiritum illibàta, inter dulcia ad cæleſtem Sponsum colloquia, hac die é mortali ergastulo soluta, ut pie creditur, ad patriam, unde exulàbat, cæleſtem volâvit. *F.* In Gallia inter Ursulinas de Anzenis óbitus Ven. Elisabethæ á Trinitàte ibidem moniâlis, quæ, etsi pluribus angeretur molestiis, non tamen zelo elanguit observantiæ. Adeo miti indole coruscavit, ut sibi calumniantes, & de illa obstrepentes reciperet, & alliceret beneficiis. Quotidie supplices Deiparæ preces pro bona morte offerebat, & ante quindecim dies, quasi de óbitu intrinsecus admonita, ad illum sese præparavit, & morti proxima, voluit humo cubare, & inter pia colloquia ánimam pie hac die exhalàvit.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM SECUNDUM APRILIS.

A. S. Opportuna Virgo Soror S. Godregandi Episcopi, & ex nobili génere orta, moniàlis vixit in Normania in monasterio Almenechio diœcesis Sajensis, ubi abbatissam agens, ibi magna flórtuit sanctitàte, & óbiit hac die circa annum 800. De illa agunt Adelinus Episc. Sajensis in ejus vita, Surius tom. 2. fol. 771, Saussai in Martyrol. Gallico hac die fol. 224, Henschen. in Actis SS. fol. 61. De illa agunt etiam Alphab; & Tabulæ Augustinianæ hac die, ubi asseritur nostræ Religiôni pertinêre.

B. B. Guilelmus Mediolanensis hac die an. 1473. ad Ilicetum perrexit, & ad hábitum est admissus; & exinde apud omnes in óptimæ famæ, & sanctitátis opiniône est hábitus: fuit vir doctus, & egrégius prædicâtor, & sic humilis, ut ad Sacerdotium ascendere recusaverit. Induebâtur cilicio, & asperis tegumentis, donec méritis consummatus, in cælum ascendit. Ignoratur dies, & annus. De illo agit N. Episcop. Ambros. Landucci in Sylva Ilicetana fol. 118.

C. Ven. Antonius de Monte Arrojo Lusitanus in civitàte Tavilensi regni Lusitaniæ natus est: in Indias progressus, in cœnobio Limensi habitum induit 18 Januar. an. 1580, ubi rara sanctitâte degens, ibi pissime obiit die 22. Aprilis an. 1620 die Jovis, & die Véneris in Sacello S. Crucifici tumulatus est a látere Evangelii. De illo agunt ex NN. Brulius lib. 6. Histor. Perunt. c. 5. fol. 180. Calancha lib. 10. c. 44, & 44, Herrera tom. 1. Alph. fol. 33. Elss. in Encom. Lit. A, Torelli Centur. 6. c. 58. fol. 709; Portillo hac die tomo 2, fol. 121. Josephus à D. Antonio in Flore SS. tom. 2. fol. 334. Ex exteris Georgius Cardoso in Agiolog. Lusit. tom. 2. hac die fol. 675; & alii.

D. Ven. Franciscus á S. Anna Siculus, natus est anno 1588, parentes novit Vitum, & Crescentiam, a quibus pie educatus, adultus Ecclesias, & Sacramenta frequentábat: vigesimum primum attingens annum, in cœnobio Palermi inter Discalceatos hábitum suscépit anno 1609, & anno 1610, die 13. Octob. Religióni se pertria vota ligavit in statu Laicaii, ubi degens cum rara sanctitatis opiniône, in pace quiévit hac die anno 1649, ætatis 61. Agit de illo Fr. Joannes Bartholomæus Lustro 12. fol. 372.

E. Ven. Esperança á S. Rita ortum habuit in Oppido Rufafa parochiæ civitatis Valentinæ ex piis parentibus, Fornet, & Dorothea Esteve: a téneris virtûtis semitam est ingressa, & ad omnes virtûtis exemplar

plar facta est. Hábitum mantellatarum indúit in Collegio S. Fulgentii, professiónem emísit 28. Octob. an. 1698, & exinde claruit óbedientia; paupertate, abstinentia, castitate, quam usque ad mortem illibatam servavit, ob incredibiles pœnitentias, quibus corpus macerabat. Colloquia hominum, & strepitus fugiebat. In observantia silentii mirabilem se gessit; nihil enim præter necessitatem loquebatur. Charitate erga proximos fuit singularis, pauperibus enim, quæ póterat, suppeditabat, in afflictionibus solabatur, & in ægritúdinibus visitabat. In patientia, & humilitate maxime flóruit; donec gravi febre correpta, receptis pie Sacramentis, félici fato decessit die 22. Aprilis anno 1699 ætat. 42, sepulta que est in Collegio S. Fulgentii. Agunt de illa NN. Jorda tom. 2. Histor. Valent. lib. 3. c. 52. fol. 246, & Josephus á D. Antonio in Iman spirituali fol. 99.

F. Ven. Elisabetha á SS. Trinitate, Vulgo Catton, inter Ursulinas de Anzeris in Gallia flóruit sanctitate, & per viginti annos graves passa est infirmitates. Deipara quotidie precabatur pro bona morte habenda, & ante óbitum diebus quindecim, quasi cælitus admónita, ad óbitum præparata est, & integris sensibus perseverans, quod in sua progenie rarum erat; fere enim omnes sui consanguinei repente decedebant, ipsa fæliciter decessit hac die anno 1662. De illa agitur in Chronico Ursulinarum fol. 68.

NONO KALENDAS MAIJ.

XXIII.

A. Natalis S. Ibari Mónachi, & Confessoris, qui in Hibernia flóruit sub disciplina S. Patritii Episcopi, cum Vitam Angelicam duxisset, & magnis virtútibus coruscaret, Episcopus in Hibernia creatus est; & qui jussu S. Patritii una cum S. Elbeo, etiam ejusdem discípulo, puérum quendam ad vitam revocavit: donec innúmeris méritis cumulatus, hac die sanctissimam animam exhalavit, & ejus corpus tumulatum est in monasterio Beg-herienſi, & ibi honorifice colitur. *B.* Romæ memória Sanctarum Virginum Romulæ, Redemptæ, & Hirundinis, quæ sub Augustiniano degentes institúto, sanctis moribus exornatæ, in cælum gloriósæ migrarunt, quarum corpora, teste Baronio, in Ecclesia S. Mariæ Majoris tumulata sunt. *C.* Corbejæ in Cathalaunia óbitus S. Pusinnæ Virginis, quæ cum sorore S. Lutride in cœnobio Vici Baseonensis sanctimonia claruit, quibus S. Alpinus Episcopus Velum ministravit. *D.* In cœnobio Utinensi depositio B. Christi Sponsæ Hélenæ Utinensis, quæ ex nobilissima Regum Aquilegiæ orta progenie, adhuc infantula á Deipara admónita est, ut in Deo suo spem haberet, & se oratióni fervidæ traderet, quia futurum erat tempus, in quo ipsa esset sui Redemptóris Jesu Christi Ancilla gratissima. Quo mónitu ita se tradidit oratióni, ut omnibus ut miraculo esset. Sed a parentibus coacta, jugum sustinuit conjugale, sed brevi viro denato, Dei servitio omni conatu se tradidit, & mundo terga vertens, ad Recluſorium mantellatarum Ordinis volavit, ubi summa humilitate, oratióne, charitate, paupertate, abstinentia, & pœnitentia floruit: jejunium panis, & aquæ perpetuum toleravit, miscens in pane cinerem, & in aqua fel, & acetum. Ad collum portabat torquem aculeis ferreis contextum, & corpus aspero circumdedit cilicio: in capite coronam acutis oneratam punctis gerebat; & in calceamentis tres, & triginta lapillos, quibus non parum angebatur, in memóriam passiónis Christi. Corpus Sanguineis, & continúis lacerabat disciplinis: humi somnum capiebat. In obedientia claruit: in oratióne assidua multas experta est extases, & cælestes favores, & innumerabiles lachrymas effundebat; & ob illam plura miracula perpetravit. Dæmonis insidias,

& tentatiônes plúrimas, ut virago fortissima debellavit. Quotidie Sacra sese reficiébat synaxi. Adeo fuit silentii obsérvátrix, ut á Generali obedientiam péteret, ne, sine confessarii licentia cum aliquo sæculari loqueretur. Fuit patientissima: in quodam morbo visitáta est á Deipara, S. P. Augustino, & S. Nicolao de Tolentino: donec heroicis méritis exornáta, animam suo suam tradidit Creatori, & statim ejus cubiculum gratissimo cæpit odore flagrare: & cum in féretro jacéret, & in sinu Crucifixi imago imponeretur, illa caput attollens, velut illam aspicere, & adorâre desiderans, sic erecto corpore permansit. Corpus ejus tumulâtum est in Ecclesia S. Luciæ Ordinis, ubi usque ad præsens innúmeris coruscat prodigiis. *E.* Romæ depositio B. Gabrielis Véneti é nobilissima nati progenie, qui in Religiône magnis Litteris, & raris claruit virtútibus, ob quas ad summum Ordinis clavum regendum assumptus est, in quo munere pacificum, & mitissimum se exhibuit. Tandem multis pro defensiône, & reformatiône Ordinis laboribus exhaustus, félici fato vitæ cursum consummavit. *F.* In cœnobio Utinensi memória Ven. Angeli á S. Severino, viri magnæ sanctitâtis, & egrégiæ prædicatiônis, qui suis prædicatiônibus B. Hélenam Utinensem, ut Mantellâta fieret, dulciter commovit, & illam suis manibus hábitu induit, cujus exemplo plures matronæ eodem hábitu indui postulárunt, taliter, ut Octoginta sex Mantellâtæ corpus B. Hélenæ ad tumulum deportarent. *G.* Ibidem memória Ven. Leonardi Utinensis, profundissimi Theologi, qui ob ejus vitam exemplarem electus est á B. Helena, suæ conscientiæ director, & confessárius, & pie créditur vitam terminásse. *H.* Ibidem memória Ven. Dominicæ Utinensis, etiam Mantellâtæ, quæ Comes B. Hélenæ quoad vixit, fuit inseparabilis, & sancta ejus conversatiône potita est. *I.* Cassiæ in Umbria óbitus Ven. Cherubini Laosii Doctoris subtilissimi, qui, cum monasteria, & Provincias Ordinis maxima cum laude gubernásset, á SS. Papa Pio Quinto Episcopus Thilosinus creâtus est, quo múnere Laudabiliter absoluto, vitam hac die félicitet consummavit, & in cœnobio Augustiniano tumulâtus est. *L.* In cœnobio de Succursu Insulæ Malhorquinæ memória Ven. Gasparis Mancebon, qui hábitu assumpto in cœnobio Valentino ibi pertria vota ligâtus, totum se exercitiis tradidit spiritualibus; claruit enim pœnitentia, oratiône, solitúdine, & studio Sacrarum Litterarum; unde exiit mysticus singularis, ut patet in vitis Ven. Melchioris de Arazil, & Joannæ Guillen á se scriptis. Floruit charitâte, puritâte, obsérvantia, & Zelo Religiônis, humilitâte profunda: ob quas virtútes, plures in Ordine obtinuit dignitâtes, quas magno cum splendore absolvens, cum esset Prior cœnobii de Succursu Malhorquini, magno cum odore, & fama sanctitâtis decessit. *M.* Genuæ inter Excalceatos transitus Ven. Jacobi Mariæ Badaraco, Viri magnæ pietâtis, qua motus in Xenodochio Genuensi peste laborantibus inservivit, unde etiam peste correptus, repetens illa S. Simeonis verba: Quia viderunt oculi mei salutâre tuum &c, inter pia colloquia animam tradidit Creâtori. *N.* In monastério Incarnatiônis in civitâte Legionensi depositio Ven. Franciscæ á S. Paulo, quæ inter officia Religiônis humilia, cælitus accépit intelligentiam rerum divinarum, & præcipue oratiônis cum omnium admiratióne. Erga Sanctissimum Sacramentum fuit devotissima. Sæpius á dæmone fuit tentâta, sed illum taliter protrivit, ut jam ab illa ille perterrefactus aufúgeret. Obiit tandem multis cumulâta méritis hac die, relinquens suæ sanctitâtis evidentia testimónia. *O.* In cœnobio Monialium Villaviçozano transitus Ven. Agnetis ab Assumptione, quæ é cœnobio Eborensi, ubi Laicali vita fungebatur, & cum Ven. Margaritta de Jesu, ad fundationem Villaviçosanam perrexit, ubi de se rarum sux dedit virtútis testimonium; erat enim obsérvantissima, pœnitens, humilis, contemplativa: corpus suum cilicio asperrimo macerâbat, In oratiône plures extases habuit, visa supra terram altius élevari, & sensibus privari: erga ægrotos erat charitativa. Pluries illi Ven. Margaritta apparuit, ut illam de sua gloria redderet certiórem. Donec innumeris ornata méritis, mortem sanctorum tranquilla pace hac die experta est. P. Translátio S. Lupi Episcopi Senonensis hac die celebrâtur.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM TERTIUM APRILIS.

A. S. Ibarus flóruit in Hibernia sub disciplina Monachali S. Patritii, & postea factus Episcopus, sanctissime óbiit, sepultus que est in cænobio Reg-herienſi, quod interpretâtur Parva Hibernia. De illo agunt S. Abbanus ejus discipulus in ejus Actis, Martyrolog. Tamlactense Jocelinus in Vita S. Patritii num. 73, & Acta SS. Henschenii hac die fol. 173.

B. SS. Romula, Redempta, & Hirundo Romæ floruerunt circa annum 592, & nostri Ordinis Tertiariæ extitêre, ut asserit N. Torelli tom. 2. an. 592 fol. 483, & de illis agunt plures.

C. S. Pusinna in pago Partensi Cathalaun. orta est ex Sigmano, & Lutride parentibus. S. Albinus discipulus S. Lupi, dequo 29. Julii, & de S. Albino 7. Septemb agendum est, velum illi præbuit. De S. Lutride 22. Septemb.

D. B. Hélena Utinensis nata est Utini, quæ in ditióne Venetiarum exístit, anno 1396 ex illustrissima familia Principum Aquilegiæ: parentes novit Valentinum, & Elisabetham. Septennium implenti apparuit Deipara, & illam admonuit, ut oratiónis viam sectarêtur. Quindecim annos nata, matrimonio trâdita est Antonio Cavalcanti, qui post septem, & viginti annos é vivis sublatus est: Hélena vero audito Ven. Angelo á S. Severino circa indulgentias concessas hábitum Augustinianum portantibus, illum pétiit, & obtento, cæpit heróicis coruscâre virtûtibus. A cælo multis fuit ditâta beneficiis; donec innúmeris méritis ornâta, die 23. Aprilis an. 1458 ætat. 62 ad oculum cælestis Sponsi properâvit, & corpus biduo devotióni pópuli permansit expósitum, & ultimo die stellis irradians Religiósis apparuit imperans, ut ejus corpus die séquenti in oratorio tumularent, quod factum est, & ibi multis cæpit miraculis coruscâre, & ex anno obitus ejus B. Helenæ, festum celebratum est. Corpus ejus integrum servâtur in arca marmorea ad sinistrum templi parietem, in qua ipsum die S. Luciæ Sacro spectandum expónitur maximæ multitúdini, adhoc confluenti, & unus ex nostris bombácem applicat Sancto Corpori, & oculis, & osculis adstantium devóte applicat. Et in Oratorio B. Helenæ sacellum erectum est, decenter ornâtum, ubi servâtur scamnum, in quo sedebat, cilicia, & disciplinæ, illius pœnitentiæ instrumenta.

De B. Hélena loquens Henschenius in Actis SS. ait illam solum fuisse Tertiariam Ordinis, ut sunt Ordinis S. Francisci, & Ordinis Præmonstratensis, & addit: Non sunt illæ voces strictissime sumendæ, quasi supponant solemnia Vota Religiônis, cum tantum simplicium votorum vim habuerint, quæ emittebantur, & emittuntur etiam in Italia, ab his, quæ Pinzocheræ mantellâtæ vocantur Dicimus ergo Henschenium décipi, quia vota Mantellatarum sunt solemnia, & dirimunt matrimonium, etiam si tales in suis habitent domibus, ut constat ex cap. Insinuante, ubi agitur de quadam Mantellâta, quæ emisso voto castitâtis in manu cujusdam nostri Ordinis, marrimonium contraxit, ubi Innocentius Tertius jussit Episcopis Olyssiponensi, & Conimbricensi, ut fœminam cogerent ad hábitum resumendum, quod non præciperetur á Pontifice, si solum effecisset votum simplex; dequo vidêatur N. Leal in Chron. Purificatione 5. Exam. 11. fol. 535. Rem clare constat ex Iman Augustiniano Fr. Josephi á D. Antonio c. 2. fol. 16. unde minus vere loquitur Henschenius, ut asserat B. Hélenam voto solum simplici fuisse ligatam, quia in domo suæ sororis degébat, & omnes, quotquot extiterant, in domibus suis degebant, & tamen vota solemnia emittebant; ut paucis abhinc annis contigit cuidam Mantellatæ in Olyssipône degénti, quæ optans in cœnobium monialium S. M. Mónicæ recipi, hábita Provincialis licentia, recepta est ad consortium monialium, & tamen non renovâvit vota emissa: ergo.

De B. Hélena agunt ex NN. Simon Romanus in ætate coævus in vita ejus, Jacob Philippus Bergom. in lib. de claris mulieribus cap. 159, Coriolanus in Chron; Pamphilus ibidem, Crusen. in Monast. p.

3. c. 16, Strambel, Delcampo in Catalog. SS. Hispali impresso an. 1624, Orosco in Chron. Ord. Simplician. á S. Martino in Vitis SS. Ord. Herrer. tom. 1. Lit. H. fol. 334; Torelli in Centur. 3. c. 91. fol. 332; & in Sæculis tom. 7. an. 1458. a num. 25. fol. 62, ubi latissime de illa agit; Elss. in Encom. Lit. H. fol. 270, Portillo die 2. Aprilis, tom. 2. fol 2. Arpe tom. primo SS. die 22. Aprilis fol. 213; Joseph. á D. Antonio in Flore SS. Lusitano á fol. 76, & alii. Ex exteris Jacob. Utinensis, qui vitam B. Hélenæ composuit, & Paulo Secundo dicavit, Joannes Baptista Sartorius Canonicus, qui vitam B. Hélenæ composuit anno 1632; P. Henschenius in Actis SS, tom. 3. SS. Aprilis, & Kalendarium Romanum Vénetiis impressum anno 1487, duodeviginti annos post óbitum B. Hélenæ; ubi 27. Aprilis sic est. Festum B. Hélenæ de Utino Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Unde notandum est, quod de die hujus Beâtæ diversimode agunt AA; alii agunt de illa 2. Aprilis, alii 22, alii 23, & alii 27: primi séquuntur N. Bergomensem, dequo afferit Henschenius ubisup, pro 2. positurum esse 23; qui agunt de illa 22 decipiuntur, quia certe óbiit 27. Aprilis, ut scribunt NN. Simon Romanus testis ocularis, Torelli ubisup, & Joseph. á D. Antonio. Ejus festum tamen celebratur die 27. Aprilis, quia, ut ait Henschen; hac die corpus ejus tumulâtum est.

Epigramma ad óbitum B. Hélenæ.

Fas est, ut sónitus justi sint funere mæsti:
Sic sciisæ Christo sunt pereunte petræ.
Vix Hélena occubuit, totam sonuêre per Urbem
Cymbala; tristitiam propositûra suam.
Vix tamen ad sónitum cæpit campana moveri
Justitiæ; illius malleus ecce cadit.
Obstupet illé movens, cur cymbala tota sonarent;
Et non justitiæ, tangere quod voluit?
Dicam: campana hæc scelerati in morte sonâbat;
Ast Hélenæ interitu non bene signa daret.
Cur sic? Ante Deum culpis apparuit expers;
Morte Hélenæ æs ergo justitiæ taceat.

E. B. Gabriel Venétus Venétiis ortus est ex nobilissima prosapia, & cum in Ordine floruisset mirabili scientia, & sanctitâte, assumpto ad Cardinalitium Ægidio Viterbiensi, anno 1519 ad clavum Ordinis supremum assumptus est regendum; donec munere glorióse absoluto, méritis plenus, in Dómino quiévit anno 1537, relicto magno magnæ sanctitâtis odore; & corpus ejus ad Urbē Vénetiarum translatum est, & in Sarcophago á se sibi condito tumulâtum est. De illo agunt NN. Herrer. tom. 1. Alph. fol. 33; Elss. in Encom. Aug; Torelli tom. 8. an. 1519 num. 3. fol. 56, & anno 1537. num. 2. fol. 209; Portillo hac die in SS. Ordinis, tom. 2. fol. 127.

F. Ven. Angelus á S. Severino vir magnæ sanctitâtis, qui suis concionibus movit B. Hélenam Utinensem, ut hábitum mantellatarum susciperet, & illam illo induit, & plures alias, taliter, ut octoginta sex corpus B. Hélenæ ad tumulum comitarentur. Flóruit Utini circa annum 1444. De illo summa cum laude egit N. Simon Romanus in Vita B. Hélenæ, Torelli tom. 7. an. 1458 fol 76 num. 54, Jacob. Bergom. in Vita B. Hélenæ num. 4; Joseph. á D. Antonio in Vita ejusdem, & omnes de B. Hélena tractantes, ut videre est in Actis SS. Henschenii, dum de B. Hélena.

G. Ven. Leonardus Utinensis Theologus profundus, ob exemplarem vitam fuit confessarius, & Pater spiritualis B. Hélenæ Utinensis; unde pie creditur, quod sicut ipse spiritum B. Helenæ dirigebat, sic B. Hélena suo exemplo Leonardum instrueret; Lux enim & se ipsam, & alios irradiat. De Ven. Leonardo agunt AA. supracitâti, & præcipue Torelli ubisupra.

H. Ven. Dominica Utinensis, socia fuit inseparabilis B. Hélenæ, &, ut arbitror, non ignobilis esset sanctitâtis; quia sicut oculus purus ténebras odit, & amat lucem, cum esset Ven. Dominica Comes

á B.

á B. Hélena amata, in illa non ténebras; ſed multas virtûtis cognoſceret luces. De illa agunt NN. Simon Romanus, Torelli ubiſup. fol. 76 num. 55; Joſephus á D. Antonio ubiſup; & plures alii.

I. Ven. Cherubinus Laoſius de Caſſia Doctor inſignis, an. 1537 erat Ordinis Secretarius, & an. 1542 Provincialis Spoletanus, & tandem an. 1566 per óbitum Angeli Maſſarelli á S. Pio V. creâtus fuit Epiſcopus Thileſinus; quo munere diligentiſſime functus, per undecim annos. Caſſiæ óbiit anno ætatis 80, & in cœnobio noſtro ſepultus eſt 23. Aprilis anno 1577. De illo agunt Herrer. tom. 1. Lit. C. fol. 147, Elſius in Encom Aug. Lit.C. & alii plures cum N. Portillo tom. 2. SS. Ughellus in Italia Sacra tom. 8. fol. 371.

L. Ven. Gaſpar Mancebon ortus eſt in Urbe Orihuelenſi in regno Valentiæ ex Didaco Fernando Mancebon, & Eliſabetha Leca; Valentiæ hábitum ſuſcépit, & profeſſionem emiſit in manibus Ven. Joannis Joannes Prioris die 23. Aprilis anno 1585. Studiis dans óperam, exiit doctiſſimus, & in concionibus agendis ſingularis, & myſticus mirabilis fuit, ut patet in Vitis Ven. Melchioris de Arazil, & Ven. Joannæ de Guillen, quas eleganti methodo conſcripſit. Fuit obſervantiſſimus, valde pœnitens, & rerum Ordinis incredibili zelo plenus. Poſt aliquot in Ordine dignitâtes, cum eſſet Prior cœnobii de Succurſu Urbis Malhorquii, méritis, & annis conſummatus, in pace quiévit anno 1625, relinquens ſuæ rarum ſanctitâtis odôrem. Agunt de illo NN. Herrer. tom. 2. fol. 536, Elſſ. in Encom. Auguſtini. Lit. G, & Jacob. Jorda tom. 1. Hiſtor. Valentiæ lib. 2. c. 19 num. 3. fol. 331.

M. Ven. Jacob. Maria Badaraco Genuæ inter Excalceatos floruit magna pietâte, qua motus, graſſante Lue, in Xenodochîum Genuenſe perrexit, infirmis ſubventurus, unde etiam lue oppreſſus, pie hac die deceſſit an. 1657 ætatis 28, & Religiônis 13; répetens illa verba S. Simeonis: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Agit de illo P. Anterus in Actis Apoſtolorum c. 7. v. 56. columna 1. fol. 124.

N. Ven. Franciſca á S. Paulo in regno Legionenſi orta eſt in oppido Horcada vulgariter nuncupato: triginta annorum facta, cœnobium Incarnationis ingreſſa eſt, ubi magno ſanctitâtis exemplo degens, die 23. Aprilis an. 1687 ad oſculum Domini properavit. De illa agit N. Villerin. lib. 27 tom. 2. Solaris Auguſtin. tract. 3. fol. 319.

O. Ven. Agnes ab Aſſumptione Eboræ orta eſt ex humili génere, & ſic ad cœnobium Eborenſe Pueri Jeſu ad ejus famulatum admiſſa, poſtea Laicali habitu donata eſt; & inde in Villaviçozam profecta, ibi poſt aliquot annos felici fato vitam terminavit, anno 1540 die 23 Aprilis; ut refert N. Sebaſtian. Portillo tom. 2. SS. Ordin. fol. 129.

P. Translatio S. Lupi Epiſcopi Senonenſis facta eſt in Eccleſia S. Columbani, ubi multis clarebat miraculis, ad locum decentiórem. Sauſſai tom. 1. fol. 228, & alii.

OCTAVO KALENDAS MAIJ.

XXIV.

A. In Anglia depoſitio S. Melliti Epiſcopi, qui, cum prius Romæ monachiſmum Auguſtinianum amplecteretur, & á S. Gregorio Papa in Angliam miſſus, ibi prior fuit Epiſcopus Londinenſis, & tertius Cantuarienſis Archiepiſcopus, ubi poſt quam Orientales Sáxones, & ipſorum Regem ad fidem converteret, méritis innúmeris cumulatus, hac die in cælum migravit. *B.* In Indiis apud Manillam martyrium B. Petri Monterii, qui poſtquam in Japponia fidem prædicaverit, in Manillam pergens incidit in manus hæreticorum Mollandiæ, qui orantem graviter vulnerantes, martyrio coronarunt.

C. In Japponia memória B. Joannis de Amorin qui ibidem Comes fuit *B.* Petri, ubi permanens in confessione, & prædicatiône fidei, ad ultimum Nangazaquii Lancea confossus, coronam méruit sempiternam. *D.* Fulgini in cœnobio S. Luciæ óbitus B. Gemmæ Sulmonensis, quæ núptui tradita, & orbata marito, cum una ex duabus filiis, Clara nomine, ad monasterium Sulmonense nostrarum monialium se contulit, ubi humilitâte, & spiritus fervore illustris, Religiosam vitam duxit, donec oborta magna seditiône in Urbe, exulare coacta est cum filiâbus, & BB. Alexandrina, & Lisa neptibus, & Fulginum profecta, ibi in cœnobio S. Luciæ regulam S. Claræ sunt professæ, ubi clarissimis ornâta virtûtibus, sancte óbiit. *E.* Mediolani solemnitas Baptismi S. P. Augustini, & sociorum célebrati hac die á S. Ambrosio Mediolanensi Archiepiscopo hora nona sabbati sancti, tempore Valentiniani Undecimi, & Theodosii Primi, & post baptismum processio per civitatem facta est, ubi cantatus est hymnus Te Deum Laudamus, in memóriam cujus adhuc platêa vocatur: Te Deum Laudamus: quæ res etiam á cælo celebrata est; nam triginta per dies, ut testatur N. D. Prosper, signum in cælo, quasi columna pendens, apparuit. *F.* Arelate inter Ursulinas óbitus Ven. Margarittæ Martinon, quæ constanti animo in Religiône persevérans contra parentum suorum voluntátem, brevi tempore Religiônis multa explevit, nam adhuc in rigoroso tyrocinio morbum contraxit lethalem, & asserens exultare, quia in Religiône decedebat, summa cum pietâte hac die decessit. *G.* Inter Ursulinas Turonenses depositio Ven. Mariæ á S. Josepho, quæ a téneris ita impudicitiam abhorruit, ut quendam nobilem in ejus facie osculum figentem graviter reprehenderit: omnia, quæ poterat, pauperibus erogabat: ornamenta, tanquam luxus testimonia, abhorrebat. Ad Ursulinas perrexit, decennio nondum expleto, ubi senili prudentia coruscans, tyrocinium ingressa est, & ante professiónim scalam aspexit á cælo terram tangentem, ex qua plures é primo gradu, & quam plures e medio cadebant, & pauci culmen superabant. Claruit devotiône Verbi Incarnati, quod illi crebrius apparebat, & aliquando illi apparens, dixit: Filia, maxima cum cura déforis animæ tuæ castellum serva, quia ipsum met intus illud custodiam. Quoties de Christo loqui sentiebat, amôris liquefiebat incendiis. Honores abhorrebat, in oratiône assidua erat; labores, & morbos summa cum patientia tolerabat; donec innúmeris plena méritis, hac die pie mortem aspexit: & post óbitum cuidam conversæ moniali, dictæ Elisabethæ, apparuit gloriósa, dicens, ut se ad mortem præparasset, quæ statim morbo correpta est, & post dies quatuor expirâvit. *H.* Olyssipone in cœnobio Gratiarum óbitus Ven. P. Josephi á Sylva, Viri apud omnes in magno pretio habiti, ob suæ vitæ rarum exemplum; erat enim in choro assiduus, in modestia singularis, & in nihilo reprehensibilis. Qui licet multis angeretur scrupulis, tamen ante óbitum, ab illis, Deo sic disponente, liberatus est; & sic summa cum pietate, & magna apud omnes opiniône relicta, hac die mortalitatis hospitium dereliquit. *I.* In cœnobio Zugbu nominis Jesu Provinciæ Philippinarum, inventio corporis Ven. Petri Agurto Episcopi insulæ de Zugdu, qui cum sanctissime óbiisset, post annum corpus ejus inventum est incorruptum, illæsum, tractabile, cum facie illibata, capillis, & dentibus immotis, & ex toto corpore suavissimus odor afflabat, in signum virginitatis, quam ad extremum usque conservarat.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM QUARTUM APRILIS.

A. S. Mellitus Mónachus Romæ in monasterio S. Andreæ, qui á S. Gregorio missus est in Angliam ad fidem disseminandam, ubi primus Episcopus Londinensis, & tertius Archiepiscopus Cantuariensis creatus est; ubi sanctitate clarus, hac die, & an. 624, in cælum migravit. De illo agunt Acta SS. Henschen. fol. 280. Illum nostratibus pertinére, die 12 Martii, dum de S. Gregorio Papa, ostendimus, & amplius ostendemus 26. Maii, dum de S. Augustino.

B. B. Petrus Monterius Hispanus, qui hábitu assumpto in cœnobio Toletano, adhuc

huc choriſta, in Philippinas transfretavit anno 1601, & inde in Japponiam; unde per aliquot annos in verbi divini prædicatiône tranſegit: hinc in Manilam rediens, in manus Batavorum incidit, quos arguens de erroribus, in oratiône defixus, & Dei laudes conſtanter pronuntians, ab illis crudeliter trucidatus eſt hac die, & anno 1610. Referunt NN. Cruſen. in Monaſtico Auguſt. p 3. c. 47. fol. & Portillo tom. 2. fol. 131 nominans illum Ildefonſum nomine navis, qua ibat, Simplician. á S. Martino, Maygret. c. 48, Cruſen. Herrera. 236, & Illuſtriſ. Joſeph. Sicardus in Hiſtor. Jappon. lib. 1. c. 7. fol. 46.

C. B. Joannes de Amorim, filius cœnobii Vallitoletani, qui in Indias profectus anno 1590, in Japponiam profectus, ut animas infidelium ſuis cohortationibus cœlo lucrifaceret; cum ergo nonnullos in hoc myniſterio conſumpſiſſet annos, tandem in Odium fidei, Nangazaquii membratim conciſus, purpurata corona, ad candidam in cælis properavit ſuſcipiendam, dies ignoratur, ſed annus fuit 1610; & de eo fit hac die mentio, fuit enim ſocius B. Petri, de quo ſupra. Agit de illo N. Sicardus ubiſup. fol. 47.

D. B. Gemma Sulmonenſis génere nobilis, quæ nupſit Franciſco Filiolo, ex quo duas genuit filias, Scil. B. B. Margaritam, & Claram. Orbata vero viro, Ordinis S. P. Auguſtini hábitum cum filia Clara ſuſcepit, & prima á primis annis Ordinem Clariſſarum ingreſſa eſt. Ipſa vero B. Benedicti de Deo noſtri Ordinis exemplum ſecuta, cum Filia Clara, & Liſa nepte, in eo cœnobio obſervantiſſime aliquandiu vixit; ſed cum in Sulmone nonnullæ orirentur diſcordiæ, abinde diſceſſit ſecum deferens duas præfatas, & filiam Margaritam Clariſſam, & primo Aquilam, deinde Fulginum venit 19 Jubii an. 1425, & recepta in domo S. Luciæ, quæ ab anno 1326 fuit hábitatio monialium Auguſtinianarum, & tunc jam aberant, die 22. Julii ejuſdem anni 1425, ſu cepto S. Franciſci inſtitúto, oratiôni, contemplatiôni, & pœnitentiæ dans óperam, magna cum opiniône ſanctitatis hac die ad cæli palatia migravit anno 1435. & corpus ejus ibi honorifice aſſervatur. Agunt de illa NN. Herrera in Alphab. tom. 1. fol 285, Torelli in Centur. 3. c. 65. fol. 305; Herrer. iterum tom. 2. de Monaſt. fœminarum. fol. 430, Torelli tom. 6. fol. 291, & 662, Elſſ. in Encom, & alii. Ex exteris Jacobillus de SS. Umbriæ, Artur in Martyrol. Franciſcano hac die, ubi ait, prius ſub noſtro Ordine claruiſſe, & Henſchen. in Actis SS. in prætermiſſis.

E. Baptiſmus S. P. Auguſtini accidit Mediolani hac die in Sabbato Sancto an. 387, quo tempore hymnus, Te Deum Laudamus, a duobus SS. Ambroſio, & Auguſtino eſt compoſitus: hora fuit nona, in memóriam apparitiônis Angeli Centuriôni, cui præcepit, ut S. Petrum, a quo baptizaretur, péteret; vel etiam, quia Chriſtus in illa hora expiraverit. Plura in hoc lavacro relatu digna facta ſunt, quorum præcipua narrant NN. Ludovicus ab Angelis in Vita S. P Aug. lib. 3. c. 4 uſque ad 7; Leal Purific. 3. Exam. 3. fol. 167; Franciſcus Ribera in Vita S. P. lib. 2. á cap 11. fol. 101 uſque ad 114; Torelli tom. 1. an. 387. num. 24, Delcampo in Chron. lib. 1. cap. 34, & 35, Herrer. in Bibliothec 3. p. lib. 1. diſp. 2 punct. 1, & 2, Portillo hac die in m. ſ; Cardinalis Noris in Somniis contra P. Franciſcum de Macedo, & Benedictini Congregationis S. Mauri in Vita S. P. Auguſtini, & quotquot ſine paſſiône de S. P. Auguſtino Scripſere.

Epigramma ad columnam in hoc baptiſmo viſam.

Conſtantinópolis cum Turca prehenderat Urbem,
Exiit é Sóphiæ clara columna domo.
Cum Pater Aurelius ſacro fuit imbre lavatus,
Viſa fuit claro clara columna polo.
Prima ſiniſtra fuit ſignabat in Urbe ruinam:
Fauſta ſecunda fuit; nam bona ſigna dabat.
Prima ſiniſtra fuit; graviter nam læſus Olympus
A Græcis, regnum perdere fecit eos.
Fauſta ſecunda fuit, Pater Auguſtinus in imbre
Lotus, inoffenſo poſt pede fecit iter.

F. Ven. Margaritta Martinon, seu á S. Ludovico, in Provincia Landegochii orta est ex patre advocato: inter Ursulinas Arelatenses contra voluntatem fratris sui professionem emisit, ubi in brevi consummata, pie decessit hac die an. *1628* ætatis *16*, ut refert Histor. Ursulin. fol. 18.

G. Ven. Maria de la Troche, sive á S. Josepho, orta est in Gallia in civitate vulgo Anjou, 7. Septemb. an. 1626. Novem annos ingressa, tradita est Ursulinis Turonensibus, ubi rara cum sanctitâte degens, óbiit die 24. Aprilis an. 1652 ætatis 35. Historia Ursulin. fol. 123 agit de illa.

H. Ven. Josephus á Sylva, qui ortus est in oppido Chaveans prope Oppidum de Melgasso, in parochia S. Mariæ Magdalenæ, ex Petro Sintram, & Margaritta Alvares, hábitum assumpsit in Collegio Conimbricensi die 3. Decemb. an. *1659*, ætatis fere *21*: in Religiône vixit raro exemplo, & nomine apud omnes, & sic permansit usque in finem; óbiit enim in cœnobio Olyssiponensi Gratiarum die 24. Aprilis anno 1713, sepultus que est in tumulo 4.

I. Translatio, seu pótius inventio corporis Ven. Petri de Agurto, qui fuit Episcopus de Zugdu in Philippinis, unde óbiit die 14. Octob. an. 1608, & áperto ejus Sarcophago die 24 Aprilis an. *1606*, inventum est ejus corpus in tegrum, & suavem spirans odôrem. Agunt de hac inventiône Herrer. tom. 2. Lit. P. fol. 253, Elff. in Encom. Lit. P, Torelli in Centur. *6.* c. 27 fol. *673*, & Scriptores Philippinarum.

SEPTIMO KALENDAS MAIJ.

XXV.

A. Genazani in Campania natalis B. Petruciæ de Genazano, quæ mundi inconstantis pericula cognoscens, inter Tertiarias Ordinis nacta est numerari; & statim viam perfectæ ingrediens virtûtis, flóruit abstinentia, pœnitentia, & contemplatiône; & prophetiæ spiritu, quas virtútes Deus, ut sibi gratas, miraculis plurimis confirmavit, donec multis exornata méritis, in cælum migravit, sepulta que est in monasterio Genazanensi. *B.* Eodem die memoria B. Sanctæ de Genazano, quæ ibidem claruit pœnitentia, & rerum divinarum meditatiône, & præcipue erga passiónem Christi; cujus devotiône taliter flagrabat, ut de illa loqui audiens, extra sensus raperetur, & diu extatica permaneret. *C.* Barchinône in Collegio S. Guilelmi óbitus Ven. Ignatii Roger de Luria, qui é nobilissima ortus familia, Barchinone hábitum suscepit, & in Religiône egrégiæ virtûtis, quoad vixit, præclara dedit testimonia; erat enim conditiône affabilis, in verbis parcissimus, in adversitatibus patiens, in oratiône assiduus, in observantia votorum, & constitutiónum mirabilis. Cum esset Prior, & Rector Collegii Barchinonensis, gravi morbo oppressus, ubi summam ostendit patientiam, inter fervidos amôris, & contritiônis actus, ut vixit, sancte hac die decessit. *D.* Apud Fermum transitus Ven. Jacobi ab Epiphania Laici, qui inter Excalceatos degens per quadraginta annos, ibi claruit oratiône, & sacramentorum frequentia, & patientia in laboribus. Erat vir magnæ simplicitatis, & sinceritatis: sua erga res spirituales frequens erat conversatio. Donec ab omnibus veneratus, & méritis plenus, hac die magna cum opiniône decessit. *E.* Adveniône inter Ursulinas depositio Ven. Mariæ de Vassois monialis, quæ a téneris mundi vanitates pertæsa, Religiônem ingressa est, ubi floruit modestia, & devotiônibus, & nisi illas perficiens, recreatiônis locum non intrabat. Claruit humilitate, pœnitentia, & charitate, qua ardens, omnia sororum ministeria adimplebat. In oratiône erat assidua; crebrius in die altaris Sacramentum visitabat, dicens in illo suum esse plenum delectamentum. Quotidie unum in constitutiônibus Ordinis legebat capitulum, osculabatur,

abatur, & obſervabat. Gravi morbo impetîta, recêptis Sacramentis, læta, & palmas concutiens, dixit: ſorores meæ, Deus ſit benedictus, ecce venit Sponſus, éamus, illi obviam properemus, quibus pronuntiâtis, animam ſuo ſuam tradidit Creatori. *F.* Salmanticæ in cœnobio Moniâlium Conceptionis, tranſitus Ven. Mariannæ á D. Paulo, quæ a téneris viam virtûtis ſequuta eſt. Deſiderio Religiônis inflammata, in dicto monaſterio hábitum ſu cepit inter converſas ob humilitâtem, & exinde virtútes egrégias oſtendit, verba otiôſa non protulit, nec ulla, quæ de Deo non eſſent; addens in Religiône omnia verba, quæ de Deo non eſſent, eſſe otiola. Etſi Latini Sermonis eſſet ignara, Theologa tamen vocabâtur, & illam plures Theologi quærebant, ut illis plures Scripturæ, & Theologiæ textus explicaret; quod taliter faciebat, ut omnes obſtupefacti exirent. Semper de Deo loquebatur. Claruit paupertâte, nec calceamentis, nec indumentis, niſi valde obſoletis, utebatur. Claruit charitâte erga pauperes, quos nimia largitâte recreabat, dicens, ſe eſſe pauperem ſpontaneam, illos vero coactos. Ægrotos, & afflictos dulciter conſolabatur: ſolitudinem amabat; in oratiône erat aſſidua. Semper optabat ab omnibus comtemni, & gratis cantinellis ante ſororum pedes poſternebâtur. Quoties in altari reficiebâtur, toties in ore miram dulcedinem capiebat. Spiritum interiora cognoſcebat. Plures á dæmone perpeſſa eſt inſidias. A Ven. Maria Baptiſta ſibi apparente glorióſa agnovit ſe poſt quadriennium morituram, & in quadrageſima anni, qua óbiit: rurſus ab illa ſibi apparente, ſui óbitus diem agnovit. Etiam viſitâta fuit á Ven. Anna á S. Petro; & aliis animabus, quæ ſua interceſſiône in cælum aſcenderant; & præcipue viſitâta fuit a quodam juvene dicente, ſe, & parentes ſuos eſſe ſalvatos, & Ven. Mariannæ præbuit tres monetas, quarum una velleris, alia argenti, & auri tertia, dicens in his diverſitâtem méritorum in viatoribus ſignificari. Tandem magno ſanctitâtis odôre in die Paſchatis in pace quievit. *G.* In cœnobio S. Joannis Baptiſtæ de Arenas in Epiſcopatu Abulenſi depoſitio Ven. Mariæ á SS. Trinitâte monialis, quæ a teneris Religiônem ingreſſa, de ſe óptimæ virtûtis ſpecimen dedit: ádeo pura fuit, ut á multis gratiam baptiſmalem non perdidiſſe crederetur. Semper abſorpta in contemplatiône ambulâbat: & noctes fere integras orando ducebat inſomnes, & de hoc teprehenſa reſpondebat, oratiónem animæ eſſe alimoniam; & vires ad diurnum laborem miniſtrare; & ſic quaſi Magdalenæ, & Marthæ ſimilis, vel orando, vel laborando vitam ducebat. In feſtivitâtibus Chriſti, & Deiparæ quaſi extra ſenſus eſſe apparebat. Ab Angelo fuit per cor jaculo ignito transfixa. Claruit prophetico Spiritu. Erga Purgatorii animas fuit devotiſſima, quæ illi continue apparebant ſuffragia poſtulantes. Interiora ſororum cognoſcebat, & illarum animas aliquando, ut columbas candidas videdat. Sæpe á Chriſto, Deipara, Angelis, & pluribus Ordinis ſanctis fuit viſitâta. In pœnitentia fuit miraculum, lectum dormitura ignorabat, noctu enim, vel genuflexa, vel ad modum Crucis poſtrâta tranſibat. Quotidie bis, & amplius, flagellabâtur, & aliquando poſtulâbat ab alteris flagellari, & ora contundi. In jejunio, ſilentio, & chori aſſiſtentia fuit mirabilis, & in choro vidit pluries Angelos cum monianibus pſallentes. Circa dæmones dominium exercuit, quos veluti muſcas contemnebat. Tandem gravi afflicta morbo, quem patientiſſime toleravit, ad óbitum devênit, quo tempore ad modum Crucis extenſa, Spiritum felici fato in manibus ſui tradidit Creatoris. *H.* Goæ in monaſterio S. Mónicæ defunctio Ven. Mariæ á Salvatore converſæ, quæ ab initio uſque ad finem Religiônis ſémitam ſummo cum fervore cucurrit, & in oratiône plures conſumebat horas, & in illa plures á Deo accepit favores. Ob injuſtitias, & peccata contra Deum facta acriter angebatur. In feſto Innocentium vidit é cælo egredi Angelum aſpectu terribilem, & in dextera gladium ſtrictum vibrantem, & inſiniſtra globum ignitum portantem, in quo oſtendebat, mundum incendere, & illius habitatores jugulare velle. Erga Deiparam præcordi ali ardebat affectu. In Vigilia Purificatiônis illi Deipara apparuit cum Puero Jeſu, & M. P. Auguſtino, qua viſione plena fuit ingenti lætitia, & conſolatiône: & altera die ejuſdem Purificatiônis eamdem Deiparam cum Puero Jeſu aſpexit, & Jeſum oſculari promeruit. Donec egregiis ornâta méritis, hac die inter dulcia colloquia animam felicem exhalavit. *I.* Translatio S. Droctovei Abbatis.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM QUINTUM APRILIS.

A. B. Petrucia de Genazano Virago fuit, cujus impensis monasterium Genestanense vestutâte collapsum restitui cæpit; sed cum a pópulo derideretur, quod ad Ecclesiam perficiendam ejus non sufficerent facultâtes, licet jam esset decrepitæ ætatis, dicebat, templum illud, antequam ipsa é vivis excederet, á B. Virgine, & S. P. Augustino esse complendum; quod accidit; nam die 25. Aprilis anno 1467 ad vesperum in Ecclesiæ pariete Deiparæ imago apparuit, ad quam visendam tota fere Italia concurrit ob prodigia ibi perpetrata, & relictis pluribus eleemosynis, Petrucia adhuc superstite, & templum, & monasterium constructum fuit: ob quæ appellatur Prophetissa: fuit nostri Ordinis mantellâta, & in domo sua vixit rara pœnitentia, jejuniis, & disciplinis; oratiône erat assidua. Tandem virtûtibus plena, felicem aspexit mortem, & sepulta est in Sacello Deiparæ, quod illa construxerat, & multis claruit miraculis. Obiit anno 1470. De illa agunt NN. Coriolanus in Chron; Herrera in Alphab. tom. 2. fol. 247, Elss. in Encom. Lit. P. Portillo hac die tom. 2. fol. 137. Torelli tom. 7 anno 1470 fol. 179. n. 10, & in Centur. 3. cap. 97. fol. 351; Josephus á D. Antonio in suo Iman Spirituali fol. 75, & in Flore SS. tom. 2. fol 202, & alii plures. Acta SS. agunt de illa 7. Junii in Prætermissis.

Epigramma ad B. Petruciam.

Ecce Virâgo potens, cæli quæ numine fisa
Magnificam parvo condidit ære domum.
Incipiens derisa fuit, quia condere magnum
Cæpit opus, promptas quin habuisset opes.
Virginis auxilio conspectæ in parjete templi,
Junxit ópes, ingens cum quibus egit opus.
Discite mortales terrena sorte carentes:
Mens vestra in cælum surgat, ut addat opem.

B. B. Sancta de Genazano ibi orta est ex nobili familia, inter mantellatas Ordinis adscribi voluit, & extunc magnis cæpit clarêre virtutibus; sic enim in contemplatiône supernorum elevâta erat, ut singulis diebus spiritu raperetur, non semel, sed quoties de Deo, & Christi passiône, aut Beâtorum Vita aliquid audiret. Flóruit pœnitentia, humilitâte, castitâte, obedientia, charitâte, patientia, & Spiritu prophetiæ; donec pluribus ditata méritis, & cæli favoribus, ad castos cæléstis Sponsi amplexus, translâta est circa an. 1481: & nonnullis claruit miraculis. De illa agunt NN. Jacob. de Aquila in Regístris Ordinis, Coriolanus in Chron. Ordinis, Herrera tom. 2. Lit. S. fol. 380, Pamphil. fol. 88, Crusen. 3. p. Monastici cap. 29 fol. 176, Roman Centur. 12 n. 103 sub anno 1493; Orosco in Chron. an. 1551, Torelli tom. 7. an. 1481. fol. 315 n. 3, & in Centur. 3. c. 98. fol 353; Elssius in Encom. Lit. S, Portillo hac die in m. s; Josephus á D. Antonio ubisup, & in Flore SS, & in suo Iman.

C. Ven. Ignatius Roger ortus ex nobilissima prosapia Lurienst, parentes habuit Ludovicum Roger de Luria, & Elisabetham de Luria, Oppido Esterri de Anneo Episcopatus Urgellensis; ætate competenti inter nostros admissus est in cœnobio Barchinonensi, & professus est die 1. Martii an. 1655, & dese cæpit óptima dare testimonia; erat enim indole mitissimus, tacitus, patiens, & solitudini, & oratiôni maxime intensus: in observantia votorum, & constitutiônum fuit mirabilis: cum esset Prior in Collegio S. Guilelmi, ibi magna pietâte decessit die 25. Aprilis anno 1693. Agit de illo N. Jorda tom. 3. lib. 2. c. 16 fol. 401, num. 3.

D. Ven. Jacob. ab Epiphania ortus est

in

in Aquaviva, Oppido Marchiæ Anconitanæ, anno 1643 die 6. Januarii hábitum aſſumpſit inter Diſcalceatos in cœnobio Fermi, ubi per quadraginta annos vivens raro cum ſanctitâtis exemplo, hac die e vivis exceſſit anno 1682, ætatis 70. Agit de illo N. Joannes Bartholomæus Luſtro 18. fol. 512.

E. Ven. Maria de Vaſſois, ſeu ab Aſſumptiône inter Avenionenſes Urſulinas hábitum aſſumpſit, ubi advenit ex inſula Véneta, in qua orta eſt. In Religiône vixit rara ſanctimonia, & óbiit pie die 25. Aprilis anno 1648, ut refert Hiſtor. Urſulin. fol. 80.

F. Ven. Marianna á D. Paulo orta eſt in Urbe Segorbienſi ex Alvaro de Pina, & Catharina Guillen; & hábitum monialium ſuſcepit Salmanticæ in cœnobio Conceptiônis inter converſas, licet nobilis, & ditiſſima eſſet, & in Religiône rara ſuæ ſanctimoniæ præbuit teſtimonia: quorum plura refert N. Villerin. tom. 2. Solaris Auguſt. lib. 18. tract. 4. fol. 23: & rara cum opiniône óbiit die 25. Aprilis an. 1666. De illa idem etiam agit tom. 1. lib. 6. tract. 5. §. 1. fol. 287.

G. Ven. Maria á SS. Trinitâte in oppido Matritenſi nata eſt ex Joanne de Caceres, & Anna de Olmedo: vix tertium attigit ætatis annũ, admiſſa eſt inter moniales cœnobii de Arenas anno 1625, & profeſſiónem emiſit anno 1643. Non facile dictu eſt, quantum in Religiône ſplenduit in virtûtibus, & quantum á cælo fuit favoribus locupletâta: cum eſſet coacta á confeſſario, & prælâta, ut ſuam vitam exararet, quod fecit, tamen ob humilitátem, licentia obtenta, omnia ſcripta igne conſumpſit. Obiit tandem relinquens ſuæ virtûtis gratum odorem die 25. Aprilis anno 1668. De illa agit N. Villerin. tom. 1. lib. 9. tract. 3. fol. 412.

H. Ven. Maria á Salvatore orta eſt in terris Salſete in Oppido de Caloá, hábitum ſuſcepit in cœnobio S. Mónicæ Goenſi die 30. Septemb. anno 1656, & profeſſiónem emiſit inter converſas die 1. Octob. anno 1657, & in Religiône uſque ad mortem flóruit ſanctimonia, qua óbiit in Dominica in Albis die 25 Aprilis anno 1688. De illa agit N. Diſcalceatus Auguſtin. á S. Maria in Hiſtor. Goenſi lib. 4. c. 28, fol. 772, & etiam Hiſtor. m. ſ. ejuſdem cœnobii, quæ eſt in Archivio Olyſſiponenſi.

I. Translatio S. Droctovei Abbatis, diſcipuli S. Germani Epiſcopi Pariſienſis; qui poſtea in ejus cœnobio Abbas fuit: de qua Translatiône fit mentio in primo Martyrologio Uſuardi, & in Actis SS. Henſchenii hac die in prætermiſſis.

SEXTO KALENDAS MAIJ.

XXVI.

A. In Hybernia natalis S. Egberti Mónachi in monaſterio Bathmelſigi, ubi á peſte correptus ille, & S. Edethus ejus ſocius, hoc ſancte defuncto, ille vero divinitus á peſte ſanâtus eſt, & deinceps vivens in magna humilitâte, manſuetûdine, continentia, ſimplicitâte, & juſtitia, addens plura jejunia, optavit pergere in converſiónem Friſonum, Ruginorum, Danorum, & Hunorum; ſed ter admonitus á S. Boiſilo, ut ad S. Columbæ pergeret monaſteria informanda; & ille recuſaret, tamen orta tempeſtâte, ubi pluribus perditis, omnia Egberti ſunt ſalvata, ille ad Mónachos Hyenſes porfectus eſt, ubi poſtea, multis clarus meritis, & prodigiis ſancte deceſſit hac die; & ad cælicolum felici fato translatus eſt ſodalitâtem, unde noſtrorum numerum adauxit beatorum. *B.* Corbejæ in Ambianis depoſitio S. Paſchaſii Abbatis ejuſdem cœnobii, qui S. Adelardi vitam ſcripſit, ejus que locum ſortitus, & ſanctitâtem imitâtus eſt, & cum ſapientia coruſcâret, contra Berthragmum Pſeudomónachum

Eu-

Eucharistiæ mysterium negantem, libro mirabili dimicâvit, & insanum confutavit; & ducentis ante fere annis, prophetico plenus spiritu, hæresim Berengarii extinxit. Tandem meritorum cumulo insignis, hac die in cælum migravit. *C.* In Provincia Saxoniæ memória illius laici, qui cum sanus esset, & castitate, Zelo, & aliis coruscaret virtûtibus, confessarium rogavit, ut illum confiteretur, & illi Sacramenta ad mortem ministraret: sed rénuens confessarius, dicens, illum sanum esse, tandem precibus laici coactus illum audivit, & postea Sacramenta ministravit; quo facto laicus ad lectum regressus, infirmari cæpit, & altero die felici fato decessit. *D.* Mexici memória Ven. Joannis Gallæci laici, magnæ simplicitatis, & pœnitentiæ, qui quadam die á Priore pétiit Sacramenta, hoc tamen diu reluctante, tandem ab illo laicus Sacramenta suscepit, & statim lecto decumbens, post tres horas mirabili quiéte expiravit. *E* Valentii in cœnobio Orihuensi depositio Ven. Genesii de Ocana, Viri egrègiæ literaturæ, & non minoris sanctitatis, qui in Ordine plura exercuit officia magno cum zelo observantiæ: sed reversus in cœnobium Orihuelense, ibi sancto fine quiévit. *F.* Segorbii in cœnobio S. Martini óbitus Ven. Claræ á D. Paulo, quæ nuptias sæculi despiciens, ad dictum cœnobium perrexit, ubi sumens pro virtútum fundamento humilitatem, humilia enim cœnobii officia libenter exercebat, altius spiritum ad alias erexit virtútes; fuit mirabilis charitate, & in oratiône egregias fecit ascensiônes. In choro fuit assidua: cum vero Religiônis cursum feliciter, & sanctis gressibus peragrasset, gravi impetita morbo, quem per biennium patientissime toleravit, inter heróicos actus fidei, spei, & charitatis, ad cælestis Sponsi thálamum hac die ascendit.

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM SEXTUM APRILIS.

A. S. Egbertus flóruit in Hibernia in monasterio Bathmelsigi cum S. Eata, de quo *26.* Octob; & cum S. Edetho: & monitu S. Boisilli, dequo egimus 23. Januar; profectus est ad Monachos Hyenses S. Columbæ, ut illos in solemnitate Paschatis errantes erudiret, ubi sancte decessit anno *729.* Circa diem dubium est; Henschen. in Actis SS. fol. 31; agit de illo *24.* Aprilis, N. Jacob Font. in Viridario SS. die 23. Januar. in Vita S. Boisilli fol. 350 agit de illo *26.* Aprilis, ubi ostendit SS. Eatam, Boisillum, & Egbertum fuisse nostri Ordinis, citans Torellum in Sæculis anno *664* num. *26*, & latius ostendendum est in Vita S. Eatæ die *26.* Octobris.

B. S. Paschasius Abbas in Ambianis in monasterio Corbejano, ubi flóruit mirabili scientia, & sanctitate: unde méritis clarus, in pace quiévit hac die: fuit discipulus S. Adelardi, dequo fit solemnitas die 2; Januar. & de illo agit N. Jorda in Excellentiis Ordinis fol. 247, & 387, & Sausai, & Henschenius. S. vero Paschasius flóruit circa annum 770, & S. Adelardi vitam scripsit.

C. In Provincia Saxoniæ circa annum 1350 flóruit hic laicus, dequo refert N. B. Jordanus de Saxonia lib. Vitt. Fratrum lib. 2. c. 13, séquentia: Quasi Sanus videbatur, & ivit per conventum quærendo unum Fratrem Confessorem de licentia superioris sui, Quem cum inveniset, rogavit, ut secum iret ad chorum, & confessiónem suam audiret, & Sacramenta Ecclesiæ illi conferret. Ille excusabat se labore, quo occupabatur; etiam quia delirare istum sibi videbatur. Tandem précibus Fratris victus, secum ivit ad chorum, & facta confessióne pure, sicut Deus illi dedit, pétiit sibi myniſtrari vivifici Corporis Christi Sacramentum. At Frater sacerdos cum reverentia pixide accepta cum Corpore Dómini, istum Fratrem procumbentem ante altare communicavit. Quo facto Frater idem laicus mox posuit se ad sedem coram altari, & rogavit Sacerdotem, ut statim eum inungeret Sacramento unctiônis extremæ; quod Frater Sacerdos facere contradixit, cum iste sanus videretur. Tandem tamen cum importunis précibus iste, quod petebat, obtinuit. Unde idem calceos suos extrahens, Sacram Unctiónem cum magna devotiône suscepit. Deinde calceos suos reinduens, misit pro barbitonsore, & fecit se

radi

radi in capite, & barba, dicens, se velle mundum, & comptum venire ante Deum. Surgens ergo de rasura ait; modo volo ire ad lectum, & inde nunquam vivus exurgere; statim que, ut póstuit se ad lectum, cæpit ægrotâre, & sequenti die Spiritum exhalâvit. Hunc Fratrem á puero novi, & fuit multum castus, & puto, eum Virginem evolasse. Fuit etiam tantæ fidei, quod si ego habuissem horreum plenum auro, & gemmis pretiôsis, suæ custodiæ commendassem. Zelum quoque ad honestatem Ordinis habuit satis fervidum. Fuit etiam pluribus annis socius sacristæ, & cum summa diligentia, & munditia res sacristiæ tractavit, & conservavit: præter alias virtútes ejus ab intra Deo cognitas, propter quas tam mirifico exitu eum divina clementia muneravit. De hoc Ven. Laico agunt etiam NN. Herrer. tom 2. Alph. fol. 166; Elss. in Encom. Lit. N, Torelli in Centur. 2. cap. 99. fol. 232, Portillo tom. 2. hac die fol. 139.

D. Ven. Joannes Gallæcus Laicus simili modo Sacramenta pétiit, & óbiit pie in Provincia Mexicana, postquam plures é cælo expertus est favores, circa annum 1584, ut referunt NN. Grixalva in Chronico lib. 3. cap. 9, Herrera in Alph. tom. 1. fol. 405 & Elsi. in Encom. Lit. I, Portillo ubisupra tom. 2. fol. 139.

Epigramma ad statum Laicalem.

Etsi comtempti Láici credantur in orbe;
Maximo honôre hábiti sunt tamen ante Deum.
Est húmilis gens grata Deo, cui displicet omnis
Mente tumens: húmiles sunt in amôre suo.
Res hæc in Laicis satis est manifesta duobus,
Felîci fato qui periêre duò.
Illis dulcis erat réquies, & pura voluptas,
Et plácido vitam præterière modo.
Oh! quanti Reges, multis vel honoribus aucti,
Sub Laica optarunt præteriisse statu?
Ergo statûs omnes hic est felicior inter:
Si non sublimis, tutior unus adest.

E. Ven. Genesius de Ocana in Oppido de Orihuela natus est, & ibi nostro hábitu est indutus: exiit Litteratus, & in virtûtibus clarus: in Ordine plura cum Zelo & prudentia exercuit officia: tandem in eodem cœnobio sancte óbiit in mense Aprilis anno 1629. De illo agit N. Jorda tom. 2. lib. 3. c. 35. fol. 150. num. 1, & Cascales in Histor. Murciæ fol. 362.

F. Ven. Clara á D. Paulo orta est in Oppido Ademuz Diœcesis Segorbiensis ex Francisco Fernandez de Arguedes, & Ludovica Garcia de Vizcarra. Inter moniales S. Martini Segorbiensis admissa, ibi usque ad óbitum in sanctis perseveravit exercitiis, donec multis méritis coruscans, feliciter decessit die 26. Aprilis anno 1652. postquam 33. Religiônis annos habuerit. De illa agunt NN. Viller. tom. 3. lib. 41. tract. 2. §. 6. fol. 241; Jorda tom. 2. lib. 5. c. 21. fol. 690 num. 10.

QUINTO KALENDAS MAIJ.

XXVII.

A In cœnobio de Arenas depoſitio B. Antonii de Fontibus, viri talis ſanctitâtis, ut ter in cœnobio Salmantino Priorem egiſſet. Fuit Vicarius Generalis in tota Hiſpania. Spiritu plenus Apoſtolico ſuis concionibus fructus in pópulis edidit ſaluberrimos: obtenta Generalis licentia in Eremitorium S. Mariæ de Roſa ſeceſſit, ubi vitam duxit angelicam, in oratiône aſſiduus, & obſervans omnes cœnobii obſervantias, ſurgens etiam ad matutinum quotidie, & poſt cruce ſuper terga aſſumpta, & in dextera laterna, varias agebat ſtationes, Pſalmos decantans pœnitentiales, & Litanías, in quorum exercitio largos duravit per annos, donec in cœnobium de Arenas reverſus, ibi ſancte deceſſit; & poſt ejus óbitum in ſuo corpore cingulum ferreum per artus infixum inventum eſt. *B.* Olyſſipone in Nozocomio ſalutis beâta dormitio Ven. Martini Fratris Laici, qui cum Ven. Luca á Reſurrectiône ibidem interfuit tractans de peſte oppreſſis, & motus pietâte Septuaginta pueros parentibus orbatos aluiſſe refertur: donec, & ille peſte oppreſſus, hac die é vivis exceſſit. *C.* Taurini in cœnobio S. Caroli tranſitus Ven. Simeonis á S. Thadæo converſi, qui gloriari cum Apoſtolo pótuit, Crucem, & mortificatiónem Dómini in ſuo corpore circumtuliſſe: erat enim Chriſti Crucifixi devotiſſimus, & ſui corporis tortor inhumanus. Otium ſic vitavit, ut illi perpetuum indixerit bellum. Ultima oppreſſus ægritudine, ſolito triſtior viſus, & rogatus de cauſa, dixit: heu patior, Quia nil patior propter Deum meum: tandem viribus undequaque fatiſcentibus, fauſto exitu, hac die, decubuit. *D.* Xativæ in cœnobio Ordinis óbitus Ven. Antonini Ægidii, qui a téneris ſæculo valedícens, ibidem inter noſtros admiſſus eſt, & ſtudiis dans óperam, exiit doctiſſimus. Vitam pereniter habuit exemplarem, & pœnitentem; quotidie ante auroram oratiónem per tres horas protrahebat, cilicio perpetuo, & diſciplinis quotidianis corpus macerâbat, addens plura jejunia: vel humo, vel nudis tabulis cubabat. In ſilentio, humilitâte, patientia, charitâte fuit mirabilis. Sacris initiâtus pœnitentiam duplicavit: ſacrum ſumma devotiône celebrabat: in obſervantia votorum nulli fuit ſecundus. Summo cum fervore Dei verbum prædicabat. Cum aliquando charitâte commotus audiret confeſſiónem peti a quodam graviter cæſo, & ad confeſſiónem audiendam properaret, lethaliter & ipſe eſt vulneratus; & in cœnobium ductus, ibi ſumma cum patientia animam Deo reddidit hac die; ſed aggreſſor juſto Dei judicio poſt paucos menſes infelici fato pœnas dedit. *E.* In cœnobio S. Chriſtophori Viſionis Lætæ, Diœceſis Compoſtellanæ, depoſitio Ven. Mariæ á S. Joſepho, quæ annorum duodecim facta votum caſtitâtis emiſit. In Religiône parályſi crudeli oppreſſa, magnum in lingua experta eſt impedimentum; & ſi aliquando nec intelligi, nec percipi póterat á ſororibus, palmas in cælum elevâbat, raram cum Dei voluntâte oſtendens conformitâtem. Cæterum quoties confitebatur, & recitâbat oratiónem Dominicam, & Angelicam, expeditiſſime loquebâtur. Donec multis cumulata méritis, hac die feliciter naturæ debito ſatisfecit; & poſt ejus óbitum notum eſt, illius corrigiam, & globulos ſui roſarii, magnam contra malignos ſpiritus habere poteſtatem. *F.* Taraſci in Gallia apud Urſulinas mirabilis tranſitus Ven. Aloyſiæ á Præſentatiône, cujus vita, & converſatio in Religiône fuit exemplaris: donec brevi conſummâta virtûtibus, hac die fauſta morte ad immortalem, ut pie creditur, ſubiit coronam.

COM-

COMMENTARIA.

AD DIEM VIGESIMUM SEPTIMUM APRILIS.

A. B. Antonius de Fontibus ortus est Toleti, ut placuit Pamphilo, fol. 99, vel Hispali, ut asserit Herrera, ex parentibus Ferdinando de Fontes, & Joanna Garcia de Victoria, Salmanticæ anno 1477 die 18. Augusti hábitum suscepit sub prioratu S. Joannis á S. Facundo, ut ait Herrer; Torelli vero tom. 8. in Sæculis fol. 37 ait fuisse 17. Augusti Sub priorátu B. Joannis Salmantici, & professiónem emisisse die 18. Aug. non in manu S. Joannis á S. Facundo, tunc forte ægrotantis, sed in manu Ven. Martini de Espinosa supprioris an. 1477. Studiis déditus, exiit vir doctrina, & sanctitâte clarus: in scientia fuit á Generali laurea magistrali donátus. Etsi humillimus, coactus tamen fuit plures in Ordine acceptâre dignitâtes, fuit plurimorum cœnobiorum prælatus: cum cœnobium Toletanum gubernasset an. 1504, plures Saracenos ibi hábitantes ad fidem convertit, & postea nominâtus est Vicarius Generalis totius Hispaniæ, & clarus prudentia, & mansuetûdine monasteria auxit in spirituali, & temporali. Romam profectus est an. 1515 tanquam Diffinitor Generalis ad capitulum celebrandum, & finito capitulo veniam obtinuit á Generali eundi in Eremitorium D. N. de Rosa, ut asserunt Elss., & Portillo, vel, ut ait Torelli ubisupra, in Eremitorium S. Mariæ de Risco tribus leucis á cœnobio de Arenas distans, ubi cum socio uno, in pœnitentiis, vigiliis, & oratiônibus vitam egit Angelicam: cum ergo in cœnobio de Arenas capitulum esset celebrandum, ille invitâtus, adesse voluit, noscens ibi breviter moriturus. Cum autem capitulum esset celebrandum die 2. Maii, Pascha enim eo anno fuit 12. Aprilis, ipse ægrotans ad mortem, morte prædicta, & præscita, hac die, miraculis clarus, in pace quiévit anno 1517. De illo agunt, Pamphil, Cruc. p. 3. c. 33, Nævius in Eremo August. Elss. Lit. A, fol. 73; Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 19, & in Histor. Salmant. anno 1493, & 1497 fol. 220, c 1501 fol. 225, Croico in Chron. fol. 43. anno 1551, Sanmartinus in Chron; Portillo hac die tom. 2. fol. 141, Torelli tom 8. an. 1517 fol. 37 á num. 22, ubi late de illo agit, & Centur. 4. cap. 50 fol. 436, Roman in Chron, Josephus á D. Antonio tom. 2. Floris SS. fol. 366. Ex extéris Ægidius Gonçales de Avila Historiographus Regum Hispaniæ, & alii.

B. Ven. Martinus Laicus tempore pestis ad nozocomium salutis perrexit cum Ven. Luca á Resurrectiône, ut de ægrotis curaret, & ibi etiam peste oppressus, pie decessit hac die anno 1599. De illo agit N. Leal in m. 1. fol. 163, & Georgius Cardoso in Agiolog. Lusitano fol. 735. & 739 tom. 2. Litt. D.

C. Ven. Simeon. á S. Thadæo ortus est ex Francisco Barberio, & Ricca de Nigris in Netaro, oppido Diœcésis Vercellensis an. 1602, & baptismum suscépit in parochia Assumptiônis. Romæ hábitum Discalceatorum accepit die 21. Octob. an. 1622, & professiónem emisit die 22. Octob. an. 1623, mutans nomen Francisci in Simeonem: claruit observantia; tempore recreationis rozarium recitâbat, & mentaliter orabat, & ibi raras é cælo accepit cognitiônes, præcipue gravitâtis peccati, ob quod maximo cum dolôre animarum perditiónem deflebat. Totus erat in Dei laude occupâtus, & crebro repetébat: Oh! bonitas Dei: & sic appellabâtur vulgariter Frater Bonitas. Secum de se vilem habebat opiniónem. Unde siquis ab eo oratiônes petebat, statim hæc pronunciâbat: Zuccha, Zuccha, imitans B. Felicem Capuccinum, in similibus dicentem: Fenochi, Fenochi. Claruit devotiône erga Deiparam. Valde paupertatem dilexit Religiôsam; erga proximos ardebat charitâte: in morbis patientiam ostendit singularem; donec plenus méritis in cœnobio S. Caroli Taurini obdormivit in Domino die 27. Aprilis anno 1658. Agunt de illo NN. Discalceati P. Anterus in Actis Apostolorum cap. 22. vers. 34. fol. 410, Joannes Bartholomæus Lustro 14 fol. 429: & in cœnabio Eborensi Discalceatorum in aula est cum aliis ejus imago depicta cum celebri elogio.

D. Ven. Antoninus Ægidius ortus est

in oppido Alturæ Diœcesis Segorbiensis ex Michaele Ægidio, & Monserrada Paschali an. 1652 in mense Octobris, & fuit valde conjunctus sanguine Ven. P. Antonio Paschali, dequo 1. Julii agendũ, sub cujus disciplina valde profécit in cœnobio Xativæ, ubi hábitum assumpsit die Nativitâtis Deiparæ, ætatis 14, & professus est 18. Octob. an. 1668. Claruit scientia, & sanctimonia, & suis concionibus fructus édidit saluberrimos. Forte prædicans in quadragesima in oppido Gorga prope Alchodium, orta lite cruenta, & uno cadente, & confessiónem postulante, Ven. P. celer interfuit; unde volens ictum graviter, & confiteri, & liberâre, & ipse lethaliter ictus est bombarda explosa, sed adhuc superstes per unum, & viginti dies, aggressori parcens, & Sacramenta summa cum pietâte suscipiens, hac die ad requiem volavit anno 1678. Sed breviter aggressor eodem genere mortis infeliciter extinctus est. Refert N. Jorda tom. 2. fol. 210 lib. 3. c. 41. num. 1.

E. Ven. Maria á S. Josepho orta est in Oppido Becerril Diœcesis Palenciæ ex génere nóbili: fuit quarta priorissa cœnobii S. Christophori in oppido Visiónis Lætæ. In Religiône flóruit sanctimonia, & pie decessit 27. Aprilis anno 1683, ætatis 86. De illa agit N. Viller. tom. 2. lib. 20 tract. 2. fol. 55.

F. Ven. Ludovica á Præsentatiône orta est ex Nicolao Varadier Dómino S. Andiol, & Ludovica de Rambiach. Primo sæculi pompas secuta est usque ad 17 ætatis annum; quo tempore cælitus illustrâta, vocem audivit, Deiparam sui futuram esse protectricem. Post varias parentum contradictiónes, hábitum assumpsit inter Ursulinas Tarasci in die Præsentatiônis. Valde oratiônem, quam panem quotidianum vocàbat, dilexit; & solum orandi spes illius cor recreâbat. Repetebat, se ad Religiónem non venisse ad réquiem. Plura ad cultum divinum utensilia ministravit, & siquis ejus liberalitátem laudabat, illi respondebat, se nihil Deo tribuisse, quod prius ab ipso non acceperit. Omnia cœnobii, & sororum æquo animo perferebat. In die S. Cæciliæ, in quo professa est, dixit: Nimis gaudeo, quia jam non mea, sed tota Jesu Christi, & Religiônis sum. Claruit observantia. Omnia, quæ a parentibus suscipiebat, communitâti applicábat. Cor ejus in manibus prælatæ ad omnes obedientias non carneum, sed cereum erat. Erat devotissima erga Deiparam, quam Matrem amoris, doloris, & misericordiæ appellábat. Morti proxima, cantato Te Deum Laudamus, & Psalmo Lætatus sum in his &c; invocato sæpius dilcissimo nomine Jesu, summa cum pietate expirâvit die 27. Aprilis an. 1644. Agitur de illa in Histor. Ursul. fol. 57.

QUARTO KALENDAS MAIJ.

XXVIII.

A. Antisiodóri in monasterio S. Germani Obitus S. Allodii, confessoris, qui in regimine monasterii, sicut & in Episcopatu successit S. Germano, & postea sanctitate clarus, hac die in cælum migravit. *B.* Cathalauniæ in civitate Ausonsa pretiosa mors S. Justi Episcopi, qui sæculi fraudes effugiens, ad cœnobium Viquense Ordinis Augustiniani convolavit, ubi in scientia, & virtûte valde profecit; claruit enim humilitate, patientia, obedientia, charitate, silentio, oratiône, & studio continuo. Suis conciônibus, Verbo, & exemplo clarus, multum populo profecit. Post mortem Candidi Episcopi Viquensis votis omnium electus est illius Diœcesis Præsul tertius nomine Justi: & boni Pastoris partes prudenter exercens, annis, & méritis consummátus, hac die vitam feliciter consummavit. *C.* In Hibernia in civitate Roscrensi transitus S. Cronani Abbatis, qui prius

degens

degens sub S. Columbæ disciplina, cœnobium Roscrense ædificans, & plures conjungens sodales, illos rara sanctitate, & stupendis erudivit miraculis. Quendam morti damnatum mirabiliter liberavit. A sepulchro gentilem fecit surgere, dicentem esse damnatum, & rogans á S. Cronano baptisari, vix sacro est piatus lavacro, iterum expiravit. Dœmones á cœnobii vicinitate amandavit. S. Colmanum, & alios ad vitam revocavit. Mutum, & surdum mirabiliter sanavit. Forte illi legenti Evangelium cecidit in profundum fluvii dicti Cre, sed post quadraginta dies illud invenit sine læsione. Sua corrigia multa perpetravit miracula. Plenus autem virtutibus, & prodigiis, hac die in cælum migravit, & in cœnobio Roscreensi sepultus est, ubi innúmeris claruit miraculis. *D.* Tolentini óbitus Ven. P. Marii Forsacinéi, qui habitu assumpto prope Ravennam in cœnobio S. Mariæ, statim in omnium virtútum génere cœpit coruscáre, præcipue in humilitáte, modestia, mansuetudine, & temperantia. Claruit doctrina, & prudentia, & Religiônis observantia. In Capuccinos S. Francisci convolavit, ubi tali flóruit sanctitate, ut statim Provincialis, & mox Generalis fuerit electus: per illum Deus nonnulla operatus est miracula. Illum D. Magdalena apparens benigne tractavit. Claruit spiritu prophetiæ, & diem sui óbitus prædícens, gravi morbo correptus, & ante óbitum, videns animam cujusdem sui devotæ in cælum ascendere, exclamavit: soror, expecta, expecta paululum, ut ego tecum ascendam, & sic animam exhalavit, quam inter Angelos in cœlum comitáta est Angelorum Regina. *E.* Tridenti defunctio Ven. Nicolai Scutelli Viri Linguis Latina, Græca, & Hebraica peritissimi; qui cum in Ordine nonnullas exerceret dignitátes, & plures contra Germaniæ hæreticos compóneret, per mortem Religiôsam, & exemplarem é vivis excessit, summo que honôre sepultus est in Ecclesia S. Marci. *F.* Epilæ in cœnobio S. Sebastiani memória Ven. Petri Henriques Pastoris viri doctrina, & sanctitate celebris, qui divinitus destinatus est Pater spiritualis Ven. Mariæ Josephæ de Jesu Carmelitæ Discalceatæ Incarnationis Cæsaraugustanæ. *G.* In Britannia Armorica Translátio S. Winaloci Abbatis Dandoveneci, facta ad majorem Ecclesiam, quo die ejus festivitas celebrátur.

COMMENTARIA
AD DIEM VIGESIMUM OCTAVUM APRILIS.

A. S. Allodius Abbas discipulus S. Germani Episcopi Antisiodorensis, & in Episcopatu successor. De illo agit Henschenius in Actis SS. die 20. Aprilis in Vita S. Mamertini, & Saussai in Martyrol. Gallico 29. Septemb. Illum fuisse nostri Ordinis patet, quia vixit in monasterio cum S. Germano, de quo probabiliter asserit N. Herrera in Alph. fuisse nostri Ord; ut patet tom. 1. fol. 271: idem ergo dici debet de S. Allodio.

B. S. Justus ortus est in civitáte Viquensi principatus Cathalauniæ: post annos hábitum eremiticum suscepit in cœnobio patriæ, ubi de se ob præclaras virtútes præbuit egregia testimonia. Defuncto Candido Episcopo Viquensi, in ejus locum suffectus est, & cum perfecti Præsulis partes explêret, sanctissime óbiit die 28. Aprilis anno 403. De illo agunt Aubertus Miræus in Chron; Abbas Liberatus Gerundensis in Chronic; Argais, dum de Ecclesia Viquensi. Ex NN. Massot in Compendio Eremitarum Viquensium fol. 261; Jorda tom. 3. lib. 1. Histor. Cathalauniæ cap. 19. fol. 294, Arpe tom. 1. SS. Ordin. fol. 364, Ad evitandam confusiónem, notandum est, in Episcopatu Viquensi tres SS. Justos flóruisse, primus flóruit anno 320, secundus anno 380, hic autem noster flóruit anno 503.

C. S. Cronânus Abbas flóruit in Hibernia, & natus est in Provincia Momonienfium ex patre Hodrano, & matre Cæmri, qui relictis parentibus in eremum secessit, & vixit sub disciplina S. Columbani; & postea factus est Abbas Roscreensis, ubi pluribus miraculis clarus, hac die sancto fine quiévit, anno 640. Agit de illo Henschenius in Actis SS. fol. 579.

D. Ven. Marius Forsacineus ortus est prope Ravennam, & hábitu nostro assumpto in cœnobio Deiparæ ejusdem loci anno 1520, ibi flóruit mirabili sanctitáte; donec in Capuccinos Franciscanos transiens anno 1536, ibi ob egregias virtútes electus

est

est primo Provincialis, & postea Generalis; donec gloriôse vitæ agône consummato, prophetia, & miraculis clarus, hac die á Deipara vocâtus, & comitâtus in cæli palatia transiit regnaturus anno 1581. Agit de illo N. Portillo hac die tom. 2. SS. fol. 143.

E. Ven. Nicolaus Scutelius Tridenti ortus est, fuit vir eximiæ Litteraturæ, & Secretarius Generalis anno 1531, ut refert N. Torelli tom. 8. fol. 172. num. 5, & anno 1532 fuit Romam vocâtus, ut N. Cardinalem Viterbiensem adjuvâret in traductiône librorum aliquorum de Græco in Latinum jussu Clementis 7, ut ait Torelli ubi supra fol. 174 num. 2, & anno 1534 Tridentum perrexit vocatus á Cardinali Episcopo, & principi Tridentino, ut ait Torelli fol. 190 num. 7, & anno 1540 die 4. Junii á Cardinali, & Generali Seripando fuit nominatus Visitator Generalis Germaniæ. Tandem Tridenti óbiit morte Religiôsa, & exemplari die 28. Aprilis an. 1542, & sepultus est Tridenti in cœnobio S. Marci, ut refert Torelli fol. 259 num. 24, Herrera tom. 2. Alphab. fol. 196, Pamphilus, Elff. Crusen. p. 3. c. 36, Nativitas Monte 3. fol. 620, ubi ait, primum fuisse, qui in Latinum transtulit Jamblicum Philosophum, & mysteria Ægiptiorum, & dogmata Pithagoræ. Plura ex ejus óperibus sunt in turre Tridentina. Antonius Possevinus vidit ejus Sermones de Passiône, & oratiónem in exequiis Cardinalis Tridentini.

F. Ven. Petrus Henriques Pastor Cæsaraugustæ ortus est ex Petro Henriques Pastore, & Marianna Roges: in patria inter nostros admissus est, unde 28. Aprilis an. 1605 professiónem emisit; claruit maxime in scientiis: fuit electus Provincialis Epilæ anno 1635: in virtûtibus non minor fuit, oratiôni vacâbat continuæ, otio bellum indixit. Erga Passiónem, & Sacramentum altaris amôre languebat: flóruit tandem in eo humilitas, charitas, patientia, silentium, solitudo, & paupertas religiôsa: & tantæ virtûtis fuit, ut ab æterno Patre nominatus fuerit Pater spiritualis Ven. Mariæ Josephæ de Jesu Carmelitæ Discalceatæ Cæsaraugustanæ, ut ipsamet refert in sua Vita cap. 69. Obiit tandem sancte Epilæ anno 1643; ut refert N. Jorda tom. 3. lib. 2. cap. 6. fol. 120.

Hic notandum suspicor, nonnullos nostris Ordini Patres fuisse spirituales nonnullorum Sanctorum: inter quos N. B. Guilelmus Fletæus confessarius fuit S. Catharinæ Senensis, Ven. P. Petrus noster Eremita Pater spiritualis fuit, & confessarius á cælo destinâtus B. Thomæsucco nostro Tertiario, ut dicendum est die 15. Septembris, Deo dante; Ven. Michael Romanus in cœnobio de Populo existens Pater spiritualis fuit S. Caetani, ut refert P. Hieronymus Argote in Vita S. Caetani fol. 58, & Ven. Pater Petrus Henriques, de quo supra, fuit Pater spiritualis Ven. Mariæ Josephæ de Jesu, ut dictum manet. Et ita alii.

G. Hac die facta est Translatio Corporis Sancti Winaloci Abbatis Dandoveneci, dequo actum est die 3. Martii, quæ facta est de minori æde ad maiorem Ecclesiam, quo die ejus festivitas celebratur: altera ejus Translatio accidit die 1. Augusti. Modo ejus corpus est in Ambianis in Ecclesia S. Salvii, ubi celebrata ejus Translatiône ad nobiliorem locum, N. Fr. Petrus Legier S. Theologiæ Lector, & Provincialis Franciæ Sermonem de Sancto Winaloco habuit. De hac Translatiône agit Henschenius in Actis SS. die 3. Martii, dum de eo.

TER-

TERTIO KALENDAS MAIJ.

XXIX.

A. In Provincia S. Nicolái triumphus gloriôſus B. Joannis de Fano, qui, cum eſſet Sacræ Theologiæ Bacchalaureus, á Sarracenis hac die captus, lapidibus percuſſus, vitam pro cælo lucrando viriliter prodêgit. B. Ravennæ pretiôſa mors incomparabilis Viri B. Franciſchini de Ravenna, qui Monachiſmum amplexus in cœnobio S. Nicolai Ravennatenſi, ibi multa per tempora vixit, & in omni virtútum génere ſplenduit: & in humilitâte fuit mirabilis, exercuit enim diu portarii officium, ſicut etiam in ſilentio, numquam enim ſilentium in clauſtro, & in aliis locis ad ſilentium deputatis ſolvere viſus eſt: ſed ſiquis cum eo loqui habebat, illum ad locum licitum ad loquendum ducebat: fuit etiam clarus in obſervantia regulari, & in omnibus virtûtibus, quæ ſilentium comitari ſolent: quas virtútes Deus innúmeris in vita, & morte miraculis confirmavit: clarus ergo ſpiritu prophetico in cælum ad ſupernorum volavit conſortium: cujus corpus in eodem templo ad dexteram aræ maximæ in ſublimi arca marmórea collocâtum eſt, & ibi in ſacrario caput repóſitum ſumma fidelium devotiône honorâtur. C. Valentiæ in cœnobio Ordinis memória Ven. Vincentii Guirri, qui in Religiône nutritus á Ven. Gaſpare Mancebon, cæpit avidius ſémitam virtûtis ſéqui; & contraxit mirabilem devotiónem cum B. Jacobo de Valentia, per quem certe ad ſémitam virtûtis reductus eſt, nam á noviciâtu egreſſus, ſuis depravatis moribus omnibus in magno erat hábitus ſcandalo: attamen repente mutatus de Saulo converſus eſt in Paulum, ob miraculum illi factum á B. Jacobo inquadam ægritûdine. Exinde fervôre ſémitam ſecutus eſt virtûtis; jam mortificatiónem, ſolitudinem, oratiônem, obedientiam, aſſiſtentiam in choro, jejunia obſervabat. Miſſam celebrâbat mirabili devotiône: unde, cum apud Deum, & homines magno in pretio eſſet hábitus, ſancte deceſſit. D. In India Orientali in Collegio Goenſi óbitus Ven. Michaêlis ab Angelis, qui ibidem vixit magno ſanctitâtis exemplo, & prædícens ſui óbitus diem, hac die felici fato deceſſit. E. Inter Urſulinas Turonenſes tranſitus Ven. Eliſabethæ monialis, ſociæ Ven. Mariæ á S. Joſepho, a qua poſt mortem ſibi apparente accepit, quod poſt breve tempus eſſet moritûra; quod certe poſt dies quatuor accidit. F. In monaſterio S. Martini civitâtis Lucenſis depoſitio Ven. Mariæ á S. Petro moniâlis, quæ in Religiône per virtûtis ſémitas perennes fecit progreſſus. In Choro fuit aſſidua, & ante auroram, vel in choro, vel in cubiculo oratura ſurgebat: in humilitâte fuit ſingularis: cum aliquando ſubprioriſſa electa eſſet, taliter diſparuit, ut difficulter inventa eſſet. Erga conſanguineos penitus vivebat præciſa, quos nec tractabat, nec procurabat, & veluti extraneos putabat. In pœnitentia mirabilem ſe fecit: cum vero vitam dégeret raris claræ virtûtis indiciis, tranquillo animo, ſuſceptis Sacramentis, hac die in pace quiévit. G. Tolentini mirabilis ſudor, qui ex brachiis S. Nicolai de Tolentino hac die manavit tertia vice.

COM-

COMMENTARIA

AD DIEM VIGESIMUM NONUM APRILIS.

A. B. Joannes de Fano flóruit in Provincia S. Nicolai: fuit S. Theologiæ Baccalaureus: & captus á Sarracenis, interfectus ab illis, seu lapidatus fertur, hac die anno 1423, u refert N. Roman in m. f; Herrera in Alph. tom. 1. fol. 372, Torelli in Centur. 3. fol. 300. capite 61, Elss. in Encom. fol. 352.

B. B. Franciſchinus de Ravena ortus ibi eſt ex familia Saſſoli nobiliſſima: in cœnobio Ravennatenſi S. Nicolai, fundato an. 767 á Sergio Archiepiſcopo Ravenateſi, ut refert Rubeus lib. 5. Hiſtor. Raven. fol. 227, & Herrera in Alph. tom. 2. fol. 359; hábitum ſuſcepit B. Franciſchinus; & ſtatim cæpit in virtûtibus coruſcâre. Sacerdotio initiâtus, Janitôris officium ob humilitâtem ſuſcêpit, & quamvis hoc ob plures digreſſiônes animum ſoleat perturbare; ille tamen quietius oratiôni vacâbat, ut cum Deo perfectius loquerêtur. Fuit ádeo ſilentii obſervator, ut illud nullatenus in clauſtris, nec aliis ſilentii locis frangeret; eſt enim ſilentii virtus omni maxime Religiôſo neceſſaria; ut ait D. Bonaventura de profeſſiône vitæ c. 4. ſic: Certe fruſtra, audeo dicere, quod ille Religiôſus gloriâtur depoſſeſſiône virtûtis incorde, qui diſſipat diſciplinam ſilentii per inquietatiónem multiloquii. Siquis, teſte ſcriptura, putat ſe Religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio. Ex hac ſilentii virtûte B. Franciſchinus omnes in gradu heróico comparavit virtútes, quibus exornâtus, fato ſic diſponente, á fulmine, ut fertur, oppreſſus occubuit; ſed poſt óbitum méruit á pópulo venerari, corpus enim ejus elevâtum eſt ad dexteram aræ maximæ in arca marmórea: ejus cultus magno cum fervôre permanſit uſque ad annum 1368, quo tempore Urbanus Quintus Avenione informâtus de cultu B Franciſchini, & B. Jacobi Dominicani, illum prohibuit in Bulla, quæ incipit: Moleſta ſignificatio ad noſtrum perduxit auditum &c. edita 1. Septemb. anno 6. ſui Pontificatus, & remiſſa Petrocino Archiepiſcopo Ravennatenſi, & Suffraganeis; ubi dicitur B. Franciſchinum fulmine periiſſe: quæ Bulla aſfertur á N. Torelli tom 6. fol. 95 anno 1368. Attamen injurioſum non eſt B. Franciſchino fulmine periiſſe, quia, ut dicitur Sapient. c. 4. Juſtus quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit: unde etſi B. Jordanus Quintus Generalis Ordinis Prædicatorum in mari occubuit ſuffocâtus, de quo cuidam Fratri male ſentienti illius anima apparuit gloriôſa, & Fratrem aſperitâteanim advertit, ut refert Fr. Ferdinandus de Caſtillo Dominicanus lib. 2. c. 13: idem dici poteſt de B. Franciſchino, dequo ait N. B. Henricus de Urimaria ſic: Decimus fuit Fr. Franciſcus de Ravenna, per quem Dominus infinita miracula oſtendit, & B. Jordanus Saxo citandus ait: Multis enim miraculis claruit, & claret uſque ad præſens. Ob quæ etiam poſt dictam Bullam illius continuâvit cultus; creditur enim noſtros Fratres ad Sanctam Sedem recurriſſe; ideo plures ejus imagines circumferebantur; & in mea poteſtâte eſt ejus imago radiis illuſtrâta cum hoc elogio infra poſito.

Frá l'altre virtù, che ponno rendere illuſtre un vero Religiôſo, la ſancta virtú del ſilentio non poſſiede l'ultimo luogo. Fú diqueſta oſſervatore indefeſſo il. B. Franceſchino da Ravenna, detto così, perluſo dique tempi. Si che narrano di lui, che mentre ſi trovò nell officio di Portinaio, ec'hebbe molta occaſione di ragionare hora có queſto, e hora conquello, non ſoffri giamai di rompere il ſilentio nel chioſtro, dove ſi ſuol tenere affiſſo, ſcolpito in littere cubitali; má più toſto fuori, in luogo libero, rinſtrinſé in pochi, e ſuccoſi detti la occorenſa della ſua facenda. Fú guernito dittutte l'altre virtú in maniera, che meritó da Dio la gratia, per cui fece infiniti miracoli. Fiori 1. anno 1334. Il ſuo corpo ſi reveriſce ſotto l'altar maggiore de noſtra chieſa di Ravienna, e il capo ſi cuſtodiſce in ſagriſtia.

Circa annum, in quo óbiit B. Franciſchinus varie loquuntur noſtri AA. ego au-

autem, cum videam B. Urimariam de illo loqui, qui constat flóruisse circa annum 1334, in quo suum Chronicon prælo dedit, dicam ante hunc annum obiisse, & post annum 1292, in quo hujus cœnobii memória antiquior invenîtur, ut tradit N. Herrer. tom. 2. Alph. fol. 359, dum de cœnobio Ravennatensi.

De B. Francischino agunt ex NN. B. Henricus de Urimaria, B. Jordanus de Saxonia lib. 4. c. 8. de Vitis FF. Coriolanus, Pamphil, Crusen. p. 3. c. 14; Simplicianus á S. Martino lib. de SS; Herrer. tom. 1. Alph. fol. 225, & tom. 2, ubi supra, Elsius fol. 198; Orosco, Roman, Marques; Torelli tom. 5. an. 1334. fol. 494 num. 5, & tom. 6. fol. 95 an. 1368, & in Centur. 2. cap. 74 fol. 208. Portillo hac die tom. 2. fol. 150, & alii. Ex exteris Hieronymus Rubeus lib. 11, & Hieronymus Fabri in Histor. Ravennatensi.

C. Ven. Vincentius Guirri Valentiæ ortus est ex Dominico Guirri, & Angela Redolat: inter nostros professus est die 29. Aprilis an. 1608: etsi in principio modestiam, & devotiónem ostendit, breviter tamen has, & alias perdidit virtútes a juvenili deceptus cæcitáte: attamen intercessiône N. B. Jacobi Lopes, dequo 28. Augusti agendum est, in se conversus, constanti animo ad virtûtis sémitam conversus est, & cum in illa perseverasset, óptime de illa méritus, de se relinquens evidentis sanctitâtis odorem, in pace quiévit in cœnobio Valentino anno 1640. De illo agit N. Jorda tom. 1. Histor. Valentiæ lib. 2. c. 23. fol. 365 num. 2.

D. Ven. Michael ab. Angelis ex hac Provincia in Indiam bis missus fuit munere Provincialatus, prima vice anno 1579 tempore Ven Sebastiani Toschani Provincialis, altera vice anno 1603. tempore P. Fr. Antonii á Resurrectiône, quo tempore fundavit cœnobium Cochinense; qui, cum munus suum magno cum Zelo, & prudentia exerceret, in Collegio Goensi existens, prædícens sui óbitus diem, ante dies octo futurum, in feria sexta, óbiit magna opiniône sanctitatis die 29 Aprilis an. 1605 ætatis 63, & mensium quinque, ex m. I. N. Leal, & Indiæ.

E. Ven. Elisabetha Ursulina Turonensis, cui apparuit Ven. Maria á S. Josepho, dequa actum est 24. Aprilis, dicens: soror mea ad iter te præpara, quia tempus est, & post quatuor dies decessit in eodem anno 1652. Histor. Ursulin. fol. 223.

F. Ven. Maria á S. Petro in lucem prodiit in Oppido Monturque prope Lucenam, parentes novit Andréam Lopes Roxanum, & Agnetem Rico: post annos hábitum assumpsit in cœnobio S Martini Lucenæ die 7. Aprilis anno 1654, & in Religiône magno vixit sanctitâtis exemplo, donec annis, & méritis plena, die 29. Aprilis an. 1691. in pace quiévit, ætatis 62, & Religiônis 37. Agit de illa N. Villerin. tom. 2. lib. 32. Additione 6. fol. 426.

G. Anno 1677. In cœnobio Tolentinâti brachia S. Nicolai sanguine miraculoso tertia vice manarunt, de quo agit late N. Illustris Joseph. Sicardus in Vita S. Nicolai, & N. Nicol. Ceppi de sang. S. Nicolai tom. 1. fol. 129.

PRIDIE KALENDAS MAIJ.

XXX.

A Cordubæ in Hispania passio gloriôsa S. Petri Monachi, qui, cum duobus sociis, Amatore, & Ludovico ob fidei Confessiónem, & prædicatiónem comprehensi forent, & in fidei confessiône constantes persisterent, crudeliter a barbaris necati sunt. *B.* Apud Londinum depositio S. Erconwaldi, qui Monachismum amplexus sub disciplina S. Melliti, & postea Abbas factus duorum cœnobiorum, quæ extruxerat, ob præclara virtútum mérita Episcopus Londinensis sacratus est, ubi mirabili sanctitáte, & multis prodigiis clarus, hac die ad cæli gaudia vocâtus est. *C.* Galliæ in monasterio Fontanel-

læ óbitus S. Mamertini Confessoris, qui á S. Germano Sanatus, ab illo hábitum monachalem suscepit, & in regimine cœnobii S. Germano suuccessit, & multorum Monachorum Pater fuit: donec innúmeris méritis, & multis gloriôsus miraculis, ad cælum volavit: cum que post aliquot annos é cœnobio Fontanellæ in civitátem Antissiodorensem tranferretur, in via ejus corpus immobile permansit, quin ulla vi posset moveri; donec cælesti inspiratione, liber factus est quidam homo, qui in carcere forte innocens detinebatur, & hic jam liber in signum gratitûdinis féretrum S. Mamertini ferre adjuvit. *D.* Africæ in civitâte Hipponensi transitus S. Demetriadis Virginis nobilissimæ, quæ suasu S. P. Augustini mundo dans terga, monasterium monialium ingressa, socia facta est S. Felicitatis ejusdem P.N. Augustini sororis, & inde facta est omnium virtútum exemplar, præcipue in mundi contemptu, in jejuniorum observantia, in oratiônis frequentia, in templi assistentia, in Angelica puritâte: sic que vitam sanctissime absolvens, ad Sponsi cælestis thálamum translâta est. *E.* In cœnobio Monteciani transitus incomparabilis Viri B. Antonii Patritii Senensis, qui mundi fallacias pertæsus, ad Sacras Iliceti ædes volavit, unde Monachismum amplexus, cæteris se fecit virtútum normam, & exemplar singulare: exhoc cœnobio ad Monterncianum á prælato missus, ibi omnis pietâtis évidens exiit argumentum, vivens usque ad ultimum Spiritum illi bata castimonia, & illum Deus in vita multis illustravit miraculis, donec consummato agône, tanquam athleta coronandus in fine Aprilis, ad cælum, unde triumphaturus erat, vocâtus est, & post ejus óbitum per multa sæcula in signum suæ virginitatis, quotannis ex ejus ore lilium candidum germinabat, dum ipse æternis fruebatur deliciis. *F.* In Iliceto memória B. Andreæ de Luca, qui ad idem cœnobium adveniens, & ad hábitum admissus, mirabili flóruit sanctitate, & nimia familiaritate S. Catharinæ Senensis, a qua vocabatur magnus Dei servus. Et sic ab Urbano Sexto pro Ecclesiæ necessitatibus vocatus, ex Iliceto egrediens, humiliter obtemperavit: & méritis satis coruscans, ad requiem volâvit sempiternam. *G.* In Urbe Fulginatensi in cœnobio dicto S. Julianæ mamória B. Julianæ, primæ ejusdem cœnobii fundatricis, ubi sanctissimam ducens vitam, beâto fine quiévit. *H.* Romæ óbitus Ven. Augustini de Urbe Castelli, qui fuit Theologus, & Concionator celeberrimus, quem tota Italia alterum Sanctum Augustinum nuncupâbat: fuit Socius Generalis, & Pœnitentiarius S. Petri in Vaticano, & tandem Alexandri Sexti Confessarius, & Episcopus Tagastensis, & certe purpura donaretur, nisi immaturo fato raperêtur: tandem de se óptimam relinquens opiniónem, hac die pie decessit. *I.* Hac die. memória Ven. Paulini Senensis viri satis á S. Catharina Senensi laudati, qui simul cum B. Andrea Romam vocatus ab Urbano Sexto, ibi post annos pie creditur decessisse. *L.* Valentiæ in cœnobio Ordinis depositio mirabilis Viri Melchioris de Arazil, qui adhuc in sæculo per virtûtis émitam viam fecit; ubi sacris initiâtus, immaculatum Deo sacrificium offerebat; erat enim solitûdinis amicus, multis se pœnitentiis, ciliciis, & catena ferrea macerabat. Claruit devotiône erga Deiparam; & in ejus laudem édidit piissimum librum, dequo falsè apud Inquisitores accusatus ob libertatem, qua vitia arguebat, ab illis carceratus est, sed in carcere existenti apparuit Virgo Sanctissima illum consólans, & illius virginitatem confirmans; & sic é carcere innocens egressus est. Etiam claruit devotiône erga Sacramentu altaris, unde illius celebrantis vultus sæpe lætissimus videbatur. Sed cælitus admonitus, ad Augustinianos perrexit, unde per decem menses degens, de se, & de sua virtûte tam clara dedit testimonia, ut ab omnibus sanctus vocaretur ob prodigia ab illo perpetrata; donec méritis consummatus, animam suo suam tradidit Creatori: & post decem annos humatiônis corpus ejus incorruptum repertum est, & digitus ejus ab uno Religioso avulsus, plurimo sanguine manavit. De ejus vita extat processus ab Archiepiscopo Valentino D. Joanne de Ribera formatus. *M.* Mediolani in cœnobio S. Damiani beata dormitio Ven. Laurentii á S. Josepho Discalceati, qui ab ingressu Religiônis magno cum fervôre virtûtis sémitam est ingressus; erat enim singularis in observantia legum, assistentia chori, solitûdine, silentio, paupertate, zelo, prudentia, & innocentia exemplari. Claruit etiam devotiône erga Deiparam. Per omnes Ordinis gradus prudenter absolutos ascendit ad Vicariatum Generalem, quo tandem expleto, ad dictum pergens cœnobium, ibi Venerabili Senecta, & méritis consummatus, pie animam hac die exhalavit, relinquens suæ virtûtis evidentia testimonia. *N.* Tavilæ in Algarbia transitus

Ven.

Ven. P. Antonii Aragonii, viri noſtro ſæculo mirabilis, & Religiônis non exigui ornamenti; fuit enim obſervantiſſimus, & in rigida pœnitentia ſatis exercitus, & in oratiône fere aſſiduus: & quidquid aliqualiter acquiſierat, vel in ornamento Eccleſiæ, vel in pauperum fulcimento diſtribuebat. Cum jam plenus eſſet annis, & méritis, rara cum opiniône ſanctitatis deceſſit hac die, & in ſepulcro particulari in ara maiori ad Latus Evangelii tumulatus eſt, & poſt óbitum Deus per illius mérita, ut pie creditur, nonnulla operatus eſt prodigia. *O.* In Oppido Olleriæ prope Valentiam apud moniales S. Joſephi, & S. Annæ tranſitus Ven. Angelæ á S. Nicolao ibi monialis, quæ á primis Religiônis rudimentis indicia præbuit humilitatis, patientiæ, obidientiæ, ſilentii, & ſolitûdinis. Votis ligata indolem erga omnes Angelicam patefecit, & mirabilem charitatem: in oratiône plures conſumebat horas tam die, quam nocte, & tunc in anima velut cæleſtem ſentiébat pluviam, qua nimis conſolabâtur, & aliquando in oratiône afflicta interius, á M. P. Auguſtino illi apparente conſolata eſt; & altera vice vidit imaginem Chriſti repræſentantis: Ecce homo, ſibi dicentis: filia, aſpice, qualis pro tuo ſim amôre: His, & aliis viſiônibus confirmâta, inter pœnitentias aſperas, jejunia, & mortificatiônes vitam ducebat. Singulari claruit humilitâte, quibus exornata virtûtibus viam univerſæ carnis ingreſſa eſt hac die, & poſt aliquot dies apparuit Ven. Agneti á S. Cruce gloriôſa. *P.* Carmonæ in cœnobio ſanctiſſimæ Trinitatis natalis Ven. Agnetis de Jeſu Maria, quæ ſeptuagenaria Religiônem ingrediens, ibi poſt ſeptem, & decem annos ſumma cum pietate degens, fauſto exitu e vivis hac die deceſſit. *Q.* Apud Urſulinas Turonenſes óbitus Ven. Mariæ ab Incarnatiône, quæ á téneris pietati dédita, frequenter templum oratura petebat, ubi plurimam dierum partem conſumebat; & quando domui aberat, in templo offendebatur. A genitrice ſua coacta, matrimonii ſubiit ligamentum; ſed poſt biennium, conjuge defuncto, ſoluta eſt; & ita domi recluſa eſt, ut monialis putaretur, ibi ſoli Deo vacabat, & ab illo plures accepit favóres; claruit pœnitentia, ſupra nudas tabulas ſomno tradebatur; & in hoc vitæ génere duódecim duravit per annos: & tandem inter Urſulinas admiſſa, ibi idem vitæ genus ampliori ſecuta eſt fervôre, & á Deo, & Deipara plures ſuſcépit favores. In oratiône plures extaſes ſuſtinuit. In ſermonibus, in quibus parca erat, ſolum de rebus ſpiritualibus loquebatur. Per duodeviginti annos ſupprioriſſæ munus exercuit, & in gubernio, vigorem, ſolicitûdinem, & vigilantiam oſtendit, & didicit ex illis verbis: Factus obediens uſque ad mortem; & obedire, & imperâre. Semet velut creaturam Deo infidelem reputabat: á labore non ceſſabat, de quo arguta, dicebat: Pro æternitate quietis bene poterat in hoc mundo laboris momentum ſuſtineri. Habuit plures extaſes, revelatiônes, ſuſpenſiônes, & myſteriorum cognitiônes; & á ſuo confeſſario ſecunda S. Thereſia nuncupabatur. Donec lethali febre correpta, morti proxima, S. Martini uſa loquellis; dicebat: Domine, ſi adhuc huic videar communitati neceſſaria, laborem non recuſo, tamen tua fiat voluntas. Receptis tamen pie Sacramentis, hac die, ſancte deceſſit. *R.* Hac die Translatio S. Eremberti Epiſcopi Toloſani. *S.* Eodem die Translatio S. Euſtaſii Abbatis Luxovienſis. *T.* Senis in Iliceto profeſſio B. Nicolai Jacobi de Parillionibus, qui in patria hábitum Eremiticum induens, Ilicetanorum fama commôtus, ad Ilicetum accurrit, ubi rurſum per tyrocinium probâtus, hac die ad profeſſiónem admiſſus eſt; & ſtatim in omnibus cæpit clarêre virtûtibus, & præcique in charitate, qua plenus, infirmorum, & præcipue cujuſdam Adeodati Aretini, ulceribus undique ſcatentis, curam ſuſcépit, & nihil formidans, fætentia hominis ulcera manibus lavit, & ore lambere non refûgit, ſaniem ſorbuit, lotiônem que bibit: quo medicamine ſtomachum firmavit, cor abluit, carnem domuit, & in die ſabbati, Deiparæ devotus, ut ipſe prædixerat, é vivis excedens, æternam nactus eſt fælicitatem.

COM-

COMMENTARIA.

AD DIEM TRIGESIMUM APRILIS.

A. S. Petrus Monachus cum Amatore, & Ludovico Cordubæ passi sunt anno 855 hac die. De illis præter alios agunt Henschenius in Actis SS. hac die, & N. Torelli tom. 3. fol. 295 num. 9, ubi Late probat S. Petrum nostratibus, non vero Benedictinis, ut Elianis, qui eo temporis Hispanias nondum salutarant, pertinêre.

B. S. Erconwaldus monachus fuit in Anglia sub disciplina S. Melliti, de quo jam 24. Aprilis, & postea Abbas fuit duorum cœnobiorum, & deinde factus Episcopus Londinensis, ibi virtûtibus, & prodigiis clarus, hac die in cælum migravit anno 693. De illo præter alios agit Henschenius hac die fol. 780, & illum fuisse nostri Ordinis patet ex dictis die 12. Martii, dum de S. Gregorio.

C. S. Mamertinus discipulus fuit S. Germani, & post successor, & Abbas in monasterio Fontanellæ plurimorum Monachorum, ubi sancte decessit hac die anno 460. De illo agunt Henschen. in Actis SS. 20. Aprilis dum de S. Marciano fol. 758, NN. Elssius in Encom. Lit. M; & Bartholomæus de Azevedo Lusitanus in Chron. m. s. fol. 178, asserens illum obiisse die 30 Maij.

D S. Demetriades Virgo nobilissima Romæ orta est ex familia Aniciorum, Filia fuit S. Julianæ, & neptis S. Probæ: cum matre, & avia Carthaginem profecta est, Anno 413, & cum a parentibus in matrimonium data foret, & dies nuptiarum appropinquaret, repente mutata, perituri hominis conjugium aversata, nolens alium præter Christum amatorem, sæculum dimisit, & Sponsum cælestem pro terrestri petiit in Religiône, ob consilia S. P. Augustini, & sic habitum illius induit in cœnobio Hipponensi, ubi inter raras virtútes sancte decessit circa annum 420. De illa agunt SS. P. Aug. in Epist. 143, & 179; Lancillotus lib. 2. in vita S. P. Augustini c. 17; Herrer. tom. 1. fol. 188, Elss. in Encom. Lit. D. Torelli Centur. 1. cap. 12. fol. 50; & tom. 1. Sæculor. fol. 461. num. 3, Portillo hac die in tom. 2. fol. 151; & plures alii.

E. B. Antonius Patritius Senensis, Senis ortus ex nobili Patritiorum prosapia, cognitis mundi fallaciis, ad Ilicetum convolans, Eremiticæ familiæ nomen dedit; inde post aliquot annos ab obedientia missus est ad cœnobium Monteciani, quod distat decem millibus passuum á cœnobio Ilicetano, ubi mirabili sanctitâte, & puritate, & si hominibus ignota, Deo tamen cognita, plures per annos transivit. Cum ergo B. Petrum de Camerata visitâret, & in itinere ægrotaret, cælitus tamen convalescens, ad B. Petrum pervênit, & finita visitatiône Montecianum ingressus est, ubi post breve tempus felicissimo fato animam tradidit Creatori. Circa annum dubium est. NN. enim Landucci in Sylva Ilicetana fol. 83, & Portillo in m. s. asserunt illum obiisse anno 1230, NN. vero Herrera, Torelli, Arpe, & alii asserunt illum obiisse an. 1330, quod verosimilius existimo, tum quia idem Landucci ubi supra fol. 16, anno 1230, ait, B. Antonium in eodem anno vivente B. Petre de Camerata habitum in Ilíceto assumpsisse, & postea apud Montecianum in agro Senensi animam exhalasse: tum quia B. Antonius vixit cum BB. Augustino Novello, & Petro de Camerata, sed hic floruit circa annum 1312, & ille circa annum 1310: ergo certo certius est, B. Antonium obiisse anno, non 1230, sed potius 1330. Etsi verum est, quod anno 1230 habitum assumpsit, plusquam Centenarius obiit; quod non est mirum, quia cum semper virginitatem servaverit, ideo longiorem potuit vitam sustinêre. Quantum ad diem, in quo obiit altum apud AA. est silentium, dicunt tamen de illo agi festum ultima Dominica Aprilis, vel quia tali obierit die, vel quia in illa facta sit ulla ex ejus Translationibus. Cum ergo anno 1330 dies Paschatis fuerit 8. Aprilis, & Dom. 3. post Pascha inciderit die 29. Aprilis, dicendum est, illum obiisse, vel 29, vel 30. Aprilis.

Corpus ejus sepultum est sub templi subgrundiis, ubi cæteri tumulabantur Religiôsi; & semel in anno ex ejus ore candidissimum

didiſſimum pullulabat Lilium, quæ res Religioſos, & populum commôvit ad exhumandas ejus ſacras reliquias, & intra Eccleſiam reponendas; & poſtea ob multitûdinem miraculorum in altari ejuſdem Beati cultui dicato ſunt collocatæ, & ibi magna populi devotiône venerantur integræ, & illibatæ conſpiciuntur, & in loco, quo corpus primo tumulâtum eſt, quod eſt viridarium, adhuc naſcuntur Lilia, quæ in memóriam B. Antonii á pópulo ſuſcipiuntur, & ſervantur.

Bis in anno magno apparatu corpus Beati pópulo oſtenditur: ſcilicet in die S. Petri Apoſtoli, cui Eccleſia dicâta eſt, & ultima Dominica Aprilis; & antequam corpus manifeſtetur, á circunſtantibus cantâtur Hymnus, verſiculus, Antiphona, & Oratio propria, quæ infra ſunt ponendæ, & mane ejuſdem feſtivitâtis canitur Miſſa unius Confeſſoris ſub ritu ſimplici. Sub nomine & invocatiône B. Antonii intra clauſtra monaſterii erecta eſt Societas Laicorum, qui in Vexillo proceſſiônis déferunt imaginem Beati ex una parte, & ex altera S. P. Auguſtini. Ejus imago non ſolum in prædicto altari, ſed multæ ære ſculptæ undique circumferuntur, & apud me eſt una illius imago radiis coronâta, elogio ſequenti:

Le attioni ſtupende, e degne di memória, benche nou ſiano ſtato poſte in luce dal le penne Hiſtoriche, nulla dimeno ſi manifeſtano per voler di Dio nella veneratiône, nè miraculi; e nè corpi incorroti de ſuoi ſervi. Il che chiaramente ſi conoſce nel B. Fr. Antonio da Monteciano terra ſul Saneſe, il cui corpo perlo ſpatio di più di 300 anni ſi coſtudiſce illeſo dall. ingiurie communali, nella noſtra Chieſa di S. Pietro di Monteciano, e nella ſua feſta, che ſi celebra l'ultima Domenica di Aprile, ſi fà la ſua commemoratiône propria; nell hinno particolarmente ſi canta la ſua virginitá, ela translatiône mirabile del ſuo Sancto Corpo, il quale dopo ſi moſtra al Popolo, come anche ſi fàlo ſteſſo divoto ſpettacolo il giorno di S. Pietro titolare de la Chieſa ſudetta.

Hymnus, & Antiphona, & oratio
B. Antonii Patritii.

Alme confeſſor ſupplices Antoni
Laudes, & preces humiles canentes
Tuum ante corpus humiles aſtantes
Adjuva illos.
Suſcipe preces hujus tuæ plebis,
Et Jeſum Chriſtum ſupplica pro eis,
Ut eos ſervet, ſimul & defendat
Ab omni malo.
Qui te locavit hic miraculoſe,
Ut apud ipſum eſſes interceſſor;
Sic eſto cuſtos hujus tui Caſtri
Montis Ciani.
Simul cum Patre célebri Auguſtino
Jungito tecum illum Nicolaum,
Qui Tolentini ſemper eſt defenſor,
Nos cuſtodire.
Tecum conjunge omnes cæli cives,
Prophetas, Vates, Martyres, Antoni,
Omnes Doctores, Sanctos Eremitas,
Supplicent tecum.
Virgines quoque, ut Virgo permanſiſti,
Duc in favorem tuæ Sanctæ Catervæ,
Sic ante Chriſtum pro nobis orantes
Dicite omnes.
Gloria Patri, Genito què ſemper,
Qui procedit Deus ex utroque;
Trinitas Sancta, relpice dicentes
Hunc ſanctum hymnum.
Amen.

ANTIPHONA.

Almum diem recolimus celebritate annua B. Antonii, quem credimus intronizatum gloria, qui nobis, velut cupimus, patrocinetur. Grand a patravit, ut jam vidimus, patrat nunc & miracula ſuis mente ſupplicibus prabendo mira munera: Alleluia.

℣. *Ora pro nobis, B. Antoni.*

℟. *Ut digni efficiamur, &c.*

ORATIO.

Deus, cujus majeſtatem per univerſum mundum creatura tua undique mirabilem proteſtantur, largire ſupplicibus tuis, ut méritis, & interceſſione Beatiſſimi Antonii Confeſſoris tui de præſenti miſeria ad æterna Beatitudinis gaudia feliciter tranſeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Cum

Cùm autem appositus Hymnus rudiorem inculcet vetustâtem, illum; ni fallor, politiori cálamo composui, ut sequitur.

Quotquot, Antoni Venerande, laudes
Nunc tuas cantant, célebrantque plausus,
Hos juva Clemens, animo benignus
Omnibus adsis.
Vota non temnas pia supplicantum;
Esto patronus pius ante Christum,
Ut malo cunctos, quot in orbe credunt;
Servet ab omni.
Ille te Sanctum bene singularem
Fecit, ut noster benefactor esses:
Montis idcirco bonus advocâtus
Esto Ciani.
Sit Comes tecum famulis favente
Et Pater Magnus, Nicolaus una,
Qui Tolentini tumulatus Urbe
Clarét ubique.
Cælites omnes tibi sint sodales,
Martyrum cætus, numerus que vatum:
Turba Doctorum, simul hi, quot astris
Claudit eremus.
Virgo, qui nævo sine transiisti,
Virgines nobis adhibe faventes,
Ut petant nobis sine labe terris
Ducere vitam.
Laus Deo Patri, Genitæ que Proli,
Par que manantem decet ex utroque
Hymnus, & sanctæ Triadi perenne
Detur in ævum. Amen.

De B. Antonio agunt ex NN. B. Jordanus Saxo citatus in elogio supradicto, sed de illo non agit in libro Vitt. FF; aget vero in lib Sermonum, Joannes Baptista Pizzichini Monticianus apud Henschenium hac die, Herrer. in Alphabet. tom 1. fol 9, Elssius in Encom. fol. 75, Torelli Centur. 2. cap. 67. fol. 192; & in Sæculis tom.5.fol.321.n.6 Bisdominus in Histor.m.s. Senensi fol 22, ubi ait. In detto anno 1286 haviamo B. Pietro, che santificò in Valle de Rosia, e B. Antonio, che il Torpo é a Monte Ciano, tutti cittad Sanesi, Illustris. Ambrosius Landucci in Sylva Ilicetana fol. 16, & 83 elogio 6; Portillo tom. 2. fol. 153, hac die, Arpe in Sacro Diario tom. 1. fol. 226, Josephus á D. Antonio tom.2. Floris SS. tom. 2. fol. 94, & tom. 3. fol. 235 in Vita B. Petri de Camerata: & alii ex NN. Ex exteris Philippus de Bondelmontiis Servita in Cathalogo SS. Senensium, Bolandus in Actis SS. hac die; Joannes Bonifacius Bagata Theatinus tom. 1. de Admirandis lib. 3. c. 2, & tom. 2. in appendice 4. ad cap. num. 183.

F. B. Andreas de Luca Senensis, quem D. Catharina Senensis magnum Dei servum appellâvit in quadam Epist. fol. 159, floruit circa ann. 1380. De illo agunt NN. Herrer. in Alph. tom. 1. fol. 10, Elss. in Encom. Lit. A fol. 53 Torelli Centur. 3. c. 45 fol. 284, & in Sæculis tom. 6. an. 1378. fol 180 n. 6. & plures alii, cũ Landuccio in Sylva Ilicet fol. 128.

G. B. Juliana de Fulgineo, anno 1290 monasterium monialium Augustinianarum in Urbe Fulginatensi construxit, ibique sanctis ornata virtûtibus in Domino quiévit, post óbitum titulo sanctæ Julianæ vocabatur. Cæterum transacto tempore anno 1444 ejusdem moniales ad Dominicanũ Ordinem transiêre. Jam de illa actum est 7. Februar. cum Portillo.

H. Ven. Augustinus de Urbe Castelli, fuit in Sacra Theologia peritus, & anno 1477 fuit á Secretis Prioris Generalis Ambrosii Coriolani, & anno 1488 Pœnitentiarius S. Petri, fuit Alexandri 6. Confessor, & postea Sacriista, & Episcopus Tagastensis, óbiit tandem Romæ hac die cum opiniône sanctitâtis anno 1503. De illo tractant NN. Herrer. tom. 1. fol. 50, Elss. in Encomiast. Lit. A, Torelli tom. 7. fol. 538. num. 10.

I. Ven. Paulinus Senensis Iliceti alumnus fuit, clarus familiaritâte S. Catharinæ Senensis, & ab illa egregie laudatus, qui vocâtus ab Urbano Sexto simul cum aliis nostri Ordinis, in ejus permansit ministerio, & óbiit pie Romæ circa annum 1380. Ignoratur tamen dies, in quo óbiit, sed illum, sicut B. Andream supra, hac die apposui ob memóriam S. Catharinæ, cujus familiaritâtem nacti fuerant. De illo agunt NN. Herrer. tom. 2. Alph. fol. 244; Elss. in Encom. Lit. P; Torelli in Centur. 4. cap. 31. fol. 272, Landucci in Sylva Ilicetana fol. 128.

L. Ven. Melchior de Arazil in lucem prodiit Xixonæ in Diœcesi Valentina ex Stephano Arazil, & Elisabetha Lobregada anno 1552 in principio Septembris Quinquennio se Dei, & Deiparæ ad cultum dedicavit, & votum castitâtis emisit. Litteris peritissimus evasit. Sacris iuitiâtus, Toleti á Deipara fuit visitâtus, & consolâtus, & ab illa cingulo aureo cinctus, post inde omni

ni libidinis caruit prurigine. Cum ergo á Christo visitâtus esset, & ejus lateris Vulnus accepisset, mundo statuit terga dare, sic que ille hábitum accepit in cœnobio Valentino in principio Januar. ann. 1601, & in Religiône permansit egregiæ virtû is splendoribus illustrâtus; sed brevi consummâtus, explevit tempora multa, nam post decem menses in tyrocinio transactos, sanctam efflavit animam die 30. Aprilis anno 1601 ætatis 49, & post mortem multis claruit prodigiis.

De Ven. Melchiore agunt NN. Herrera in Alph. tom. 2. fol. 66, Elss. in Encom. Lit. M fol. 483, Stellartius in Augustinomach. lib. 2, Arpe in Diario Sacro fol. 230, Gaspar Mancebon in vita ejusdem, Jacob Jorda tom. 1. Histor. Valentiæ lib. 2. a fol. 272 usque ad 325, Josephus á D. Antonio in Flore SS. tom. 2. á fol. 341, Portillo in die 1. Maii tom. 2. fol. 159; & alii. Ex exteris Petrus Calvus Dominicanus in Defensiône lachrymarum lib. 2. c. 12. fol. 327, Licentiâtus Escolanus in Histor. Valentiæ lib. 9. c. 41. num. 6. fol. 1333; Joannes Bagata in Admirand. lib. 2, Antonius Bonuci in Anatome Cordis Christi.

M. Ven. Laurentius á S. Josepho Mediolani natus est anno 1612, inter Discalceatos hábitum assumpsit in cœnobio S. Franciscæ, 10. Augusti anno 1629, & nomen accepit Laurentii, antea enim Joannes Baptista vocabatur, & statim missus est ad Genuense cœnobium, ubi statim magno cum fervôre cæpit virtûtis témitas peragrâre, & professiónem emisit 11. Augusti anno 1630. Ob vitæ speciositâtem per omnes Religiônis gradus usque ad Vicarium Generalem ascendit, donec méritis consummâtus, Medionali in cœnobio S. Damiani sancte vitam explevit die 30. Aprilis anno 1689, ætatis 77, & post obitum ejus depicta est imago. De illo agitur á Fr. Joanne Bartholomæo Lustro 19. fol. 586.

N. Ven. Antonius Aragonius Lusitanus natus est Algarbiæ in civitâte Pharensi anno 1650 ex Gondissalvo Georgio, & Petronilla Fajarda habitantibus in dicta Urbe in Diœcesi Cathedrali; Pater ortus erat in Oppido da Feira, qui in Castellam profectus, ibi matrimonium contraxit cum dicta Petronilla in civitâte Hispalensi, unde nata erat; unde ambo ob homicidium a parente factum in Algarbiam fugam cepêre; & ibi in Urbe Pharensi illis natus est Ven. Antonius in die S. Antonii 13. Junii anno 1650. Mortuo parente, cum septennium attigisset, assumptus est á suo Patre spirituali in propriam domum, ut illum in bonis moribus erudiret, & prima adolescentiæ édoceret rudimenta; in quibus exiit singularis; quæ omnia didicit in domo patris, ut sic licentiam adolescentiæ in scholis degentis evitaret. Studio Grammaticæ óperam navavit, in qua inter sodales maxime coruscâvit. Cum autem Religiônis jugo nimis ligari vellet, hábitum nostri Ordinis tempore Mag. Fr. Joannis Sahaguntini Provincialis electi anno 1670 die 26. Aprilis, & gubernium Provinciæ per biennium exercentis, accepit in cœnobio Eborensi, & adeptus est duos in novitiâtu magistros insignes in virtûte, scilicet Fr. Franciscum de Moura, & Ven. P. Joannem á Purificatiône, qui postea ad reformatiónem Discalceatorum transiens, & iterum ad Provinciam regressus, in cœnobio Gratiarum óbiit cum opiniône sanctitâtis die 12. Sept. anno 1704 ætatis 63. In novitiatu de se optima futuræ vitæ præbuit præsagia, factus & magistris, & sodalibus modestiæ forma, & exemplum.

Votis sese Religiônis ligavit, 2. Januarii anno 1676, & extunc usque ad óbitum indusiis, & lectuli tegumentis ex panno aquileo usus est, & solum hæc in morbis deponebat. Ad studia Philosophiæ, & Theologiæ missus, ibi maxime profecit, taliter ut studiis absolutis ad lecturam moralem Tavilæ exercendam missus esset, quam per septennium explevit omni cum satisfactiône, prudentia, & modestia, quam toto suæ vitæ tempore observavit. Dignitâtes Ordinis maximópere abhorrebat, & solum duas Ordinis dignitâtes, quasi coactus, accepit; prima fuit prioratus insulæ Angrensis, motus precibus nostri Ven Fr. Clementis Vieira noviter electi Episcopi Angrensis; ad quam insulam profectus est ab obedientia Provintialis coactus ad munus Prioris, Lectoris Theologiæ, & examinatoris synodalis exercendum: & obedientiam roboravit Magister Fr. Antonius Pacini, tunc hujus Provinciæ Generalis visitator, & postea Generalis: secunda fuit Collegii Conimbricensis; nam post óbitum P. Mag. Fr. Josephi Guedes in primo anno sui Rectoratus, ipse Ven. P. nominâtus est in ejus locum á P. M. Fr. Nicolao Tolentinâte Provinciali circa an. 1698; & in dicto Collegio magnam sui regiminis famam

famam reliquit; ejuſdem Collegii Sacriſtiam magnis ſumptibus ædificavit ; & ipſemet ibidem ab Octob. anni 1699 uſque ad Aprilem anni 1700, illius ſubditus extiti, de quo ſatis gloriari debeo.

In dicto capitulo nihil voluit acceptare ; & ſic in cœnobium Tavilenſe perrexit, ubi totus erat in ornatu Eccleſiæ occupatus ; quatuor capellas ſufficienti ornatu compoſuit ; Chriſti Crucifixi, & Crucem bajulantis imagines perfecit : baculum, & tiaram argenteam fecit ad imaginem S. P. Auguſtini : ad ſanctiſſimum Sacramentum ſcrinium magnæ ſtructuræ fecit argenteum, antea enim in ligneo ſervabatur ; & ornamentum integrum magni pretii : plura alia, quæ brevitâtis gratia omittuntur, fecit ; non ſine omnium admiratiône, quommodo tanta poſſet Frater pauperculus ornamenta conficere ?

Quamdiu in Tavila degit, quotidie jejunabat, & in hebdomada quacumque bis ſeſe ſolo pane, & aqua reficiebat : ſibi deſtinâtas portiônes cuidam vetulæ ægrotæ miniſtrabat, & alias plures eleemoſynas pro animarum Purgatorii intentiône faciêbat. Tempus, vel in aſſiſtentia chori, vel prædicando, vel confeſſiônes audiendo conſummebat : cæterum tranſibat in choro, ad quem ſemper poſt matútinum pergebat oraturus, & inde ad Eccleſiam, unde in Sacello Imaginis Chriſti Crucem bajulantis ſeſe aſperis cruentâbat diſciplinis, & aliis pœnitentiis, uſque ad tempus ſilentii, tunc enim in cubiculum profectus, collatiônem, cum fruſto panis, & quinque ficibus, agebat.

Ad Oppidum Loulenenſe perrexit circa an. 1715, ut ibi miſſiônem fáceret, & tali ſpiritu prædicâvit, etſi febribus æſtuaret, ut plures ad frugem redúceret meliôrem, & ab omnibus ut ſanctus haberetur. Solum in eo notabatur ab aliquibus, facile ab ira corripi, de quo animadverſus, humiliter dicebat : quid faciam ? Hoc mihi pro Cruce Deus génium præbuit ; & repetebat verba Pſalmiſtæ : Irascimini, & nolite peccare : addens, ſe tempore ſuorum præſulâtuum culpas ſubditorum poſt tres dies arguiſſe. Et cum ſubditus erat, ſi quem genio iracundo tractabat, quantócius ad ejus pedes provolutus veniam precabatur. Nec novum eſt in ſanctis hoc génium reperiri, ut narratur de SS. Elia, Paulo, Hieronymo, & aliis : quia, ut ait M. P. Aug. in Pſalmo 103 : Charitas, etſi iraſcitur aliquando, ut corrigat, non tenetur rea, quia non inveteravit ira, ut verteretur in odium.

Vivens ergo in cœnobio Tavilenſi magna opiniône ſanctitâtis, undique conſultus, & magna charitâte ægrotis, & moribundis aſſiſtens, lethali pleuritide oppreſſus eſt, & medicamentis ſubjectus, ſeptima ſanguinis effuſiône ſe cognovit morituram, ſicque, piiſſime receptis ſacramentis, integro aſpectu, & in nihilo ſenſibus offenſus, hilari vultu, inſtar Sponſæ, de qua dictum erat in Parabolis cap. 31 : & ridebit in die noviſſimo, felici exitu animam tradidit Creatori ſuo die 30. Aprilis anno 1716, quinta feria poſt Dominicam ſecundam Paſchæ, ætatis 66, minus 43 diebus : & die prima Maii ſepultus eſt in ara maiori ad Latus Evangelii, & poſt óbitum tanta ejus ſanctitâtis crevit opinio, ut quotidie ejuſdem ſepultura á pópulo concurrente multis flóribus ſpargeretur ; quod ego tunc ad dictum cœnobium ad lecturam moralem miſſus vidi, & ſum miratus ; ſicut etiam, quod frequenter ab ejus ſepulcro terra deferebatur tanquam efficax medicina ad morbos, & febres coercendas, & ibi per biennium commorans in dicta lectura uſque ad Junium 1718, audivi ejus interceſſiône prodigia non pauca eſſe perpetrâta ; quorum nonnulla in præſentiarum fas erit explanâre.

1. Quædam nomine Maria de Mendoça monialis in cœnobio S. Bernardi Tavilenſis, & neptis ejuſdem Ven. P, intenſum dolorem in oculi púpilla patiens, quin ullum ex ſibi applicatis proficeret medicamentis ; poſtulans á M. Joanna á S. Joſepho ibidem moniali, ejus matertera, & Ven. P. Antonii ſorore, aliquid ex reliquiis Ven. Patris, illa ad oculum gravatum diſciplinas Ven. Patris applicuit, & ſtatim dolor ceſſavit, & ſomno trádere ſe potuit incolumis, cum omnium admiratiône ; quod prodigium, me Tavilæ exiſtente, & audiente contigit.

2. In eodem cœnobio Mater Joanna Joſepha á Plagis, cogitatiônibus angebatur moleſtiſſimis ; & accipiens cilicium Ven. Patris, & illud cervicali ſupponens nocte una, mane omnis ſe reperit expertem anxietâtis.

3. Ibidem Mater Eugenia de Souza intenſiſſimos dentium, & maxillarum patiebatur dolores ; vix tamen parti Læſæ partem cilicii Ven. P. applicuit, ſine dolore per-

permanſit, & quietem accepit.

4. Ibidem Mater Thereſia Maſcharenhas intimo dolore gravâbatur; vix tamen ad ejus dolorem applicâta eſt pars interulæ Ven. Patris, ſanata eſt.

5. In eodem cœnobio D. Joſepha Maſcarenhas educanda oculum ſentiens pertigine grandi oppreſſum, quod ſibi magno dolori, & mœrori erat, vix oculo applicuit partem diſciplinarum Ven. P. Antonii, repente convaluit.

6. Ibi Mater Catharina de Aragonia aſtmatis crudelis morbo afflicta, imponens ſupra pectus partem cilicii ejuſdem. ſtatim reſpirâre pótuit, & uſque ad præſens á tali morbo tuta pérmanet.

7. Ibi M. Margaritta á Valle Raſquinha ob ſtomachi debilitâtem, in illo nihil cibi conſervâre póterat: ſtomacho partem cilicii ejuſdem applicans, confeſtim incólumis permanſit.

8. Ibi M. Barbara Thereſia crudeli dolôre vexâta, invocans patrocicium V. P. Antonii, & reſponſum récitans, á dolore liberâta eſt.

9. Ibi M. Anna de Caſtro pedem ſentiens duris cum doloribus tumefactum, applicato noctu pedi Læſo cilicii Ven. P. fruſto, mane ſoſpes reperta eſt.

10 Ibi Maria ab Incarnatiône cœnobii ancilla, ſanata eſt a diro dentium dolôre, poſita ſupra dentes Ven. P. Epiſtolæ cujuſdam particula.

11 Idem accidit Antoniæ á Conceptiône ejuſdem cœnobii ancillæ.

12 Victoria á Roſa in quodam genu dolorem ſentiens vehementem, ob quem in lectulo curanda jacebat, applicâto cilicii Ven. P. parte, dolorem ſenſit abeſſe.

13 Ibi Antonia de Attaide cœnobii ancilla, á crudeli dentium dolôre liberata eſt, applicâta hábitus Ven. P. particula.

14 M. Margaritta Engratia Coelha deſiderans ab uno ex ſuis conſanguineis rem adipſci, & nulla via conſequi valens, facto novennio pro anima Ven. Patris, tertio die elapſo, quod optarat, perfectius obtinuit.

15 Eadem monialis ſecum neptem habebat diris oppreſſam ſcrupulis, quorum ergo, nec comédere, nec dormire póterat; á matertera mónita eſt, ut quotidie pro anima Ven. P. recitaret ſemel Pater N, & Ave Maria, poſt aliquot dies, liberam ſe ab ſcrupulis experta eſt.

16 Hieronyma á Sylva uxor Franciſci Rodrigues Sanches, in Urbe Tavilæ habitantis, jam á medicis derelicta ob Phthiſim crudeliſſimam, ob quam continuo ex ore ſanguine manabat, quin aliunde ſibi ſpes opis eſſet, poſito ſupra pectus fruſto cilicii Ven. P, ſanguine ceſſante, incólumis redacta eſt.

17 Puella quædam in domo Sebaſtiani á Fonçeca Pimentel Tavilæ habitantis diris febribus gravâta, ad collum illius ſcripto Ven. P. appenſo, febre evaneſcente, convaluit.

18 Pater Ventura á Cunha Filius Emmanuelis Freire de Andrade in Urbe Pharenſi habitantis, febre diutius quartana gravabatur, quin ullum ex remediis proficeret; vix ad collum ejus ſcriptum Ven. P. appenſum eſt; quartanas amplius non eſt expertus.

19 Idem accidit Joanni Velozo centuriæ ſtructori maximo Urbis Pharenſis.

20 D. Genebra uxor Didaci Lobo Pereira in Oppido Loule Gubernatoris, gravi oppreſſa dolôre, ab illo liberâta eſt, applicatis ſibi Ven. P. Antonii ferreis diſciplinis.

21 Joannes Filius Mariæ á Coſta in Urbe Pharenſi habitantis a fluxu ſanguinis liberâtus eſt, applicato ad ejus collum fruſto habitus Ven. P. Antonii.

22 Eliſabeth de Oliveira Filia Alberti Monterii, Michael de Oliveira, & Joſeph á Regibus, habitantes in parochia Deiparæ á Luce prope Tavilam, á febribus liberati ſunt ejuſdem hábitu applicato.

23 Joannes Lampreia Guerreiro Centuriæ ſtructor maximus in Oppido de Mertola; gravatus febribus, & doloribus, ejus diſciplinis applicatis, ſanitatem protinus conſecutus eſt.

24 Thomas Laurentius miles Tavilenſis liberatus eſt a dolôre ſuper umbilicum, dolori cilicio Ven. P. Antonii applicato.

25 Innocentius Ribeiro Tavilenſis á febre crudeli, & dolôre in auricula oppreſſus, ab utroque ſanatus eſt, applicato ejuſdem hábitu.

26 Eliſabeth Fernandes Uxor Petri Ludovici Tavilenſis, gravata intenſo dolore ſupra partum, eodem hábitu applicato, ſanata eſt.

27 Quædam Filia Emmanuelis Marques jumentarii in Urbe Tavilenſis diris laborans quartannis, convaluit habitu Ven. P. Antonii ad collum appenſo.

28 Idem accidit Georgio Dias duci militum ibidem habitanti.

29 Quidam famulus Gallus in Oppido de Loule nomine Maurus habitans in domo Didaci Lobo Pereira ſanatus eſt á quadam debilitâte, & tertianis, applicâtis diſciplinis Ven. P. Antonii de Aragonia.

30 Idem accidit Sebaſtiano Faria Peſſanha in eadem domo.

31 Idem contigit hujus fratris ſeniori

32 Maria á Cruce ejuſdem domus famula, cum gravi oculorum tumôre gravaretur, & crudeles pateretur dolores, applicato parti ſcripto Ven. Patris, mane ſine tumôre, & dolôre inventa eſt.

33 Altera ejuſdem domus famula nomine Simóa Maria, cum morbo maligno angeretur, & jam á medicis derelicta eſſet ſine ſpe ſalutis, applicatis Ven. P. reliquiis, cum circunſtantium ſtupôre, ſoſpes permanſit.

34 In eadem domo Maria Ollaria Cathalaunia, & Maria á Sylva famulæ, cum crudelibus capitis, & dentium doloribus affligerentur, ſtatim convaluêre, applicatis Ven. Antonii reliquiis.

35 In eadem domo uxor Didaci Lobo gravi febrium moleſtia, & nauſea ad cibum gravabatur, ad collum applicatis Ven. P. reliquiis ſanata eſt.

36 Blaſia á Regibus ſoror Franciſci Rodrigues Pinella in Urbe Tavilenſi jam diu laborabat quadam in oculo fiſtula, accedens ad tumulum Ven. Antonii, & aquam ſpargens benedictam, & recitans ſemel Pater noſter, & Ave Maria pro anima illius, confeſtim, ac ſi nunquam ægra eſſet, ſanata eſt.

37 Didacus Gonçalves Gener Simonis Botto in Urbe Tavilenſi, gravi veſicæ dolôre gravâtus, hábitu Ven. P. applicato, ſtatim Soſpes evaſit.

38 Philippa á Fonceca ibidem habitans quartanis crudelibus oppreſſa, hábitu Ven. P. ad collum appenſo, ſtatim reddita eſt ſanitati.

39 Idem accidit Blaſio Dias in Oppido Algarbienſi dicto Moncarapaxo.

40 Beatrix Correia in Oppido S. Blaſii prope Tavilam, cum cæcitate laboraret, applicata oculis terra ſepulchri Ven. P, viſum recepit perfectum.

41 Agnes de Oliva quartanis laborans, eâdem terra aſſumpta, ſanâta eſt.

42 Terra ejuſdem ſepulturæ plures alios á variis morbis liberavit: & egomet ibi degens vidi continue ab ejus tumulo terram éffodi, taliter, ut jam ſcrobs magnus in tumulo eſſet factus, & ne penitus haurirétur ſepulchrum; non ſinebatur ad libitum terram erui.

Hæc, & plura ibi habitans agnovi, & inſuper cónſtant ex relatiône mihi ex eodem cœnobio miſſa, quæ apud me extat.

De Ven. P. Antonio de Aragonia jam brevi elogio egit N. P. Fr. Joſephus á D. Antonio in vita B. Ritæ cap. 3. §. 5. fol. 229, ubi tamen minus vere aſſerit illum óbiiſſe menſe Maii: cum certum ſit, ut dictum eſt, illum óbiiſſe 30. Aprilis, & tumulátum fuiſſe die 1. Maii, cujus exequiis fere omnis plebs interfuit cum multis lachrymis, deplórans tanti Patris interitum, & omnis magna cum aviditâte ejus reliquias poſtulabat. De illo etiam agit Didacus Barboza in Bibl. Luſitana tom. 1. fol. 206.

O. Ven. Angela á S. Nicolao orta eſt in Urbe Alicante ex Sebaſtiano Nicolini, & Blanca Mucio, adhuc in domo parentum multis exercebatur pœnitentiis. Religiônis ardens deſiderio hábitum aſſumpſit in cœnobio S. Joſephi de Olleria, ubi profeſſa eſt 6. Junii anno 1613; & inde raris ſanctitâtis indiciis coruſcans, ſancte óbiit die 30. Aprilis anno 1637. Agit de illa N. Jorda tom. 2. lib. 5. cap. 18 fol. 669. num. 1.

P. Ven. Agnes de Jeſu, jam ſenio confecta hábitum aſſumpſit in cœnobio Carmonenſi SS. Trinitatis, ubi brevi conſummata eſt mirabili exitu die 30. Aprilis anno 1685. De illa agit. N. Villerin. tom. 2. lib. 32 Additiône. 5. fol. 421. §. 8.

Q. Ven. Maria ab Incarnatiône, Vulgo Guyar, Turonenſi Urbe in Gallia orta eſt ex parentibus obſcuris, ſed Catholicis, & piis. Nubilis facta, ut parentis nutui obtemperaret, matrimonium contraxit, ſed brevi defuncto conjuge, in domo ſua vitam pœnitentem ſecuta eſt; quo tenôre per duodecim vixit annos; quo tempore inter Urſulinas recepta eſt; & inde mirabili ſanctitâte degens; óbiit raris ſanctitâtis indiciis die 30. Aprilis an. 1672 ſexta hora veſpertina, ætatis 72, & ſex menſium. Ejus imago poſt óbitum depicta fuit. De illa agitur in Hiſtor. Urſulinarum fol. 114.

R. Translatio S. Eremberti Epiſcopi Toloſani, qui fuit diſcipulus S. Lamberti, de quo jam actum eſt 14. Aprilis: & de S. Eremberto agendum eſt. 14. Maii. De hac Translatiône agitur in duobus Apographis Martyrologii Hieroſolymitani, & in Actibus SS. Henſchenii in prætermiſſis.

S. Translatio S. Euſtaſii, dequo jam

29.

29. Martii, Abbatis Luxovienſis. De illa agitur in Martyrologio Salinenſi S. Anatolii, & in Actis SS Henſchenii hac die in prætermiſſis.

T. B. Nicolaus Jacob de Parilliônibus Gallus, Iliceranorum fama commotus, licet antea in civitâte Metenſi eſſet profeſſus, tamen ad Ilicetum de Prælatorum licentia cónvolans, ibi peracto nóviter tyrocinio profeſſus eſt die 30. Aprilis anno 1503, & ibi ſanctitâte vixit mirabili; & mirabili erga infirmos claruit charitâte; donec brevi virtûtibus conſummâtus, prædicto ſuæ mortis die, in ſabbato futuram eſſe, animam piiſſimam exhalâvit an. *1527*. De illo agunt ex NN. B. Paraclitus Bini in Cathálogo Profeſſorum Iliceti fol. 20, Stephanus Ugurgerius in tertia oratiône Ilicetana, Author Vitæ B. Joannis Chiſii fol. 30. Georgius Fulginas in Sacris Horroribus Iliceti, Herrera tom. 2. fol. 174, Eliſ. in Encom. Lit. N; Torelli in Centur. 4 cap. 66. fol. 456; & in Sæculis tom. 8. anno *1527* fol. 143. á num. 3. Cardinal. Ægidius Viterbienſis in Chron; Epiſcopus Andreas Gelſominius, Epiſcopus Ambroſius Landuccius in Sylva Ilicetana fol. 125, Elogio *48*. & tandem Franciſcus Rappius Senenſis piiſſimus Præſbiter, Coævus N. B. Nicolai, diffuſius in ſua Lima ſpirituali typis trádita Senis 13. Septembris anno 1535 fol. 33. ubi narrat B. Nicolai facta mirabilia.

Epigramma ad B. Nicolaum.

Clarior en médicus Nicolaus habébitur ultra,
Namque ſibi, ac aliis grande juvâmen erat.
Cœnobio gravis æger erat tetro ulcere plenus;
Fratribus hoc aliis nauſea grandis erat.
Commôtus pietâte bonus Nicolaus, ad ægrum
Accedens, curam non piget ejus agit.
Ulcera languentis manibus lavat, inde lavacrum
Ebibit, & Fratrem reddidit incolumem.
Hoc hauſtu ſtomachum formát, carnem inde rebellem
E'domat, & ſtimulos non habet inde ſuos.
Prodigium hoc pietas egit; qua ferbuit ille:
Ergo aliis médicus, vel fuit ille ſibi.

Gloria, Laus, & honor tibi ſit, Rex Chriſte Redemptor,
Et tibi, Virgo Parens, quam colit omne ſolum:
Auguſtine Pater, pariter tibi gloria gloria detur;
Hæc etiam Sanctis ſit tribuenda tuis.

FINIS

Laus Deo.

FINIS

Laus Deo.

INDEX

RERUM NOTABILIUM IN HOC PRIMO MARTYROLOGII AUGUSTINIANI Tomo contentarum.

A

VEn. Alphonſus de Alhos Vedros Luſitanus Laicus, per platéas turmatim á cunctis Sanctus nuncupabâtur: 26. Febr. fol. 147. Lit. C.

Adventum Domini cum impatientia expectábat Ven. Lucia á Coſta: 13. Februar. fol 147. Lit. C.

Amphora vacua impleta eſt miraculoſe vino precibus B. Cherubini de Aviliana. 24. Martii Lit. B. fol. 228.

B. Andreas á Monte Regali, ſtans in féretro defunctus, benedixit quandam Tertiariam S. Franciſci: 18. Aprilis fol. 306 Lit. D.

Angeli in ultima ægritudine, in ſpecie humana miniſtrarunt Ven. Gondiſalo de Almeyda 1. Jan. fol. 2. Lit. M. Apparuerunt Ven. Genéſæ á S. Didaco in ultima ægritudine: 3. Jan. fol. 11. Lit. E: Etiam apparuerunt Ven. Seraphino á S. Joſepho, in modum Chori cantantes, ut illum ſolarentur: 5. Januar. fol. 16. Lit. E. Familiariter B. Gualterum quærebant, & conſolabantur: 17. Jan. fol. 50 Lit. B. Cantantes in cælum deportarunt animam B. Archangelæ de Panigarola: 17. Januar. fol. 50. Lit. C. Multis favoribus ditarunt Ven. Agnetem ab Aſſumptione: 17. Jan. fol. 51. Lit. M. Idem fecerunt S. Fechino: 20 Januar. fol. 59. Lit. B. Sex dies ante óbitum S. Ceaddæ cantum dedêre. 2. Martii fol. 162. Lit. A. Sæpius apparebant S. Vigilio, 5. Martii fol. 169. Lit. A. Inter eos matutinum recitâvit Ven. Joannes de Villanis, 5. Martii fol. 170. Lit. D. Item Ven. Joſephus Ramos 13. Martii fol. 192. Lit. G. & 15 fol. 196. Lit. C. Item Ven Gondiſalus de Barahona, 14 Martii fol. 194. Lit. D. Aliquando apparebant in Cathedra, ubi legebat Ven. Joſephus Marcus Ramos, 15. Martii fol. 196 Lit. C. Adjuvabant in coquina Ven. Gregorium á Conceptiône, 15. Martii fol. 196. Lit. F. Comitati ſunt in cælum animam S. Renovati, 31. Martii fol. 248. Lit. A. Pluries apparebant B. Nicolao Bandinello, 4. Aprilis fol. 260. Lit. C. Item V. Magdalenæ á Plagis, 4. Aprilis fol. 261. Lit. L. Cantus dedêre in óbitu B. Andreæ á Monte Regali, 18, April. fol. 304.

Lit.

Lit. D. Canentes in choro cum monialibus visi, & auditi sunt á Ven. Maria á SS. Trinitate, 25. April. fol. 329. Lit. G.
Angelus donavit B. Archangelam de Panigarola quadam Cruce. 17. Januar. fol. 50. Lit. C. Cingulo præcinxit Lumbos Ven. Jacobi Lopes, 1. Mart. fol. 157; H. Custos, sæpius apparebat Ven. Joannæ Revier, & cum illa familiariter loquebatur, 4. Martii fol. 167; L. Annuntiavit natalem S. Equitii, 7. Mart. 174 A. & illum eunuchizavit, ibi. Familiaris erat Ven. Mariæ ab Angelis. 8. Martii, 177, H. Sanavit S. Vincentium martyrem. 11. Martii, 187, C; Ducebat ad Ecclesiam, & domum B. Canstantiam Xiram, 23. Martii, 225, F. Attulit de cælo Lilium pulcherrimum B. Luciæ Lanteri, quæ cum B. Virgine, & Angelis pluries cantavit. 25. Martii 231, B. Jaculo ignito cor Ven. Mariæ á SS. Trinitate penetrâvit, 25. April. 329, G. E cælo egrediens aspectu terribilis, & in dextera gladium, & in sinistra globum ignitum portans, visus est á Ven. Maria á Salvatóre, 25. Aprilis, 329, H. Plures favores fecit S. Ittæ, 15. Januar. 44, C.
Ven. Angela á Conceptione, morti proxima, audiens á Priorissa, cur ipsa moreretur, cum esset cœnobio adhuc necessaria? Quo audito, illa e lectulo surrexit sana, & per quinquennium sospes vixit. 18. Januar, 54, C. Ven. Angela Spinula, Virgine revelante, óbiit post Ven. Innocentiam Spinulam, 3. Februar; 94. Lit. B, sed potius 9, ejusdem, & Ven. Innocentia 8 ejusdem.
Animæ purgatorii apparebant B. Clementi de Auximo, 6. Feb. 102 G, Ven. Emmanueli Mudarræ, 24. Febr. 143, B, Ven. Amaureæ Trochel, 27. Febr, 149. G. Ven. Mariæ Agneti Galuranæ, 15. Martii, 197 G. Plura revelabant Ven. Elisabethæ á Resurretione, 22. Martii, 223, C. Apparebant Ven. Hieronymo Lloscos, & visione unius capilli ejus nigri in albissimos mutati sunt. 27. Martii, 237, D. Apparebant Ven. Catharinæ Thomasiæ, 5. April. 266, E, & Ven. Franciscæ de Jesu, 18. Aprilis, 305, N. & Ven. Mariæ á SS. Trinitate, 25. Aprilis fol. 329 Lit. G.
D. Antonínus in óbitu visitauit Ven. Antoniam á Fonceca, & illam pignore donavit cælesti, 15. Januar fol. 44. Lit. C.
Aqua conversa est in vinum virtute S. Verdianæ, de qua bibentes sanati sunt. 1. Februar. fol. 89 Lit. D.
Arbor, tempore intempestivo, flores, & fructus produxit precibus. B. Jacobi Neapolitani 5. Februar. fol. 98. Lit. C. Ven. Ursula Igoza semper in ore habuit: Omnem arborem non ferentem fructum, tollet eum &c. 5. Martii fol. 170. Lit. I.
B. Archangela Panigarola prædixit Leoni 10 papatum, & societatem Jesu futuram: 17 Januar. fol. 50. Lit. C. Notandum est, Fr. Eliam à S. Therezia Carmelitam Excalceatum, per errorem illam in libro Legationis vocâre Archangelum Panigarollum.
Aves ad manus S. Walerici volitâbant, ut escas súmerent. 1. Aprilis fol. 252 Lit. B.
S. P. Augustinus sagitta transverberavit cor Ven. Franciscæ á S. Vincentio 1. Januar. fol. 4. Lit. X. Cum D. Josepho apparuit Ven. Mariæ á Fide, 17. Januar. fol. 51. Lit. N. Cum. Archangelo Michaele apparuit parentibus B. Angeli de Furcis, 6. Februar. fol. 101, Lit. C. Ejusdem visione Ven. Bernarda Figueres, & si esset monialis S. Francisci, inter nostrates hábitum assumpsit, 3. Martii fol. 165. Lit. H. Idem cum SS. Nicolao Tolent; & Guilelmo pluries apparuerunt Ven. Annæ á Vega, 28. Martii fol. 259. Lit. E. Etiam apparuit Ven. Catharinæ á Monte Carmelo, morti proximæ. 3. Aprilis fol. 258. Lit. H.

B

BAculus de cælo lapsus est ad S. Mocuvium Episcopum Endrumensem; 17, Martii fol. 203. Lit. B.
Basiliscum oratióne S. Joannes Abbas interêmit, 27. Januar. 76. D.
Cum baptizaret Ven. Petrus á Cruce cæcum infantem, iste in baptismo visum recepit. 22. Martii, 223. Lit. B.

Benedicta antiphona Ordinis quotidie recitabatur á Ven. Hieronymo Lloſcos, 27. Martii, 237. Lit. D.

B. Bernardus Novarienſis Laicus tantæ ſanctitâtis fuit, ut á P. Generali plura illi fuerint commiſſa, 7. Februar. 105, C.

S. Bertulphus pulſum præſtat in tumulo, quoties imminet aliqua ultio Divina: 3. Februar. 98. A.

Bedan aries erat cœnobii S. Finiani, & cum fures illum quidam ſurriperent, & furtum negarent, tunc S. Finianus arietem ſuo nomine Bedan vocavit, tunc aries ex ore furunculorum reſpondit, & furtum manifeſtavit: 16. Mart. 199, A.

In óbitu S. Braulii auditi ſunt cantus Angelici, dicentes: ſurge, ſurge, & veni, amice: & ille: præſto ſum: 26. Martii, 233, A.

C

AD primum campanæ ſignum ad chorum tendebat Ven. Joannes á S. Jacobo, 5. Martii fol. 170 Lit. E; & Ven. Hieronymus Lloſcos 27. Mart. 237, D. Campanæ per ſe ſonuêre in óbitu Ven. Catharinæ á S. Franciſco, 27. Mart. 237, F. & in óbitu plurimorum N. Ordinis, ſcilicet in óbitu S. Verdianæ, 1. Febr. 88, D. Ven. Aguſtina á S. Guilelmo incipiens opus grave, vix audiit ſonitum Campanæ ad chorum, ad illum perrexit, e quo ad cellam reverſa, idem invénit opus plene conſummatum: 8. Febr. 108. H.

Cantus ácredulæ auditus á S. Mocuvio, illum taliter recreâvit, ut cum in cœnobium rediret, invenerit, trecentos, & amplius jam annos tranſiiſſe, omnia enim nova invênit: 17. Martii, 203, B. Duo Monachi á Longobardis ſuſpenſi, poſt óbitum auditi ſunt dulces cantus édere: 14. Mart. 194, A. Cantus cæleſtes auditi ſunt in obitu Ven. Agnetis á SS. Sacramento, 29. Martii, 241, S.

Caput S. Herculani Epiſcopi, & martyris poſt 40 dies, ita corpori eſt conjunctum, u non videretur præciſum: 1. Mart. 156, C.

Cardinalatus recuſatus eſt á B. Guilelmo Cremonenſi, cum plus optâret corpus S. P. Auguſtini noſtratibus uniri: 28. Febr. fol. 152. Lit. M.

Ven. Franciſcus Martines graviter in caſtitâte tentâtus, é tumulo defuncti corpus abſtulit, & in cubiculum detulit, & illud amplexus, cum illo cubabat, & exinde, numquam in caſtitâte tentâtus eſt: 29. Jan. 80, D. Caſtitátem ſervavit Ven. Hilarius Patavinus vi ferri, ſanguinis, & famis: 29. Jan. 81, F. Caſtitátem ſervâvit S. Darludacha includens in calceamentis carbones ignitos, & exinde ſimilem non ſenſit tentatiónem; 1. Febr. 88, C. N. Ven. Ægidius á Præſentatióne vicit carnis tentatiónem igne, ubi combuſſit manum. 8. Febr, 107, E.

Catinus fractus á B. Cherubino de Aviliana miraculoſe conglutinatus eſt: 24. Martii B. fol. 228.

E cella vix exibat Ven. Joannes á S. Jacobo; cum eſſet vocatus á Collectore, erat enim Vicarius Prior, & non iret, vocâtus ſecundo reſpondit, non iſſe, quia januam cœnobii ignorabat: 5. Mart. 170. Lit. E.

Cera, quæ arſerat in exequiis Ven. Mariæ á Præſentatiône, in nihilo diminuta eſt: 7. Martii, 175, G.

Cerei in óbitu Ven. Manciæ compte in pondere multiplicati ſunt: 10. Febr. 114 Lit. F.

Cereus accenſus illæſus á B. Cherubino de Aviliana in mánica portâtus eſt: 24. Martii fol. 228. Cit. B.

Ciceronem légere prohibitus eſt Ven. Conſtantinus á S. Joanne Baptiſta, á B. Virgine, S. P. Auguſtino, & S. Thoma Aquinate; 18. April. fol. 304. Lit. F.

Ciliciis quatuordecim ſe cingebat Ven. Maria Thereſia de Jeſu, 6. Martii, 172, E.

Cicilio unius cubiti ſe cingebat Ven. Maria á SS. Trinitate, 31. Martii fol. 249. Lit. G.

Christus apparuit B. Christophoro Petronio isdem vestibus, quas iste cuidam pauperi tribuerat, dicens, illas illi postea esse remunerandas: 2. Januar, 8, C. In ultima ægritudine apparuit Ven. Genésæ á S. Didaco, 2. Januar. 11, E. In professióne B. Archangelæ de Panigarola, dicentis: Ego hodie me tibi trado; respondit: Et ego me trado tibi. Eamdem corona spinea coronâvit: 17. Jan. 50, C. In Cruce pendens apparuit Ven. Mariæ á Fide, & illam amplexus est dextra extensa. 17. Januar; 51, N. Indutus veste alba, & nigra apparuit B. Christinæ de Aquila, ob quam visiónem inter nostrates petiit admitti; 18. Jan. 55, B. Apparuit vulnerâtus, & in lectulo infirmus Ven Elizabethæ á Matre Dei, dicens: Inspice, quommodo ob hominum peccâta sum plagâtus: esto mihi infirmaria, ut meis plagis medeâre: 19. Januar. 58, L. Sibi desponsavit Ven. Josepham Mariam á S. Agnete, imponens collo ejus catenam ex auro contextam, & morti proximam bis vocâvit, dicens: surge, própera, veni, amica mea, formosa mea, veni, veni, & comitante B. Virgine, & undecim virginibus, & aliis sanctis, óbiit. 21. Januar. 52, E. Suam Crucem imposuit Ven. Ludovicæ á Salvatore, quo pondere in terram prostrata est. Altero die illi communicâvit Spinam suæ coronæ, in fronte infixam, unde terribiles passa est dolóres, 22. Januar. 64. M. In die Purificationis revelavit S. Thomæ de Villanova, in die Nativitâtis B. Virginis illum obiturum: 2. Febr. 92, N. In ejus látere visa est Ven. Anna á SS. Trinitate, & ex illo bibere suæ plagæ liquórem: 18. Febr. 132, F. Cum B. Virgine fuit magister Ven. Emmanuelis Mudarræ, 24. Februar; 145, B. In Cruce pendens dixit ad Ven. Mariam á S. Joseph, de nonnullis querentem: si me tenes, quid aliud curas? 29. Februar. fol. 135. Lit. C. E sacrario dixit Ven. Andreæ Lopes ab illo quærenti, cur illum ad Religiónem adduxerat? Huc te adduxi, ut mundi perditiónem deplores: & magis offendi á perversitâte eorum, qui suas sponsas in cœnobio clausas perturbant. 1. Martii fol. 157. Lit. G. In die Palmarum omnia sua tormenta Ven. Mariæ á S. Barbara manifestavit. 2. Mart. fol. 162. Lit. F. In Cruce pendens, séparans brachia, amplexus est. Ven. Esperançam á S. Augustino: 7. Mart. fol. 175. Lit. E. Apparuit Ven. Mariæ á SS. Trinitate, dicens, supra ejus humeros Crucem laboriosam positurus. 21. Martii fol. 218, M. Ut orans in Horto apparuit Ven. Annæ á Vega, 28. Mart. 239, E. Reduxit ad cœnobium B. Joannem Incontrium, hábitum dimittentem. 4. Apr. 260, D. Habitu nostro indutus quendam desperatum á morte liberâvit. 4. Apr. 261, Lit. E. Apparens B. Joanni Estaço, e vulnére lateris sanguinem effudit: 4. Apr. 261, F. Eidem in hostia apparens, é látere nectar propinâvit: ibi. Sub Cruce bájulans visus est á Ven. Elisabetha de Jesu Maria: 4. April. 261, M. Idem in Cruce apparuit Ven. Catharinæ Thomasiæ, dicens: Filia, tu mea eris: 5. April; 266 E. Apparens Ven. Joannæ á S. Nicolao, dixit: Adjuva me Crucem portáre: 13. April. 288 G. Apparens Ven. Mariannæ á S. Josepho, dixit: Tempus est, ut de me cures 16. Apr. 295, D. Spinis coronâtus in Cruce apparuit Ven. Constantino á S. Joanne Baptista. 18. April. 304, F. In Cruce pendens apparuit Ven. Esperançæ á S. Ritta, 22. Apr. 320, E. Idem cum Deipara, Angelis, & Sanctis Ordinis apparuit Ven. Mariæ a SS. Trinitate: 25. April. 329. Lit. G.

B. Christina de Vice-Comitibus, passiónis devotissima, pedem clavo ferreo transfixit. 14. Febr. fol. 123. Lit. A.

Columba insedit in choro in Cathedra Ven. Mariæ á Præsentatióne monialis S. Monicæ Lixbonensis, cum exiit ad fundationem Recollectarum Grilli, & ibi diutius sedit columba. 7. Martii, 175, G. Una apparuit super humerum S. Braulii, quæ ad aures ejus suggerebat dicenda: 26. Mart. 233, A. In columbæ specie ascendit in cælum anima S. Spei Abbatis, 28. Mart. 238. A. Columba candida volâvit ad humeros Ven. Simonis Moralis, cum hábitum esset assumpturus 19. April. 310, C. Ignea descendit super caput S. Birgittæ. 1. Febr. 88, B. Columna pendens in aere apparuit per triginta dies á die baptismatis S. P. Augustini, 24. April. 326. E.

Conversio Ven. Franciscí Clementis facta est, cum adesset comædiæ conversiônis S. P. Augustini. 24. Febr. 144, C. Per eamdem conversus Ven. Andreas Lopes de Torres, Religiónem petiit. 1. Martii, 156, G.

Consilia utilia ad bene in Religióne vivendum. 14. Jan. 41, D.

Corpus Ven. Poſſidonii Michaelis inventum eſt incorruptum. 19. April. 311, Lit. B. B. Petri Eugubini 20. April. 314. H. B. Andreæ á Monte Regali. 18. April. 306. D. Ven. Petri de Agurto. 24. April. 326. I. Ven. Andreæ Tolera 1. Jan. 3; B. Thadæi Canarienſis, 8. Januar. 23, F. S. Genovefæ 10. Januar. 28, D. Ven. Eliſabethæ á M. Dei, 19. Jan. 58, L. Ven. Chriſtophori Villarroel, 24. Januar. 70. C. B. Antonii de Amandula, 25. Januar. 72. B. Etiam B. Salvatoris de Tuza 22. Febr. 141, C. Ven. Blaſii Cordeiro, 30 Januar. 83. F. Ven. Auguſtini á Gratia 31. Januar. 85 E. Ven. Eliſabethæ á Cruce. 11. Febr. 116. E. Ven. Joannis á S. Guilelmo 14. Febr. 125 E. B. Angeli á S. Sepulchro 15. Febr. 126. D. Ven. Franciſci de Briones 16. Febr. 128 D, & 129. BB. Joannis Munos, Franciſci de Aguilar, & alterius, 24. Febr. 143. A. Ven. Franciſci Clementis 24 Febr. 144. C. S. Furiæi 25. Febr, 145. F. Ven. Ludovici Alvares de Toleto 8. Martii 176. D. BB. Clareræ, & Illuminatæ 9. Martii 180. C. Ven. Alexii de Menezes 10. Mart. 182 C. Ven. Eliſabethæ Ardetiæ 12. Mart. 188. D. Ven. Franciſci á Cruce 19. Martii, 211 F. B. Ugolini de Cortona, 21. Marti 217, C. Ven. Andreæ Tolera 25. Martii, 233, F. Ven. Serezolæ 26. Martii 234, G. Ven. Agnetis de Jeſu 4. April, 262, P. Ven. Bartholomæi á S. Maria, 9. April. 278, H. Ven. Mariannæ á S. Joſepho 16. April. 295. Littera D.

Curatiônis gratiam accepit á Deo Ven. Genéſa á S. Didaco. 2. Januar. 11. E.

Crux in quatuor ſui partes quatuor virtûtes repræſentat. 17. Januar. 50. C. Argentea apparuit Ven. Mariæ á Paſſiône. 18. Febr. 133. L.

Cymbala per ſe ſonuêre in óbitu B. Andreæ á Monte Regali 18. April. 304. D. Etiam in óbitu B. Juliæ de Certaldo ibi. E.

D

DÆmon Alapam inflixit Ven. Angelæ á S. Joanne Baptiſta. 28. Januar. 74, G. Opprobriis S. Caluppani fugatus eſt 3. Mart. 164 B. In lactuca ſedens proſſedit Mónacham, illam manducantem. 7. Mart. 174. A. Propellebatur á Ven. Gregorio á Conceptiône his verbis: Abi, niger maledicte &c. 15. Mart. fol. 196. Lit. F.

Dæmones conſpectum Ven. Martini Scalabitani fugiebant. 17. Januar. 50, E. Invidia virtûtis S. Fechini, & ſociorum, cœnobium, & omnia ſua in mare demerſêre &c. 20. Januar. 59. B, & 60. B. Supra illos imperium habebat S. Victor. 26. Februar. 149. A; & S. Sabinianus 28. Febr. 152, C. Poſſederunt accuſatores S. Bonifacii. 3. Martii, 164, A.

S. Davidis Archiepiſcopi natalis fuit prædictus á S. Patritio: 1. Mart. 164. A.

Ven. Didacus de Clavibus ſine nauſea accepit ſacramentum; & vomitum cujuſdam: 14. Febr. 123. B.

Dolores Chriſti patientis ſenſit Ven. Maria de Jeſu, & præcipue coronæ ſpineæ. 21. April. 318, D. Ven. Maria de Jeſu ſignata fuit quinque plagis. 2. Jan. 9, H. Etiam Ven. Catharina de Jeſu, & corona Spinea. 7. April. 272, H; Ven. Marianna de Corduba. 5. Mart. 170, F. B. Ugolinus Cortonenſis hábuit in látere vulnus láteris. 21. Martii, 212, C. Ven. Melchior de Arazil idem habuit, 30. Apr. Domus, in qua natus eſt S. Fechinus, magno eſt impleta ſplendore. 20. Januar. 59, B. & 60, B.

E

Ecce Homo, Chriſtus in hac forma apparens Ven. Joſephæ Mariæ à S. Agnete, illam vocâvit, dicens; Hora eſt jam de ſomno ſurgere; eamus ad chorum ad matutina recitanda. 21. Januar. 62, E. Sub hac forma vidit illum Ven. Lucia á Coſta. 13. Febr. 120. E.

S. Emerius, adhuc miles, panem á cælo accepit, quo fameſcentem exercitum Satiâvit: 27. Januar. 77, C.

F

F. Ven. Maria á Fide, dum baptizaretur, ſæpius manum, & digitum in Littera F. impoſuit, & ſic dicta eſt, Maria a Fide: 17. Januar. 51. N.
Faces per tres dies ſuper corpus Ven. Alipii á S. Joſepho apparuerunt. 17. Februar. 130, C.
Faſciculum juſſu Prioris B. Hieronymus de Recanate, ſtans mortuus in feretro, illi obtulit. 5. Mart. 169. C.
Ferrum ácutum habebat Ven. Catharina á S. Franciſco, ut in oratiône dormiens, expergefieret: 27. Mart. 237. F.
Fons aquæ ſaluberrimæ manavit é terra percuſſa baculo S. Deicolæ. 18. Januar. 53, A. Manâvit precibus B. Jacobi Neapolitani, 5. Febr. 98, C. Fons Vini manâvit precibus S. Victoris 26. Febr. 147, A. Precibus S. Caluppani alius manâvit: 3. Mart. 164, B. In fontis forma vidit Ven. Joſepha á S. Joanne Chriſtum ſuam animam irrigantem; 5. Mart. 170, H. Ortus eſt, ubi ortus cécidit S. Fechinus 20. Jan. 59, B.
B. Firmus mercâtor Africanus Sermone S. P. Auguſtini converſus eſt: 19. Febr. 135. A.
Ven. Florentina á S. Clara ſuſtinuit patienter mortem fratri ſuo illatam: 18. Februar. 133. H.
Flores de cælo accipiebat B. Julia de Certaldo, etiam in hyeme, quibus donabat pueros ſibi alimenta ferentes. 18. April. 307. E
Flumen Truentum trajecit pedes B. Hieronymus Recanatenſis 5. Mart. 169. C
Formicæ cælitus miſſæ B. Damianum de Udanços á pediculorum contagio Liberarunt: 21. April. 318, B.
S. Franciſcus Xaverius ſalutem impetravit Ven. Eliſabethæ Annæ á Conceptiône, 3. Januar. 12, F. & Ven. Mariæ ab Expectatiône, 5. Mart. 170, L.

G

Gentilis quidam damnatus, ſed reſuſcitâtus á S. Cronano, vix ab illo baptizatus eſt, ſtatim óbiit: 28. April. 337, C.
S. Getrudes appárens Ven. Genéſæ á S. Didaco deliquium paſſæ, illam aqua aſpergens, ſolata eſt: 3. Jannar. 11, E.
S. Gildas ducentos antes annos Hiſpaniam á Mauris prædixit occupandam: 27. Januar. 75, B.
Ven. Guiomar á Præſentatiône ſenſit in Corde Chriſtum ſub Cruce bajulum: 6. Febr. 102. F.

H

HA'bitum á Virgine Maria Ven. Eugenia Joannes ſuſcêpit: 6. April. 270. G.
Ven. Hélena de Nigris moriens ſine confeſſarii aſſiſtentia, illo præſente ſurrexit, & ad illum dixit, in paradiſum proficiſci: 18. Januar. 34. E. B. Hélena Utinenſis ſtans in féretro, & habens in ſinu Crucifici imaginem, caput elevavit, ut illam aſpiciens adoraret: 23. April. 322, D.

Hermeliones apparuerunt Ven. Mariæ Martins, 19. Febr. 135, C.
Ven. Hieronyma Bruſco poſt mortem apparuit, portans aliquas Umbras in hábitu, dicens, eſſe defectus nonnullos, & indigêre ſuffragiis: 14. Februar. 123. C.
Honores ádeo abhorrebat Ven. Maria á Viſitatiône, ut in ſupprioriſſam electa ægrotaverit, & paulo poſt obierit. 22. Febr. 142, B.
Hoſtia é manibus Sacerdotis ad os Ven. Mariæ á S. Joſepho evolâvit 29. Januar. 155, C.

I

AD ignem non accedebat B. Chriſtophorus Petronius, ut ſic Purgatorii ignem evitaret: 2. Januar. 8, C.
Ven. Maria Berenguier in hyeme ignem fugiebat, & in æſtate ſe multis induebat veſtimentis: 17. Febr. 130, F.
Ven. Innocentia ſpinula edocta á B. Virgine, quod mortem experta eſſet ante Ven. Angelam Spinulam, videns iſtam jam jam morituram, de hoc ad Virginem queſta eſt, & ſic poſt duos dies, febre correpta, prior óbiit, & ſequenti die Ven. Angela: 2. Febr. 91. I.
Incendium magnum ſuis precibus Ven. Maria de Jeſu extinxit. 31. Mart. 249, F.
Ven. Joanna Sermet pridie communiónem nil loquebatur, ne os macularetur. 3. Febr. 95, D.
Ven. Joannes Alvarado vidit Chriſtum in via amaritudinis Crucem bajulantem, & ſibi dicentem: Remittuntur tibi peccata tua: & alibi, dubius de ſua ſalute, invênit in manu ſua ſcriptum: Gloriôſus finis. 11. Januar. 30, D.
B. Jordanus Saxo vidit S. P. Auguſtinum, é tumulo non bene conſtructo egredientem: 20. Januar, 59, G.
Imber non cadebat ſuper auditores B. Sancti de Cora, licèt in agris prædicâret: 6. April. 269. B.
Inſtitutrix prima feſtivitâtis Corporis Chriſti fuit B. Juliana Leodienſis, ad id á Chriſto ſpecialiter electa: 5. April. 265, A.
B. Iſajas Bonardus Virginis ope vitam reſtituit defuncto, & in ſua morte fuit viſitâtus á B. Virgine, & aliis ſanctis Poloniæ: 8. Febr. 107, C
S. Iſidorus aquam portavit Ven. Eliſabethæ de Jeſu Mariæ, 4. Aprilis 261. M.
Infirmarius quidam viſus eſt á Ven. Guilelmo á S. Francisco in purgatorio, defectus erga infirmos purgans. 9. Martii fol. 180. Lit. E.
S. Itta per Angelum ducta eſt, ut â Sacerdote per quadraginta millia diſtante communicaretur. Vila eſt inter tres ſoles. Præſagivit puerum victurum eſſe ſeptem annos, ſeptem menſes, ſeptem dies, & ita contigit. 15. Januar. fol. 44, C.

L

VEn. Auguſtinus de Arboleda, etſi jam magiſter laureatus, uſque ad óbitum exercuit lecturam, & legens materiam de Beatitudine, ſe breviter moriturum prædixit. 7. Mart. 174, C.
Cum Ven. Maria á S. Ignatio lebétem in puteum induceret, & elevaret, vocata ab Abbatiſſa, lebetem dimiſit, obedientia coacta, ſed lebes in aere manſit ſuſpenſus, cum omnium admiratiône. 14. Januar. 40. G.
Lambens ægrotorum ulcera B. Joſeph de Parada, illa ſanabat: 4. Martii, 167, B.
Lignum aridum fructificâre fecit Ven. Joannes de Villanos, dicto P. N, & Ave Maria. 5. Mart. 170, D.
B. Lucia Lanteri vocâta eſt á Chriſto ad noſtram Religiónem, dicens, illam eſſe reformatam: 25. Mart. 233, A.

Lilium egreſſum eſt ex corpore B. Ugolini Cortonenſis, 21. Martii. 217. C: & ex corpore *B.* Cherubini de Aviliano. 24. Mart. 228. *B.*

Luces quinque viſæ ſunt ſuper corpus Ven. Joannis Morejon in flumine, quo merſus fuerat, & ibi locutus eſt cœnobii Sacriſtæ, ut ſepeliretur in loco ſacro, & ab euntibus Fratribus, decreſcentibus áquis, repertum eſt ejus corpus &c. 6. Martii 172, B.

Lumen oculorum amiſit Prior, cupiens corpus *B.* Arrighi de Miratorio amovêre, & transferre: 7. April. 271. D.

Lux maggna apparuit in cubiculo S. Severini Abbatis morientis: 11. Februar. 116, A. Et quando natus eſt S. Berachius, 15. Febr. 125, *B.* Et in óbitu Ven. Urſulæ á SS. Trinitate. 18. Febr. 133. G. Hæc viſa eſt & in morte Ven. Thereſiæ de Jeſu, 11. Mart. 186, M. Sicut etiam in óbitu Ven. Joſephæ á Matre Dei: 28. Mart. 239, H. Et in cubiculo Ven. Catharinæ á Sepúlchro. 29. Mart. 241. H. Sicut etiam, cum óbiit Ven. Eliſabeth. de Noronha, 3. Aprilis. 258. G. Et quando óbiit S. Gurlacus: 11. April. 283. A.

M

CUm quidam devotus Ven. Andreæ Lopes, illius apprehenderet manum in feretro expoſiti, poſtulans, ut illius ante Deum eſſet memor, defunctus devoti manum conſtrinxit. 1. Martii 157. G. Manus ejus, qui occidit *B.* Joannem del Corral, paralitica permanſit. 12. Mart. 188, C. Ven. Lucæ á Reſurrectiône, poſt mortem inventæ ſunt manus incorruptæ, 18. Mart. 210, D. Sicut etiam Ven. Joſephi á S. Auguſtino: ibi. Per manum inviſibilem communicata eſt Ven. Maria Biſegno 16. Apr. 295. G. Mare S. Aydanus bis trajecit, una vice peditans, & altera equitans, ſine Læſiône, 31. Januar; 86, A. Idem, fecit Ven. Blaſius Cordeyro, 30. Jan. 83. F.

B. Virgo Maria apparuit 8. Mariannæ, præcipiens, ut Matricalenſe cœnobium fundaret: 28. Febr. 152. Lit. F. Etiam Ven. Joſepho Ramos, & illi dixit ſuam vocatiónem eſſe, ut tranſiret ad Carthuſianos. 13. Mart. 193, G. Ven. Agneti á S. Getrude. 17. Mart. 204. S. Sæpius viſitavit *B.* Luciam Lanteri, & illam duxit ad inferni, Purgatori, & Cæli Loca. 25. Mart. 231, *B.* In calice præbuit ſapientiam B. Hermano de Halles. 31. Mart. 248. B. Eadem apparuit cuidam Turcæ, ut in omnibus obediret Ven. Franciſco á Cruce, 31. Martii, 249. C. Eadem Ven. Franciſcum in óbitu viſitavit: ibi. Bis apparuit Ven. Catharinæ á Monte Carmelo, ut noſtra fieret Monialis. 3. April. 258, H. Multoties viſitavit Ven. Conſtantinum à S. Joanne Baptiſta, 18. April. 304. F. Eadem liberavit Ven. Petrum Suares, adhuc puerum, ferro ſuffocatum, 3. Jan. 11. D. Apparuit Ven. Genéſæ à S. Didaco in ultima ægritudine, 3. Jan. 11. E. Sanavit Ven. Albertum de Jeſu in capite Lethaliter Vulneratum, 9. Jan. 26, H. Confirmavit Ven. Joannem de Alvarado, ne ab Ordine diſcederet. 11. Januar. 30, D. Patrimonium dedit Ven. Coſmæ à S. Franciſco, ut Sacris initiaretur. 14. Januar. 41, F. Multis favoribus Ven. Angelam à Conceptiône Locupletavit, 18. Jan; 54. C. Apparuit Ven. Mariæ à S. Ignatio, promittens in hora mortis ejus adfutura: 22. Jan. 64, E. Apparuit matri S. Emerii, dicens: Ne timeas, rogavi Filium meum, ut tibi fructum benedictiónis daret, 27. Jan. 77. C. Pluries Ven. Paulum Barlettam á dæmone ſauciatum conſolata eſt. 2. Febr. 95. F. Apparuit Ven. Carolo à S. Nicolao, admonens, ad vincendas tentatiónes eſſe remedium légere Evangelium S. Joannis, & vitam S. Getrudis. 6. Febr. 102, D.

Ven. Jacobum Lopes annulo Sponſæ ſubarrhavit, 1. Mart. 137. H. Cum Puero Jeſus adfuit Sermoni Ven. Jacobi Lopes, in feſto S. Annæ, & in fine dixit Puer Jeſu Matri: Nonne bene prædicavit Fr. Jacob de mea avia? Ibi. Eadem illum potavit ſuo lacte, ibi. Sæpius apparuit Ven. Mariæ à S. Barbara 2. Mart. 162, F: Sic etiam Ven. Annæ de Jeſu 19. April. 311. G. Cum *B.* P. Auguſtino, & S. Nicolao Tolentinate

lentinâte visitâvit B. Hélenam Utinensem, 23. April. 322. D. Cum Puero Jesu, & P. Augustino apparuit Ven. Mariæ á Salvatore 25. Apr. 329. H. Comitâta est in cælum animam Ven. Marii Forsaçinei 28. April. 337. D.
S. Maria Magdalena Sæpius apparebat Ven. Guilelmo á S. Francisco, & illum solabatur 9. Mart. 180, E.
Mariæ nomen impositum est, cælo revelante, Ven. Mariæ Raymundes 10. Mart. 182, E.
Ven. Maria á Fide fuit præacuto jaculo transverberata: 17. Jan. 51, N.
Ven. Maria á S. Vincentio récitans septies P. N, & Ave Maria D. Josepho, á gravi infirmitâte convaluit. 8. Febr. 108. G.
Ven. Maria á Passiône ante mortem vidit juxta se Crucem argenteam. 18. Februar. 133. L.
Ven. Maria Martins diutius vixit in Eremo solitaria, 19. Febr. 135. C.
Matrimonium contrahens S. Henricus, in nocte nuptiarum á Deo admonitus, Sponsam reliquit, & eremum petens, ibi sancte óbiit, 16. Januar. 46, F.
B. Mauritius de Proeta, adhuc puer fecit miraculum de pannis, eos in eâdem cortina diversimode tingens. 20. Febr. 138, A.
In Missa plures accepit favores Ven. Mathæus Ximenes, 8. Jan. 23, H.
S. Modomnocus in Hiberniam pergens, & in cœnobium revertens, semper ab apibus sequebatur &c. 13. Febr. 120. B.
Ven. Mónica Mediolanensis vidit Christum suscipientem in Sponsam B. Archangelam de Panigarola. 17. Januar. 51, L.
Michael Archangelus cum B. P. Augustino apparuit parentibus B. Angeli de Furcis, 6. Febr. 101, C.
Mortis hora S. Pii Quinti revelâta fuit Ven. Catharinæ Thomasiæ. 5. April. 266. E.
Multiplicâvit Deus Ven. Antonio Ripoll Eleemosynario esculenta pauperibus danda: 2. Febr. 91. H.

N

B. Nicolaus de Tinis horreum vacuum adimplevit, & vini doliolum, & Guidonem suspendio necatum suscitavit. 9. Febr. 111. D. Ven. Nicolaus de Tolentino Lusitanus repetens illud: exaudi, Domine Jesu Christe, preces &c, in extâsim rapiebatur. Fuit reformator Ordinis S. Eligii. 12. Febr. 118. D.
S. Nicolai de Tolentini imago marmorea in óbitu Eugenii 4. Sanguine manavit. 23. Febr. 142. C.
A nube ductus S. Mochua Abbas monasterium Ballense fundavit. 1. Januar. 2, F. Nubes apparuit Ven. Didaco de Arce, exqua novit quandam personam illustrem esse damnatam. 9. Januar. 26. F.

O

VEn. Joannes Baptista á S. Jacobo post mortem apparuit, & interrogatus, an esset mortuus? Respondit, non, quia vere obediens non obit ante Deum. 15. Martii 196. E. Vide supra Lit. L. Verbo Lebes. Odor suavis manabat é corpore Ven. Elisabethæ á Matre Dei, 19. Januar. 58. 5. E Sepulchro Ven. Joannæ á S. Michaele. 17. Febr. 130. G. E corpore Ven. Placidæ Antoniæ á Nativitâte, 10. Martii 182. G. E corpore Ven. Jacobi Lopes Odor gratissimus, velut hortus amænus, exibat: 1. Mart, 157, H. E corpore Ven. Monicæ Ferrer, 21. Mart. 21. L. E Sepulchro Ven. Columbæ ab Spiritu Sancto, 11. Mart. 186. N. Ab oratiône exiens Ven. Marianna á Cruce, vultum trahebat inflamatum. 27. Febr. 149, I. Oratio Angelica

gelica juſſa eſt multoties dici per B. Luciam Lanteri : 25. Mart. 231, B. Oratio Angelica in Sermonibus á B. Alberto Patavino dici introducta eſt. 3. April. 257. A.
De Ornamentis Eccleſiæ, prius, quam de Fratribus, curabat Ven. Hieronymus Lloſcos, cum eſſet Prior. 27. Mart. 237. D.
Oſculum accepit á Chriſti imagine Ven. Marianna Piquer morti proxima : 2. Januar. 9, F.
Ven. Blaſius Cordeiro ferens ova in manibus extra Scapularium, de hoc argutus á Priore, illa dimiſit é mánibus, quæ tamen illæſa permanſêre. 30. Januar, 83. F.

P

VEn. Maria Magdalena ádeo a parentibus, & conſanguineis ſemôta erat, ut etiam Prioriſſa neptim ſuam recipere noluerit. 1. Mart. 157, L.
Paſſeres ad feneſtras Ven. Aloyſii de Jeſu Maria Sæpius cantare ſunt auditi : 29. Mart. 240, G.
S. Petrus de Alcantara in cubiculo Ven. Eliſabethæ de Jeſu Maria miſſam celebravit : 4. April. 261, M.
Ven. Petrus Paſtor divinitus deputâtus eſt Pater ſpiritualis Ven. Mariæ Joſephæ de Jeſu Carmelitæ diſcalceatæ, 28 April. 337, F.
Pro Philippo 4. Caſtellæ Rege rogavit Ven. Franciſcus de Jeſu, dum ille eſſet agonizans, ad ſalutem æternam conſequendam. 18. Aprilis 305, N.
Ven. Franciſcus Martines dicebat majorem rationem prælatos daturos eſſe pro una regiminis hora, quam ſubditos pro duobus annis. 29. Januar. 80, D.
A Puero Jeſu accepit Ven. Franciſcus á S. Vincentio quoddam donum, per quod perpetrata ſunt plura miracula. 1. Jan. 4, X. Idem Puer in die ſui natalis apparuit B. Petronillæ Petræ, & ad manus illius exiliens, illam recreâvit. 11. Jan. 30, C. Apparuit Ven. Mariæ á S. Ignatio, & culpas ejus leves arguit, quo audito, quaſi moritura defecit, ſed á Puero fuit conſolâta, 22. Januar. 64, E. Apparuit B. Simoni de Caſſia cum calice, de quo bibens B. Simon, extra ſuos ſenſus manſit. 2. Febr. 90, C. Quingenties adorabatur á Ven. Thereſia de Jeſu, 11. Mart. 186, M. Apparuit Ven. Joſephæ á Nativitâte, adhuc Novitiæ, & illam interrogavit, ſi illum pro Sponſo voluerit ? Et cum illa annuiſſet, tunc Puer illius manum apprehendens, cum illa ſponſalia celebravit. 12. Mart. 189, I. Apparuit ter Ven. Hélenæ á S. Joſepho, & illam de morte admonuit breviter futura, 19. Mart. 211. I. In hoſtia apparuit B. Luciæ Lanteri : 45. Mart. 231, B. Apparens Ven. Eliſabethæ ab Angelis, illam ad meliorem vitam reduxit. 1. April. 252. E. Annulum Sponſæ præbuit Ven. Franciſcæ de Jeſu, cum tertium ætatis annum haberet. 18. April. 305. N.
Puer quidam vidit ſcalam, per quam animam B. Stephani Arvernenſis in cælum aſcendebat : 8. Febr. 107, A. Puer quidam ſalvatus méritis Ven. Mariannæ á D. Paulo, illi apparens, dedit tres monetas, unam velleris, aliam argenti, & tertiam auri, dicens in his meritorum diverſitatem hominum ſignificari, 25, April. 329. E.
Pueri duo corpus S. Furſæi, ut litem dirimerent, ad ſepulchrum duxêre : 16. Januar. 46. E.
S. Aydanus meruit á Deo accipere, ut é purgatorio quotidie uſque in diem judicii animam unam liberaret. 31. Januar. 86. A. E purgatorio apparuit Ven. Hieronyma Bruſco poſt mortem, habens hábitum nonnullis umbris maculatum, dicens illas in purgatorio purgare, & indigêre ſuffragiis. 14. Februar. 124. C. & 125. Purgatorii animæ apparebant Ven. Annæ á SS. Trinitate, tanquam ſuo refugio. 18. Februar. 132. F.

R

RAnæ obſtrepentes ſiluerunt juſſu B. Jacobi de Cerqueto 17. April. 299. D.
Ven. Joſeph Simon votum fecit ingrediendi Religiónem, quorum Fratres prius vidiſſet, noſtros prius obvios habuit, & ſic inter noſtros admitti poſtulavit. 27. Febr. 149. D.
Quoties aliqua monialis erat obitura, é cælo fiebat revelatio Ven. Caſſildæ á S. Paulo ut præpararentur cæteræ ad mortem. 12. Martii 188, F.
Ven. Iſotta Pellaguſi juſſu prælatæ in ſummo hyemis frigore viridarium ingreſſa, roſam pulcherrimam invênit, & attulit Prælatæ, 2. Januar. 9. G.
Ven. Antonius Ripoll panes pauperibus déferens, ut latêrent priorem, illos convertit in roſas. 2. Febr. 91. H. Ven. Franciſca de Jeſu videns hortum roſis plenum, & Dominum in illo roſas colligentem, intellexit nonnullas é ſuo cœnobio breviter eſſe morituras, & ſe ex illis eſſe unam, ut contigit. 18. Aprilis 305, N.
Ven. Lucia á S. Petro poſt mortem viſa eſt ante Crucem roſarium recitans, quia erat in purgatorio leves purgans culpas, & pro illis tribus ſacrificiis celebratis, in cælum aſcendit. 19. Januar. 56, H.
Tanquam rubus S. Itta, adhuc infans, viſa eſt ardêre, & non comburi, 15. Januar. 44, C.

S

B. Petronilla Petra quotidie 33. vicibus Sacramentum altaris adorabat in honorem triginta trium Chriſti annorum. 11. Januar. 30, C. Ven. Nicolaus Puig divinitus cognovit, unde eſſe ſacramentum raptum á quodam Gallo, dicto Joanne Criſol. 31. Januar. 85, F. & 87, F. In die natali Domini célebrans Sacramentum B. Ludolphus da Camoslaria, vidit in calice guttas claras erumpere. 4. Martii, 167 A. Ven. Marianna de Corduba Sæpius ab Evangeliſta recêpit Sacramentum. 5. Mart. 170, F. Ven. Didacus de Clavibus fuit devotiſſimus Sacramenti: unde illud miniſtrans cuidam Indo, qui illud evomuit, ipſe ſine nauſea particulam cum vomitu aſſumpſit.
B. Salvator de Tuza per 14. annos nudipes ambulavit, & pluribus claruit miraculis. 22. Febr. 141. C.
Ven. Franciſca á S. Vincentio á S. P. Auguſtino créditur per corda fuiſſe ſagitta tranſverberata. 1. Januar. 4. X.
Sanguis manavit ex corpore defuncti Ven. Marci á S. Anna. Laici, 2. Martii 162, D.
Scalam e cælo terram tangentem aſpexit Ven. Maria á S. Joſepho, ex qua plures é primo gradu., & quamplures e medio cadebant, & pauci culmen ſuperabant. 24. April. 326. G.
Ven. Maria ab Expectatiône cælitus adepta eſt mirabilem ſacræ Scripturæ intelligentiam. 5. Mart. 170, L.
Ven. Sebaſtianus Toſcanus ſermonibus ſuis ad meliorem frugem convertit Ven. Mariam de Abranches, 1. Januar. 3, S.
Ségetes in una nocte creverunt, & aruerunt precibus B. Jacobi Anconitani. 17. April. 310. F.
Silentium B. Bandini detinuit furem cœnobii áſellum rapientem. 11. Mart. 185. G.
Silentium Ven. Mariæ ab Incarnatione tale fuit, ut, licet in cœnobio ignis arderet, vel latrones ingrederentur, nihil proferret; 16. Mart. 199, F.
Signum fit in ſepulchro Ven. Joſephi Ramos, quoties aliquis frater obiturus eſt. 15. Mart. 196. C.

Sol ſtetit, dum S. Fechinus ad cœnobium pergeret. 20. Jan. 59, B.
Somnum per duas tantum horas Ven. Eliſabeth Mançanado protrahebat. 13. Febr. 120, C.
In die óbitus Ven. Mariæ de Jeſu Goenſis omnes moniales ægrotantes ſoſpitatem receperunt, & ejus exequiis adfuêre. 2. Januar. 9. X.
Spiritus Sanctus in ſpecie columbæ apparuit in Eccleſia, ubi prædicâbat Ven. Jacob Lopes; & ſupra illius caput ſedit, dum prædicâvit. 1. Mart. 157 H. Edocuit Ven. Columbam ab Spiritu Sancto, & parentum implevit deficientiam. 11. Mart. 186, N. Viſibiliter cécidit in die Pentecoſtes ſuper Ven. Mariam Paracleti. 19. April. 310, F.
Super ſpinas ſe volutâvit B. Albertus Senenſis, ut vinceret gravem carnis tentatiónem. 10. April. 281, A.
Splendor exiit é Crucifixi imagine, qui excæcavit circunſtantes, cum Ven. Philippa Correa expiravit, & oculos in Crucifixum infigeret. 8. Mart. 177, F. Alter viſus eſt ſupra caput Ven. Mariæ Raymundes orantis. 10. Mart. 182. E.
Stella duce tres Virgines Ordinis mantellatæ Fulgini, quo loco illa ſtetit, monialium cœnobium erexêre. 6. Jan. 18. B. Stella óbitum Ven. Mariæ á Fide præſignavit. 17. Jan. 53, N.
S. Stephanus Ratenſis amicos, á quibus magis offendebâtur, nuncupabat. 13. Februar. 119. A.

T

TE Deum cantarunt Angeli ſupra S. Henrici Eremitæ cubiculum. 15. Januar. 46. F. Te Deum etiam cecinit B. Petrus Eugubinus cum Fratribus in matutinis, & Fratres inquirentes, quis eſſet, qui tam ſuaviter decantabat, aperto ejus Sarcophago, illius corpus invenerunt in genua flexum, & ore áperto. 23. Martii 225. E.
Corpus S. Teliônis Epiſcopi, cum tres parochi illud ad ſuam vellent Eccleſiam deportâre, in tria corpora ſimilia mutatum eſt, & ſic quilibet parochorum ſuum detulit. 9. Febr. 111. E.
Terra, in qua Ven. Joſephus Ramos pedes poſuerat, á multis oſculabatur. 15. Mart. 182, H.
Ven. Thereſia de Jeſu ſponte á quadam fæmina quotidie ſepties per humum raptari, & totidem ſalivis fædari voluit. 2. Febr. 91, L.
S. Thomas á Villanova multoties Ven. Barbaræ March apparuit. 10. Mart. 182. H.
Ex tonitru magnam concipiebat lætitiam Ven. Hieronymus Lloſcos dicens, per illum ad pœnitentiam excitari peccatores. 27. Mart. 237. D.
Viſione S. Toribii mota eſt Ven. Antonia ab Aſſumptione, ut Religiónem amplecteretur. 3. Jan. 12. G.
Ven. Magdalena á Chriſto ante mortem viſa eſt ante tribunal Chriſti reſidêre, tenens ante ſe ingentem pecuniæ acervum, ut ſi quid deberet, Chriſto ſolveret. 12. Jan. 33. M.
Triſtis erat Ven. Margaritta á Salvatore, non habens, quid pauperibus erogaret, & aliquando non habens, invênit arcam panibus refertam. 13. Januar. 36. H.
Tumulus B. Cheſii á S. Miniato, quoties aperîtur, toties odorem ſuaviſſimum exhalat. 10. Februar. 114. C.

U

COntra veneficia eſt ſingularis patrônus S. Lactinus. 19. Mart. 211, B.
Victoria Hiſpanorum contra Gailos revelâta eſt eodem die á Ven. Agnete de Jeſu, de civitâte Barchinonenſi, 4. April. 262. P.
Ven. Catharina ab ſpiritu Sancto, dicens: Quommodo, vos, ó ſancti, tantam

tam adepti estis gloriam? Audivit sibi dicentem vocem: vincendo. 7. Januar. 21, I.
S. Vincentius Ferrena duo ante sæcula Ven. Jacobi Lopes natalem vacinâtus est: cui prædicaturo idem apparuit dicens, non tuum sed meum prædicabis Sermonem. 1 Martii 157, H.
Virgines decem nostri Ordinis é cælo descendentes feretro B. Oringæ defunctæ ad fuêre. 4. Januar. 14, B.
Virginitatem illibatam Ven. Marianna Piquer, & alii plures, ut passim in hoc volumine constabit, servavere. 2. Januar. 8, F.
Mater S. Emerii somniâvit in alvo vitem habere, quæ omnem terram tégeret, subtus quam erat columba é cælo delapsa. 27. Januar. 77. C. Vitis mirabilis visa est á B. Clara de Monte Falcho, cum in ejus cœnobium B. Christina admitti procuraret, 7. Martii 174 B.
B. Vittus de Pannonia, tumulo jacens, vix in eodem sarcophago alter tumulatus est, eum fecit reviviscêre. 23. Januar. 67. Lit. D.
Pars corporis S. Honorati unita alteri, illi unita est sine ulla divisiône, 20. Jan. 59, D.
Ursulinæ, cælo revelante, fundatæ sunt á B. Angela Brixiensi: 21. Martii 217, D.
S. Launomárus agnovit denarios sibi oblatos esse per usuram acquisitos, & illos ab aliis discrevit. 19. Januar. 55. C.
S. Vulfranus Episcopus super aquas ambulauit. 20. Mart. 199. A.

FINIS



ERRATA

HUJUS PRIMÆ PARTIS,

Quæ, me abſente, Bibliopólæ inertia irrepſérunt.

	Errata.	*Lege.*
fol. 4.	reg. 36. Sacrifici	Sacrificii.
fol. 7.	reg. 37. Induit	Induerit.
fol. 9.	reg. 5. Moniali	Monialis.
fol. 10.	reg. 29. col. 2. Rare	Raro.
fol. 11.	reg. 3. Januarii 11.	Jan. 3.
ibi	reg. 32. qua	Aqua.
fol. 12.	reg. 2. Segabiæ	Segorbiæ.
fol. 13.	reg. 3. Turneris	Turturis.
fol. 16.	reg. 20. In Religione	in Religionem.
fol. 20	reg. 12 afine, virtutẽ,	virtutũ.
fol. 21	reg. 15 ſanctiſſima	ſanctiſſimæ.
ibi	reg. 4 afine, cæ obio	cænobio.
fol. 26	reg. 2 effabilitate	Affabilitate.
ibi	in fine ſummums	S. dele.
ibi	dum de S. Adriano, in Anglam	in Angliam.
fol. 30.	Quarto idus	Tertio idus.
fol. 34	reg. 16 Potuit	non potuit.
fol. 36	reg. 8 Catholago	Cathalogo.
ibi	Lit. S. reg. 2. Depoſirio	Depoſitio.
fol. 37 §	Hic poſſumus reg. 8. nqnulli	nonnulli.
fol. 38 §	Patet in fine, Ordines	Ordinis.
fol. 44	Lit. C. reg. 3. Fama reſte	teſte.
ibi	de S. Itta col. 2. reg. 6. qnia	quia.
fol. 47	reg. 10 Ludaici	Ludovici.
fol. 49	col. 2. reg. 2. obrutis, obrutus eſt.	
fol. 51	reg. 3. orarione	oratione.
fol. 56	in fine Lit. G. munita, unita dele	unita.
ibi	Lit. H. ubi tamen, lege	tantam.
fol. 57	col. 1 reg. 15 950	650.
fol. 58	Litt. S. reg. 8. Inter Ilias	inter illas
fol. 61	Litt. A. reg. 5. Impluit	Implevit.
fol. 62	reg. 38 in fine, & am,	etiam.
ibi	reg. 39 ſuimebat	ſumebat.
ibi	reg. 44 confolatus	conſolatus.
fol. 64	reg. 11. ſinferus	ſincerus.
fol. 70	reg. 22 Lit. D. exequii	exequiis
fol. 74	col. 2. reg. 6. cænobiæ	cænobio.
fol. 78	col. 2. reg. 3 1982	1682.
fol. 79	reg. 6. obſerxantiſſimus	obſervantiſſimus
ibi	col. 2 reg. 2 Lit. E. Prio	Prioris.
fol. 75	Dies XXIII.	XXVI.
fol. 84	reg. 13 Die	Diem.
fol. 85	reg. 16 conv rſionem	converſionem.
fol. 88	reg. 4. Regulari atis	Regularitatis.
fol. 90	col. 2 reg. 2 a fine, Pueſo,	Puero.
fol. 91	col. 2 reg. 14. cænobip	cænobio.
fol. 92	reg. 3. oaret	oraret
fol. 94	Lit. D. col. 1. reg. 11. Fancte	Sancte
fol. 94	reg. 8. Petru	Petrus
fol. 98	reg. 8 a fine, Poſte	Poſtea.
fol. 101	col. 2 Lit. N. reg. 8 conſũmatio	conſummato.
fol. 102	reg. 20 Matificationibus	Mortificationibus.
fol. 105	in comment. col 2. reg. 8 Ordinir	Ordinis
fol. 106	Lit H. reg. 12 Barthomæi	Bartholomæi.
fol. 109	in Hymno col. 2 reg. 8 Feſtata	Teſtata.
fol. 117	col. 2 Lit. E. reg. 7 1670	1674.
fol. 120	reg. 9 Appellans	Appellens.
ibi	reg. 12 E Elihiabethæ	Elizabethæ
fol. 124	Lit. A reg. 5 ſecutus	ſecuta
ibi	reg. 15 qni	qui
fol. 129	reg. 22 Tan	Tandem
fol. 130	reg. 39 Rie	Ire.
fol. 131	reg. 21 col. 1 Monaſterio	Monaſteria.
fol. 132	reg. 21 etat.	erat.
fol. 133	in comment. col. 2 reg. 23. qui	quia.
fol. 137	reg. 30 Pzauperatus	Pauperatus
fol. 139	col. 2 reg. 4. ſtaru	ſtatu
fol. 140	reg. 17. Lit. B. ſimul Bando aldo, ſimul cum *Bandoaldo.*	
ibi	reg. 19 Quærentur,	quærerentur.

ibi

Errata	*Lege.*
ibi col. 2 reg. 9.	S. Antonio S. Antonii.
ibi Litt. G. reg. 1.	December Decemb.
fol. 141 col. 2 reg. 3.	Navem, Naves.
ibi reg. 5	chorcæ choreæ.
ibi die 22 reg. 2	in Religio in Belgio
ibi reg. 12	Vocauit Revocavit.
ibi Lit. D.	In cænohio in cænobio.
fol. 142 reg. 4.	opperatus operatus.
ibi Lit. B. reg. 11	In ſua Diario In ſuo Diario.
ibi col. 2. Lit. E reg. 2.	Reformationes, Reformationis.
ibi die 23 reg. 10	cum eum.
fol. 143 col. 1. reg. 5.	1156 1256.
ibi col. 2 Lit. C. reg. 4.	Admiranda Admirandis.
ibi Lit. D. reg. 3.	Priores Prioris.
ibi die 24 reg. 6.	Seguntino Saagũtino.
fol. 144 in fine Lit. B	coronandũ coronandam.
ibi col. 2 Lit. C reg. 10	Lervata Larvata
ibi reg. 17	craſtris caſtris.
fol. 145 die 25 reg. 4	epiſcephi epiſcopi.
ibi reg. 13	ſæpit cæpit.
ibi reg. 22	Pironæ Peronæ
ibi reg. 23	Eusberto Ausberto.
fol. 146 col. 2 reg. 6.	Lionina Leonina
ibi in epitaph. reg. 1	valerii Valerii
ibi reg. 10	Ibernia Hibernia.
fol. 147 reg. 4	ſuper dæmonios dæmonia.
ibi reg. 2 in fine	cultos cultus.
fol. 149 reg. 6	Barchinæ Barchinone.
ibi reg. 9	Purgatori Purgatorii.
ibi in fine, reg. penult.	Leovigidi Leovigildi.
fol. 150 reg. 11	gloriam glorioſus.
ibi reg. 22	Lato calamo Adde Aſſerunt.
ibi reg. 29	Barchinonæ Barchinone
ibi col. 2 reg. 5	Ad cælum Ad calcem.
ibi reg. 8	Proſternent Proſternant.
fol. 151 col. 1 reg. 2	In Ibernia in Hibernia.
ibi die 28 reg. 8	ſudalitatem ſodalitatem.
fol. 152 reg. 4	cournit couniri.
ibi reg. 3 a fine	Benignite Benigniter
fol. 153 reg. 16 col. 1	Tarnatenſes Tarnatenſis.

Errata	*Lege*
ibi col. 2 reg. 14	Romanus Romanũ
ibi in fine	1580 580.
fol. 154 col. 1 reg. 9	Leayſa Loayſa.
ibi Lit. C. col. 1 reg. 1	Late Lato.
fol. 155 reg. 7	caxo ſaxo.
ibi reg. 9	De ſertom. 11 De ſanctis tom. 1.
ibi die 29 reg. 10	queretur quererétur.
ibi reg. 13	Hae adde Die.
fol. 156 reg. 6 a fine	Poſtulavit Poſtulaverit.
fol. 157 reg. 17	Toto Tota
ibi reg. 2	ſuo puriſſimo recreatus adade coloſtro.
ibi reg. 34	S. Julianis S. Juliani.
ibi reg. 41	virtutis virtutes
ibi reg. 3 a fine	Teſtimoniam Teſtimonium
fol. 158 col. 1 reg. 27	S. SS. Hiberniæ
ibi reg. 3 a fine	Noſtris Noſtri
ibi col. 2 Lit. D. reg. 12	Premi Primi
ibi reg. 14	ſanctitatis ſanctitate
fol. 159 reg. 7 col. 1	Prætereumdem Prætereundum.
ibi reg. 16	clemen clementem.
ibi § ex exteris reg. 4	Poſthumes Poſthumis.
ibi in carminibus *V.* 1	ſidere ſidera.
fol. 160 n. 4	Inter Aſutas Aſcetas.
ibi n. 12	ſenſi ſenſit.
fol. 161 n. 16	Jocobus Jacobus.
ibi n. 17	Pelagia Pelagi.
ibi n. 18	Rectos Rectis.
ibi col. 1 § 5 reg. 2	Nata eſt Onuphrio ex Onuphrio
ibi col. 2 Lit. N reg. 7	Imeldæ ibi occumbere, Imelda ibi occumberet
ibi col. 2 reg. 7	cænobio, cænobium
ibi reg. 2 a fine	a Floraro Florario
fol. 162 reg. 1	Londiſſi Londini.
ibi	Lindisfarorum Lindisfarnorum.
ibi reg. 3	collimbæ colũbæ.
ibi reg. 5 a fine	culcitam culcitrã.
fol. 165 col. 1 in die 2 Martii reg. 14.	Eborenſis Eboracenſis.
ibi reg. 16	Lindisfarorũ Lindisfarnorũ
ibi	Londiſſi Londini.
ibi reg. 24	in victa in vita.
ibi col. 2 reg. 8	officitur, Afficitur.
ibi Lit. C reg.	Primariũ Primariam.
fol. 164 col. 1 reg. 10	Facta Facta eſt mentio.
idi die 3 Martii reg. 5	Bonifacii Bonifacius.

ibi

Errata	*Lege.*
ibi reg. 5	cum eum
fol. 165 reg. 31	Incutanté Incuſantē.
ibi reg. 32	ut &
fol. 167 reg. 14	Monachiſmus amplexū eſt, monachiſmum amplexus eſt
ibi reg. 18	exornatus exornati.
ibi reg. 24	Redderet Reddens
ibi reg. 30	quia qui
fol. 168 reg. 1	Inunſa Incenſa.
ibi reg. 2	Anno Annuit
ibi col. 2 Lit. E	1707 1507
ibi reg. 4	Valentiæ de Succurſu Valentiæ in cœnobio de Succurſu.
fol. 169 reg. 14	A memoria Memoria.
fol. 170 reg. 5	corodandus, coronandus
ibi Lit. F. reg. 3	quæ mundum dele quæ
ibi reg. 29	exiti exitu.
ibi reg. 32	Allis aliis.
fol. 171 Lit. B. col. 1 reg.	S. Pauli, S. S. Paulini.
fol. 173 col. 2 Lit. E col. 2 reg.	Vincentia Vincentiæ.
ibi reg. 10	Ac Hac
fol. 174 reg. 5	ſaxum ſexum
ibi reg. 7	comæderet comederet.
ibi ſigno	dele.
ibi reg. 26	lanceis laneis.
fol. 175 reg. 12	Fundatorum Fundatarum.
ibi	exequies, exequiis
ibi reg. 24	Prius Plus.
fol. 176 col. 2 reg. 2	Brite Brites
ibi die 8 reg. 13	Quintenſem Quitenſem.
ibi reg. 18	Præcipi Præcipiti.
ibi reg. 20	Torens Torrens.
fol. 177 reg.	Depoſitione Depoſitio.
ibi reg. 9	oculus oculos.
ibi reg. 19	viſcere viicera.
ibi reg. 29	S. P. Auguſtini adde filiam.
fol. 278 col. 2 reg. 3	Quintenſem Quitenſem.
fol. 178 Lit. D.	in elogio, ſanitores Janitoris.
fol. 179 in elogio reg. 8	corpora corpore.
ibi col. 2 reg. 3	Ampletens, Amplectens.
ibi die 9 reg. 6	de Cameritio de Camerino.
fol. 180 in cōment. Lit. A reg. 50	docus Jodocus.
fol. 181 col. 1. Lit. B. reg. 12	Tranſactū Tranſactam.
ibi col. 2. Lit. C. reg. 3	Illa Illarū.
fol. 183 in epigr.	Honere Honore.
fol. 184 lit. G col. 1 reg. 22	Refer Refert
ibi Lit. reg. 8	conteſimæ centeſimæ.
ibi col. 2 reg. 4	tam jam.
ibi reg. 5	vidit vidi.
ibi reg. 25	Impoſitum, Impoſitam.
ibi § verum reg. 8.	Habitu Habita.
ibi reg. 10	Franciſco Franciſcus.
ibi reg. 2 a fine col. 2	ſanctus ſanctos.
fol. 185 die 11 reg. 1	Carali Calari.
ibi reg. 4.	8 5.
ibi reg. 12	In terrimū In teterrimū.
ibi Lit. H	Brunci Brunecti.
fol. 186 reg. 1	Argumentū adde foret
ibi reg. 16	Tenamina Teſtamina
ibi reg. 23	correpto correpta
ibi col. 2. Lit. B. reg. 2	Monaſchiſmum Monachiſmū.
ibi reg. ult.	cōmemorario cōmemoratio.
fol. 187 Lit. B. col.	De ſcollis de Scottis
ibi reg. 8	graviſſimas AN. graviſſimos AA.
ibi	Agazarinus Agazarius.
ibi col. 2. reg. 5	ſoccis ſociis.
ibi col. 2 Lit. 3 reg. 8	Monaſteri Monaſterii.
ibi Lit. 5. reg. 2.	Mantellatæ Mantellata.
fol. 188 reg. 25	Urbabani Urbani.
ibi reg. 4 a fine,	obitura, adde erat.
fol. 189 reg. 15	Peniganim Beniganim
ibi reg. 16	Pueritia adde In
fol. 189 reg. 1.	Quod quid Quidquid
fol. 191 § cum col. 1	Acgidii, Ægidii
fol. 196 reg. 32	cólumbena, columbinæ.
fol. 225 reg. 6	Pſallerat Pſalleret.
fol. 233 die 26 Martii Lit. B. reg. 17	eadem, de eadem.
fol. 234 reg. 4.	exemplo moverit, ex templo movent.
fol. 237 reg. 1	ſe in ejus loco pone quod.
fol. 248 reg. ultim.	Procliviori Procliviorıs.
fol. 249 reg. 21	Munus Mundi.
fol. 287 reg. 23	Magna Magno.
fol. 304 reg. 4	ſedens ſedem
fol. 329 reg. 17	Spiritum ſpirituū
fol. 337 reg. 2	plures adde libros.

Cætera agnoſcet, & ignoſcet Lectoris humanitas.

ESTANTE 14
Tabla 1.ª
N.º 11

22
44

MARTY
AUGUS
T. I.

5.723